I.D.E. DANMARK

NOTIONES ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE

734
2.6

DISCIPLINIS THEOLOGICIS COORDINATAE

AVCTORE P. SYXTO O. C.

VOL. I PARS PRIOR

CVM CC TABVLIS TEXTVI INSERTIS

EDITIO ALTERA



http://rcin.org.pl

P. SYXTVS O. C. R.

NOTIONES

Archaeologiae Christianae

DISCIPLINIS THEOLOGICIS ET LITVRGICIS COORDINATAE

VOL. I. PARS PRIOR

CVM CC TABVLIS TEXTVI INSERTIS

EDITIO ALTERA



Biblioteka Instytutu
heologii i Etnologii PAN
0034677

ROMAE

EX OFF. TYPOGR. FORZANI ET SOC.

MCMIX

Conceditur ut figurae libro propriae reproducantur, dummodo debito modo et auctoris et operis nomen referatur.

II 1401
R. 1960. W

IMPRIMATUR
† Fr. Augustinus Marre Ep. Const.,
Abbas Gen. O. C. R.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Patriarcha Constantin., Vicesgerens.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

AVGVSTINO MARRE

EPISCOPO CONSTANTIENSI

ABBATI GENERALI O. C. R.

LIBER SACER

ESTO

AD LECTOREM

Nondum alter praeter lapsus erat mensis a quo liber hic in lucem prodierat, cum iam cogitandum fuit de nova eiusdem paranda editione. Adde congratulationes undique auctori missas, cum privatim vel ab Ecclesiae sanctae Principibus, tum vero publice.

Earum non est mens nobis specimen evulgare; nihilominus temperare nequimus quin quod hos maxime honestat labores, iisque ad finem feliciter perducendis mirum quantum favet, id in publico proponamus.

Dal Vaticano 24 Iulii 1908.

Revm̃e Pater,

Praeclarum laborum tuorum fructum, librum qui inscribitur *Notiones Archaeologiae Christianae* a te nuper in lucem editum Summus Pontifex libenti gratoque excepit animo. Simul quod notiones ipsas tam ordinate digessisti ut lumen ac non mediocre emolumentum inde possint haurire qui theologicas et liturgicas disciplinas colunt, Ipse vehementer laetatur. Exoptans vero ut Deus curas tuas large rependat, testem benevolentiae Suae benedictionem apostolicam peramanter impertit.

Gratias et ego habeo ob alterum libri exemplar humanissime mihi delatum.

Hac autem secunda occasione utor ut studium meum confirmem quo sum

Tibi Addictissimus

R. Card. MERRY DEL VAL.

Rev.mo P. Syxto O. C. R. – Romam.

PRAELOQUIUM

Christianae archaeologiae definitio atque momentum. — Monita ad studiosos. Methodus auctoris in his compilandis notionibus adhibita.

ARCHAEOLOGIAE vox in universum accepta et ex eius etymologia (ἀρχαῖος = *antiquus*, λόγος = *sermo*) cum rerum antiquarum quarumcunque, morum, rituum etc., tum monumentorum studium significat. Vetustate autem circumscripta christiana, vox illa disciplinam seu scientiam innuit, cuius est priscorum christianorum conditionem describere iuxta diversas eorum cum ethnica christianaque societate necessitudines, eorumdem mores prout ex monumentis colligi possunt.

Definitio haec, ad rem christianam ut est contracta, rite dumtaxat enuntiatur post clarissimi viri I. B. De Rossi elucubrationes et reperta, qui certos canones stabilivit, studiosi ut possent ex eorum norma, sicuti in ceteris disciplinis, et in hac tute ad certas pervenire conclusiones.

Duplex archaeologiae christianae est utilitas: nimirum christianismi historiae veluti subsidium inservit, in quo non parvam a profana historia lucem accipit; deinde tamquam ecclesiasticae traditionis eloquentissimum extat testimonium; quamobrem inter praecipua loca theologica rite numeranda est;[1] immo eo interdum ceteris locis fit pluris (Scriptura

(1) Egregie P. GENER S. I. (*Theologia dogmatico-scholastica*, Romae, 1768, 6 vol. in-4) monumenta epigraphica ad unitatem ac trinitatem Dei, ad Christi divinitatem confirmandam descripsit. Sed longe altius hodie assurgere catholicus theologus valet tum in monumentis epigraphicis, tum et praesertim in picturis sculptilibusque perpendendis. Iam ante I. B. De

Sacra excepta Ecclesiaeque auctoritate), quo sensibilius priscorum fidelium fidem moresque aperit studioso, ingenua licet saepe sub forma et veluti infantili symbolo aut ideogrammate ostensos. Temperare non possum quin aliqua illustris Mons. Martigny (cuius auctoritas omnibus magni est facienda), verba describam: « Ne dilabatur memoria christianam archaeologiam unice speculativam scientiam non esse; neque ad historicam tantum eruditionem spectare; novissimus enim atque copiose manans apologeticus fons est ipsa circa Fidei veritates, atque omnium fortasse firmissimum instrumentum est catholicae traditionis. Etenim prisca christiana monumenta, inscriptiones praesertim, gravioribus tum ad dogmata tum ad disciplinam pertinentibus quaestionibus lucem indubiam afferunt, quas Patres auctoresque ecclesiastici persaepe non satis perspicue illustrant, ac proinde malae dissidentium fidei illas oppugnabiles relinquunt ».[1] Hinc est quod haec scientia, sicuti S. Scriptura, propria, pene dixerim exclusive propria, sit viri ecclesiastici, quippe qui historicis literariisque iam imbutus sit cognitionibus, quae ad studium christianae archaeologiae etiam in tironibus requirantur, quibus insuper et ecclesiasticam sapientiam addat. Dicet aliquis neque Bosium neque I. B. De Rossi viros fuisse ecclesiasticos, qui tamen ceteros archaeologos longe superarunt. Ita plane; sed qui illos ad tantos tamque arduos diuturnosque labores suscipiendos induxere, nonne religiosi et ecclesiastici viri fuerunt? Bosius primos dedit gressus in perlustrandis catacumbis Ciacconii O. P. ductu; Philippi Nerii vero suasione et plurium romanae ecclesiae praelatorum hor-

Rossi reperta, antiqua monumenta inter loca theologica recensebantur a P. PERRONE, in Universitate Gregoriana professore (*Praelectiones Theol.* editio post secundam Romanam, 1852, col. 1251 et seq.). Immo monumenta theologice considerata videmus in scriptis Fernandi PIPERII Berolinensis, maxime in eius opere: *Einleitung in die monumentale Theologie*, Gotha, 1867, quo exposuit quod iam publice Berolini docuerat multo ante tempore. Hodie vero nulla est dogmaticae scientiae cathedra, in universitatibus studiorum, ubi WILPERTI volumina (*Le pitture delle catacombe*) non terantur.

(1) *Revue des questions historiques*, 1er avril 1873, p. 666.

tatu manum *Romae subterraneae* descriptioni admovit. Quomodo autem I. B. De Rossi, sine perillustri magistro suo P. Marchi S. I., et sine Pontificis Pii IX protectione et opibus, ad tanta tamque mirabilia adinventa pervenire potuisset? Ceterum Deus cui vult ingenii copiam et vires largitur; unde non est cur erubescamus, inter innumerabiles ecclesiasticos viros vetustati sacrae operam impendentes, aliquos laicos recensere: nam si isti, sacris vacando disciplinis, in ipsis doctiores nobis evaserint, hoc profecto nobis vituperationi non erit, sed potius animi erigendi optima ratio; siquidem et laicos fit evidens, eosque ingenio praeditos nobilissimo, christiana antiquitate sapientiaque allici. I. B. De Rossi, qui curriculum utriusque iuris compleverat studiorum in Collegio Romano, versatissimus etiam erat in theologica scientia; atque data occasione, licet se archaeologum tantum humiliter profiteretur, nihilominus uti divinae scientiae magister monumenta theologice illustrabat. Qua in re et eius discipuli eminebant. Ceterum hodie omnibus patet locus in sacrae archaeologiae ambitu, qui ita longe lateque terminos suos explicavit ut fere nemo possit omnia non mediocriter complecti quae in ipso contineantur. Et sic inter christianos archaeologos idem fit atque in alio quolibet eruditorum coetu. Omnes quidem medici (ex. gr.) morbis universis mederi didicerunt; at plerumque unusquisque in aliqua speciali parte excellet, cui speciali modo se applicaverit. Et est revera inter archaeologos qui picturis accuratius studuerit, qui autem epigraphis, qui monumentis sculptis et constructis etc.; denique qui haec omnia ad dogmaticam et qui ad liturgiam referat. Iam vero nihil de his clero negligendum est, cum, sive de historica, sive de dogmatica, vel de liturgica re agatur, persaepe monumenta, quae discrepantia inter se videntur, eidem veritati catholicae demonstrandae inserviant.

Multis christiana archaeologia est veluti campus feracissimus, iis praesertim quibus saepe cum acatholicis negotium est: multis, e contrario, terra est adhuc virgo. Cum enim eius progressus nuper novum aperuerit argumentorum fontem, non satis cognoscebantur fructus inde percipiendi, neque inter fa-

miliaria documentorum genera christiana monumenta locum obtinuerant. Verum nulla posthac valebit excusatio; summa enim auctoritas praecipit ut rite christianis antiquitatibus instruantur sanctuarii discipuli, atque provide hac tam utili disciplina, per integrum theologiae cursum, ipsi exerceantur. Quapropter, inductus ego ad has tradendas notiones *Programmate generali studiorum* anno edito elapso atque a Summo Pontifice approbato, supervacaneum non existimavi, de re monere studiosos, sine qua frustra ab hac nova disciplina fructus expectabimus ullos, priusquam ipsas disciplinae notiones explicandas aggressus sum.

Monumenta antiqua saniore critica illustrata, sicuti a I. B. De Rossi fuerunt, catholico apologistae pretiosa et inconcussa testimonia traditionis praebent, ac proinde argumenta *ad hominem*, ut vocant, efficacissima, quia etiam per se sola verissima, contra hodiernas dissidentium cavillationes potissimum porrigunt. Ostendunt videlicet haec monumenta quae priscorum christianorum fuerit fides, praesertim circa realem Christi in Eucharistia praesentiam eiusque divinitatem; circa existentiam purgatorii, sanctorumque communionem; ostendunt insuper quae in administrandis quibusdam sacramentis fuerit Ecclesiae praxis: ex quibus omnibus illud conficitur, Ecclesiam prisci temporis, ut a Christo Domino fundata est atque ab Apostolis eorumque successoribus ordinata, eamdem totam in praesenti Catholica Ecclesia inveniri.

Prima fronte id incredibile fortasse alicui videbitur; et tamen ita se habet res: non enim de facto institutionis huius vel illius sacramenti agitur, quod ad archaeologiam minime spectat; sed de illis quae post institutionem fiebant: de usu, de praxi, de consuetudine, de fide sacramentis institutis praestita. Nimirum archaeologia nobis obiicit quomodo, pro christiana quam susceperant fide, prisci fideles se gererent; et quia ratio agendi aperit agentis animum, ita qua essent illi mente, quid de Ecclesiae doctrina quam profitebantur cogitarent monumenta demonstrant. Neque illusioni aut errori locus dari potest ubi non unum et alterum, huius vel illius loci,

sed innumerabilia monumenta dissitisque erecta in regionibus, diversissima inter se, diversissimo modo idem confirment. Et sicuti unitas doctrinae ex disciplinae unitate recte concluditur, siquidem haec ex illa pendet emanatque, ita, ex. gr., utraque perspicue demonstrari potest in praecipuis eius lineamentis, per symbolismi unitatem, ad quam exhibendam monumenta ecclesiarum totius orbis, necnon et Patrum scripta conspirare dixeris.

Hoc certe exigi potest a monumentis, quamvis sub hoc universali aspectu, quod sciam, parum hucusque dictum fuerit. Ipse videbit lector si illud coniicere fas est; nam monumenta exponere et illustrare ratio totius praesentis est operis, ita ut meum deinde tantum sit syntheticas propositiones suggerere quas lector ex propositis monumentis concludere iam valebit, ac ne quid alicuius momenti lectorem fugiat curare.

Ex altera parte quoddam perniciosum extremum vitandum est: nimirum tribuere plus auctoritatis archaeologiae quam revelationi aut magisterio Ecclesiae. Lector fortasse in S. Theologia rite instructus superfluum hoc poterit monitum invenire; auctor autem non ita, experientia edoctus. Etenim quod quis catholicus vir atque etiam ecclesiasticus fere quaesierit ex monumentis eam quam solum ex revelatione petere fidem licet, mihi iam contigit notare, idque aut ex ignorantia fit, aut nimiam, heu, habere videtur congruentiam cum rationalistarum hodierno cogitandi more: scilicet si qua insita iam animo ante sit de infirmo dogmaticarum veritatum fundamento, sive ex defectu fidei sive ex defectu scientiae opinio orta sit, omnino est deponenda antequam ad archaeologicas rationes deveniatur, ut ex eis maxima percipiatur utilitas. Tironibus loquendum esse mihi suppono; utar igitur exemplo. Quum optimum de verbis, quibus narrat Ioannes,[1] pollicitum esse Christum Eucharistiae sacramentum, commentarium audivimus, iam dubitare ultra non licebit de praefati sacramenti veritate, quod revera, stans Christus Dominus promissis, in ultima coena praestitit. Re enim

(1) Ioan., VI.

vera quater loquitur Christus de hoc sacramento in citato textu Ioanneo, veluti de re ad vitam aeternam absolute necessaria; atque ex eo sumit sermonis repetendi rationem, quod Iudaei scandalizabantur: *Quomodo*, invicem dicebant, *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* et quod aliunde ad sensum verborum litteralem mentes audientium revocare oportebat, quia facile tropice, idest aut spiritualiter aut moraliter, etiam ab Apostolis verba illa accipi poterant. Ibi ergo et alibi in sacro textu nobis hauriendum est motivum et fundamentum fidei nostrae iuxta illam interpretationem quam Ecclesia probatam habet et proponit, et hoc sufficere debet etiamsi nihil tale proferrent traditio et monumenta Ecclesiastica. Quae porro veniunt argumenta ex historia, veluti secundaria habenda sunt et potius explicativa modi quo res credebatur et secundum quem agebatur. Non sunt ergo historica argumenta plus facienda quam par sit, nisi eadem simul testimonium revelationis traditae extent. Sed iam in limine declarare queo nihil in monumentis inveniri quod non alias prius apparuerit, praesertim in Scriptura, si de veritatibus fundamentalibus Ecclesiae agatur; et si quid novi occurrat, id ad disciplinam et praxim pertinere omnino. Igitur non ideo Scripturae atque Ecclesiae magisterio adhaerendum est quod quae ipsae docent etiam a primaevis credebantur christianis, ut monumenta probant, sed antiquitatis studium efficiet ut fides, iam in verbo divino fundata et ab infallibili Ecclesiae magisterio adaucta etiam atque etiam roboretur, si possibile fiat, et incrementum et nova accipiat arma novos adversus errores et hostes.

Verum, quod in nobis est vituperandum, laus et commendatio fit in animis dissidentium, nempe illorum ex sectis protestantibus qui nullis praeconceptis opinionibus veritatem quaerunt, atque supremas fidei optant rationes cognoscere. Accidit enim persaepe ut protestantes, praesertim e pastorum coetu, minime contenti iis quibus imbuti sunt religionis notionibus, ardenter quod dubia dissipare valeat cognoscere velint. Id autem non nisi in traditione Ecclesiae iis invenire fas est; nam ad Scripturam quod pertinet, amoto infallibilis magisterii lumine,

nihil apud eos incertius esse potest, cum in quavis ex innumeris sectis in quas protestantes divisi sunt nihil possit sibi consistere, atque singulis pastoribus, ne dicam fideli unicuique, integrum sit ad proprium privatumqne iudicium appellare, etiam in obscurissimis S. Scripturae locis. Nulla igitur illis est ratio cur magis adstipulandum sit huic quam illi doctori; et sic in ipso religionis fundamento, quod sit inconcussum oportet atque immutabile, quisque disertus esse poterit, sive pro sive contra in eodem principio loquatur. Praeterea, cum ratio potissima Reformationis, ut iactant dissidentes, eo consistat, quod in Catholica Ecclesia a puritate fidei antiquae ad superstitionem descitum sit, cumque animos occupaverit cupido ad primaevam puritatem resiliendi, profecto nihil facilius persuadebitur, nihil verius de vera et pura fide ac proinde complectenda animis dissidentium obiicietur, quam quae prisca christiana monumenta exhibeant. Nemo fere est qui de protestantium sectis ad catholicam veritatem se recipiat, quin prius aut I. B. De Rossi vel eius discipulorum volumina consuluerit, aut ipsas adierit catacumbas.

Id vero, cum primum perspectum habuerint pastores protestantes, quasi molesta sollicitati cura, De Rossi voluminibus aliam *Romam subterraneam* auctore Theophilo Roller opponere sategerunt. De ea, in decursu operis, pro opportunitate redibit sermo.[1]

(1) Ut iam in limine intelligatur qua mente opera haec navata fuerit, notare sufficiet auctorem, in quodam I. B. De Rossi necrologico articulo (*Revue de l'histoire des religions*, sept.–octob. 1894), cum ex una parte optimam viri defuncti fidem laudibus prosequeretur summumque ingenium, ex altera Commissionem Sacrae Archaeologiae, cuius I. B. De Rossi caput fuerat, callide insimulabat de quibusdam silentio praeteritis monumentis aut etiam suppressis; iis nimirum quae de romanorum episcoporum uxoribus mentionem facerent: *Se figure–t–on*, aiebat, *son embarras, si elle avait trouvé l'épitaphe de la femme de quelqu'un des plus anciens évêques de Rome?* (p. 200). Sed male salso sua ipsius improbitas offecit, quominus adverteret quam facili posset negotio insulsae accusationi responderi. Etenim nil mirum si habuerit romanus aliquis episcopus uxorem; nam potuit eam, mutuo consensu, deserendo clero adnumerari, secundum disciplinam tunc in occidentalibus vigentem ecclesiis et uti evenisse ex. gr. de S. Damasi patre egregius Marucchi affirmat.

Vix attinet dicere bonae dissidentes fidei ab examinandis monumentis minime destitisse; nam hoc ipso quod adversarii nervis omnibus codices codicum in locum subrogare atque novo monumenta sensu interpretari conarentur, factum est contra ut nec archaeologorum volumina despecta in bibliothecis pulverulenta iacerent, et monumenta ipsa quam maxime adita essent.

Postremo, pessima methodus illorum esset qui in singulis imaginibus pictis aut sculptis omnibusque epigraphicis phrasibus aliquid invenire quod dogmati semper alludat praesumerent. Istud, praeterquam religioni noxium, perridiculum foret, non secus atque, ut aliqui saeculo elapso praesumpserunt, in omnibus antiqui Aegypti monumentis quomodocumque hieroglyphicis instructis aliquid conspicere quo veritas mosaicae narrationis fulciretur.

Hoc periculum obiter tetigisse sufficiat ut a studiosis declinetur, I. B. De Rossi exemplum secutis; cuius nihilominus mens non fuit theologi partes usurpare atque subiectam materiam exhaurire,[1] sed ambitum archaeologiae minime transire aestimavit. Qua re maxime religionis causae profuit, nam tales ad conclusiones pervenit, iisque talia principia stabilivit, ut maximi vel apud eruditos protestantes fieret; nosque proinde efficit ut confidentes eius adiremus volumina, quin de nimia credulitate coargueremur. Hanc integritatis laudem eum decebat sibi acquirere, qui prima iacere fundamenta divina Providentia destinabatur sacrae archaeologiae aedificii: quod tandem aedificium, nedum ornari, etiam perfici a I. B. De Rossi posteris debet. Multum in hunc finem iam effectum est praesertim Commissionis S. Archaeologiae cura; at suburbanum romanum solum immensos adhuc suis in visceribus celat historicos thesauros, praeter ea quae iam tradere, opportunis fossionibus, coactum est, potissimum nostra tempestate. Quapropter, latior in dies aperitur archaeologis doctrinae fons, historiae scilicet

(1) « Archaeologum enim, non theologum, me agere oportere probe sentio » (*Spicilegium Solesmense*, t. III, p. 572).

Religionis Christi eiusque dogmatum ac disciplinae, unde et apologetica et ascetica doctrina alitur; nova reperta corrigunt aliquando, plerumque illustriora faciunt antiqua cumulantque; monumenta saepe suppeditant ut integrae historiae paginae, temporis hominumque iniuria deperditae, recuperentur.

Surgant ergo tam nobilis disciplinae studiosi, et originibus christianis operam benignamque ingenii venam illustrandis impendant: gratus qui praesens capessivit opus eos corde magno salutat.

Ratio et via praesentis operis.

Non semel, inter eos quibus cogitatum de praecipuis archaeologiae christianae notionibus latino idiomate tradendis communicavi, dissuadentes inveni; nam, mihi obiiciebatur, si eleganter fiat, pauci intelligent, aut prae nimia attentione requisita opus evolvere cito fastidient. Quod si pedester sit sermo, tunc melius esset vulgari scribere sermone. Ego autem non ita sentio, qui nescio invenire aliam latina universaliorem linguam. Non erit sermo elegans? Nihil refert; dummodo facile intelligatur. Hoc idioma, ut puto, convenientius est vestimentum sacrae vetustati, atque utinam dies illucescat illa, qua latinus sermo veluti communis multoque ceteris aptior ad maxima inter nationes et populos negotia tractanda adhibeatur. Ceterum de scientia agitur cuius fontes ad tempora resiliunt cum lingua latina in usu erat, eamque igitur callere archaeologum aut archaeologiae studiosum omnino decet, et risum movent qui, scalptores velut sine scalpro, archaeologiae studere praesumunt, quin verbum latinum intelligant.

De methodo operis dicam breviter. Nimirum, eamdem tenui rationem quam expertus sum plures per annos meliorem ad tam varias tamque multiplices notiones docendas. Sunt qui eiusmodi notiones consistere putent paucis ad dogmata allusionibus, prout ex epitaphiis vel picturis eruantur. Si ita esset anno uno satis abunde expleretur materia. Verum enimvero non dogmata tantum sed et liturgia, et disciplina, et ius, et historia denique miram recipiunt ex veneranda antiquitate lu-

cem; ista insuper omnia non minus atque dogmata a dissidentibus et rationalistis impetuntur hodie. Adde, quod tempora ipsa nostra ad origines semper revocent cuiuscumque institutionis, originesque autem christianae nobiliora ingenia exerceant. Quapropter neminem puto mihi vitio versurum quod intimius voluerim sub diversis praefatis adspectibus rem archaeologicam tractare; hoc enim modo dumtaxat, experientia edoctus, proficuam video evasuram novam theologiae discipulis praescriptam materiam. In deliciis hodie habentur libri multis condecorati figuris (profecto istae non desiderabuntur in hoc libro); sed illud deerit, expositio scilicet rerum nulla aut rara et insufficienti probatione addita, rapidusque inter monumenta quisquiliasque cursus, aut horum veluti recensio sive catalogus, quod parum aut nihil interest studiosis, et curiositati potius explendae quam christianarum originum studio inservit. Quid exempli gratia prodest integrum picturarum cognoscere catalogum earumque diversam aetatem, si studiosus nesciat picturam saeculi secundi a pictura saeculi tertii vel quarti distinguere? Quid si nesciat diiudicare inter christiana et ethnica monumenta? Et tamen in hoc praecipue, post monumentorum inventionem interpretationemque, consistit scientiae archaeologicae progressus. Anno 1824, omnes vetustatis periti mirati sunt quod canonicus Settele, ita sagaciter ut nemo antea, quaedam chronologica posuerit criteria ad monumentorum christianorum aetatem dignoscendam.(1) At quantum in hoc progressi sunt eius posteri, quantum distat Settele citata opella ab egregio opere Iosephi Wilpert, *Le pitture delle catacombe*!

Quodcumque cimelium eo fit maioris quo antiquius perhibetur; maximi vero facienda antiquiora cimelia si ad dogmata aliamque ecclesiasticam disciplinam alludant. Chronologicum igitur criterium primus veluti est gradus ad valorem monumentorum dignoscendum, atque indignum semper existimavi quod scientia archaeologica simplici enunciatione et descriptione

(1) *Memoria sull' importanza dei monumenti che si trovano nei cemeteri degli antichi cristiani del contorno di Roma*, Roma, MDCCCXXIV.

monumentorum doceretur, perinde ac si non quidem disciplinarum sacrarum studiosis liber componeretur, sed curiosis quibuslibet qui paucis contenti sint notitiis oportet, aut nolint petere altius.

Haec minime ad alios auctores vituperandos dixi, unusquisque suum habet pretium, sed ut meam quae sit hac in re sententiam aperirem. Fratres De Rossi, Wilpert, Le Blant, Grisar aliique clarissimi auctores fructus suarum elucubrationum inventorumque non dubitarunt nobis tradere; id nihilominus fecerunt crassioribus ac pretiosioribus voluminibus quam ut studiosi omnes facile iis uti possint. Circa artem christianam primaevam iam egregie praeiverat P. Garrucci et P. Marchi: cur ex monumentalibus horum operibus illos non colligeremus canones quibus stabiliendis per totam insudarunt vitam doctissimi illi viri? Numquid sacra christiana archaeologia indigna reputabitur quae scientifica methodo in scholis tractetur? Suntne forte illi canones archaeologorum tantum exclusivum secretum?

Sed alia insuper querela ad aures mihi pervenit: archaeologi plerumque locales sunt; Romani autem archaeologi ita scribunt quasi extra Romana monumenta nihil consideratione dignum inveniatur.

Hoc non parum exaggeratum videtur, nam si aliqua analogia est inter historiam et monumenta, idem de archaeologia christiana dicere possumus ac de ecclesiastica historia, nempe potissimam historiae partem ad Romanum episcopatum spectare; primamque in re antiquaria Romanis monumentis deberi. Cui similitudini aliquid posset quis tantum obiicere, si Romae minoris momenti atque alibi extarent monumenta; sed contrarium prorsus notamus: ubinam gentium locus invenitur Apostolorum praedicationis adhuc vestigia servans extra Romana coemeteria? Catacumbae vel totius orbis, nedum earum plerumque incerta sit, neque antiquissima aetas, etiam simul collectae, vix romanas catacumbas aequarent.(1) Istae insuper

(1) Notatu digna mihi haec clarissimi Leclercq verba videntur: « Les cimetières souterrains ou *catacombes* ne sont nulle part aussi étendus et aussi célèbres qu'à Rome; ceux de Syracuse prennent rang à la suite,

incredibiles thesauros historicos et apologeticos continent ad saeculum usque primum pertingentes. Adde quod in Romanis coemeteriis illam traditionis et liturgiae historiam contexere licet, quae, cum fuerit Romana, veluti universa habenda est. His igitur catacumbarum romanis monumentis primus assignandus est locus; nam si de basilicis vel martyriis sermo fiat, quamvis urbs Roma antiquissima eius generis monumenta possideat, haec tamen sicut cetera huiusmodi postconstantiniana sunt: nullibi de antiquioribus aedificiis ecclesiasticis aliud quidquam mansit, nisi duo oratoria super S. Callisti coemeterium constructa, quorum unum (oratorium Ss. Syxti et Caeciliae) pontificis Fabiani aetatem (236–250) respicere videtur. Priscorum trium saeculorum monumenta funeraria tantum, una cum exigua supellectile, nobis relinquuntur.

Quibus omnibus minime intelligo ut omnino extraromana monumenta excludantur, sed solum ut suum habeant locum historice et chronologice congruum, neque antiquiora submoveant vel opprimant; neque, ut clarius loquar, testulae et frustula saeculi quinti, sexti etc. in museis iacentia, aut sarcophagi africani vel asiatici, exempli gratia, et paucae sepulcrorum basilicarumque ruinae ad eamdem aut inferiorem aetatem pertinentes pluris fiant, quam venerandae illae subterraneae necropoles, omnigenis monumentis ditissimae, tam antiqua tamque insignia fidei nostrae documenta praebentes. Illa artem potius respiciunt, ista, praeter cetera, doctrinam Ecclesiae, eamque ab apostolicis inde temporibus, confirmant.(1)

bien que, au point de vue architectonique, ils soient les plus parfaits de tous; ceux de Naples, de Cyrène, d'Alexandrie, de Mélos et quelques autres ont de moins en moins d'importance. Les catacombes de Rome n'appartiennent pas seulement à l'histoire monumentale, mais encore à l'histoire des institutions primitives et de la situation politique et sociale du christianisme, dont elles étaient, à certaines époques, le siège officiel. C'est à ce double point de vue que nous les étudierons» (*Manuel d'archéologie chrétienne*, t. I, p. 218–219).

(1) Sane inficiari nequimus multum conferre ad cognitionem christianarum originum examen innumerabilium cimeliorum in museis orbis iacentium, sed praeterquam ista, paucis exceptis, saeculum quartum ut

Iam, ut veniam ad hanc priorem libri primi partem, spero fore ut ratio viaque quam tenui studiosis non displiceat. Etenim, antequam de monumentorum valore inquiramus, ea cognoscere in ipsa eorum origine et legali aut tolerata existentia debemus. Primum indispensabile prorsus dicendum, secundum nobis revelabit quaenam fuerit Ecclesiae conditio respectu bonorum immobilium, quae, titulo communi, seu ut societas, possidebat. Iam vero hodieque plures possessiones antiquae, aut ecclesiasticae, aut ab Ecclesia olim administratae, extant, eaeque, non minus atque ethnica *columbaria*, characterem collegialem servant; aliqua videlicet Romana coemeteria, ac potissimum coemeterium Callisti. Hoc autem coemeterium, cum veluti officiale esset, proindeque antonomastice simpliciter *coemeterium* vocaretur, ab archidiacono Ecclesiae Romanae administrabatur. En alius fons ecclesiasticae eruditionis ad quem feliciter hausit I. B. De Rossi, novum praesertim documentum quoddam historicum, *Philosophumenon* librum, cum noviter inventis monumentis conferendo.(1) Hinc denique fas erit investigare intimius quinam fuerit in persecutionibus animus Ecclesiae modusque agendi, item Christianorum mores et ritus erga defunctos; idque denique ad considerandum cultum nos adducet.

Quod si ad ipsum coemeterium vertamus oculos, non solum datum erit, De Rossi duce, illud cognoscere, sed ex eius examine canones quoque et principia eruere, quae quam maxime ceteris coemeteriis monumentisque dignoscendis inservient. Hoc praecipuum est voluminis primi argumentum, ad quod innumerae aliae quaestiones natura conferuntur.

Nostra tempestate, quasi in morem venit iuxta proprium

maximum dumtaxat attingunt, eadem reflectunt plerumque symbola et subiecta quae iam multo ante in funerariis catacumbarum monumentis apparuerant. Unde utiliter recensentur quidem veluti evolutio (ut hodierno utar vocabulo) antiquiorum subiectorum, et testes non raro rituum vigentium; immo id fines archaeologiae quodammodo transit ditionemque artis attingit. Nihilominus parum id proposito pontificii programmatis responderet, si praeter modum ambitus eius laxaretur, cum antiquiorum notionum detrimento.

(1) *Bull. di arch. crist.* a. 1866.

et personale criterium quaestiones non paucas veluti solutas proferre, quae adhuc ancipites habentur, omissis, quae contra sunt, aliorum criticorum argumentis, vel obiter productis, vel imminutis. Equidem, cum notionum compilatorem me potius agere sentiam, praecipuas quaestiones archaeologiam et historiam vel liturgiam simul respicientes, quae hodie agitantur in coetibus et ephemeridibus eruditorum, proponendas quidem curavi; ab omni tamen determinata solutione abstinui ubi satis evidentiae non inveni.

Cum autem gradus ad epigraphiam, artem et dogma movebitur, tunc altiora petentur, et quidquid traditionis sacrae testimonium evadere poterit, haud erit omittendum. In his tota consistit ratio operis mei quod insuper tabulis omnimodis cumulavi, ac principalia documenta et fontes quae non facile in eiusmodi epitomis reperiuntur integre adiunxi in appendicibus et in notis. His praeterea abundare librum volui, ne textus nimis evaderet citationibus digressionibusque intricatus, neque quod secundarium est cum principali confunderetur. Citationes plerasque nolui latine vertere, sed proprio idiomate describere, excludens nihilominus quoad potui citationes in lingua germanica et anglica. Ut facile advertet lector, nihil enunciavi quod non probatum esset clarissimis auctoribus, neque omisi hic illic opinionem meam prodere rationibus corroboratam. Ubi vero controversia est, uti iam innui, diversas contuli sententias, quo studiosus quae sibi verisimilior videretur sententia, illam eligeret. Ceterum fateor me hunc librum posse a I. B. De Rossi denominare, sicut philosophiae scriptores ex Aquinate appellationem saepe suis operibus sumpsere.

Christianae vetustatis notiones multimode iam exhibitae sunt a pluribus auctoribus, iisque praeclaris, cum in diversa volumina, tum etiam in unicum librum compendiatae; nemo autem, si M. Armellini excipias, de hac disciplina in lectiones distribuenda hucusque cogitavit. Hinc est quod non raro professores noviter ad illam docendam vocati ancipites haereant circa methodum adhibendam distributionemque materiae. Huic difficultati occurrere volens, materiam quasi seriem quaestio-

num exposui, et schema quoddam in fine libri addidi, iuxta quod professores lectiones iam efformatas invenient, nedum ad eas exponendas totius materiae habeant cognitionem necesse sit, quae sine plurium annorum studio nequit comparari.

Sternitur ita facile discipulo iter simulque docenti: illi quia certis in locis inveniet quidquid in singulis lectionibus addiscere debeat; isti, quia aliis adiutus libris, qui in Seminarii bibliotheca deesse nequeunt, praesentes notiones paulo amplius et luculentius evolvere parvo poterit negotio.

Grates meritae mihi nunc solvendae iis omnibus qui consiliis me adiuvarunt, et qui operam primis corrigendis impressionibus dederunt; temperare autem nequeo quin D. De Saint-Martin, Sulpicianum, amicum carissimum commemorem, qui mecum ad ichnographiam complendam adlaboravit, serpens non raro per angustiores coemeterii Callistiani cuniculos, eoque perveniens quo nunquam ego ausus essem penetrare.

CAPUT I.

De antiquis documentis suburbanorum coemeteriorum topographiam et historiam illustrantibus.

Cum Diocletiani persecutio omnia Romae destruxisset ecclesiastica scripta, neque in ceteris provinciis christianis bibliothecis pepercisset, parum vel fere nihil nobis relictum est, quod loca coemeteriorum martyrumque sepulcra describeret, indicaret aut etiam solum enumeraret. Fuit haec magna Ecclesiae iactura, neque ad rem archaeologicam tantum contingens, sed etiam ad omnes ecclesiasticas scientias. Attamen non omne lumen extinctum penitus fuit; satis superfuit ut humanum acumen, etsi paulo tardius, posset primum cogitando deinde reapse invenire praecipuos monumentorum situs, ea denique perscrutari monumenta, illustrata aequalibus ostendere posterisque tradere. Exiguam aliquam lucem ante Constantinum Magnum praesertim liber *Philosophumenon* attulit, ubi paucae sunt ad insigniora monumenta allusiones; item praeterea epistolae S. Cypriani et scripta Eusebii, qui tamquam contemporaneus auctor, circa multa a se tradita, considerari potest, quia ad literam curavit antiquiora documenta citare et aliquando ex integro describere.

Ampliores continent notitias documenta postconstantiniana; sed, ut facile intellectu, non eadem auctoritate pollent ac priora; nihilominus ars critica nostris temporibus evidenter demonstravit, inesse aliquibus certissima vetustatis et veritatis indicia, ita ut dici possint ex anterioribus authenticisque documentis excerpta. En huiusmodi documentorum brevis descriptio.

ART. I. — **Acta Martyrum.**(1)

Hoc nomine diversae designantur perscriptiones causarum Christianorum, vel earum narrationes a testibus de visu conscriptae, vel etiam a posterioribus auctoribus, qui, materia ex vetustis documentis deprompta, eam ampliori sub forma contexuerunt, ut plenius historia alicuius martyris divulgaretur.

Distinguuntur in *Acta* proprie dicta, et *Passiones* vel *Martyria*. Priora sunt relationes sive notae conscriptae a *Notariis* (vulgo *Cancellieri*) circa interrogationes iudicum et accusatorum responsa, nec non circa coercitivas rationes per processus cursum adhibitas, usque ad extremum supplicium aut aliter ad expirationem causae. Hae notae *Acta proconsularia* appellabantur, quae hodie italice *processi verbali* dicuntur.

Passiones, quae *Acta* plerumque vel eorum materiam continent, quamdam litterariam elaborationem auctoris supponunt, et formam historiae biographicae prae se ferunt.

Huiusmodi perscriptiones in uniuscuiusque provinciae *archivo* sive *instrumento* custodiebantur; ita ut, mitescente persecutione, in potestate etiam Christianorum esset illas cognoscere earumque redigere exemplaria. Multa huiuscemodi documenta nobis essent si bibliothecae christianae igne non fuissent absumptae; nam munus praecipuum erat episcoporum perquirere diligenter omnia causarum et suppliciorum adiuncta, ut rite et merito posset qui persecutioni succubuerit vocari martyr, atque ut talis in album referri et commemorari in liturgicis conven-

(1) Ei qui conceptum quemdam generalem habere vult circa Martyrum Acta, exclusa singulorum actorum cognitione, nihil melius duco quam articulum *Acta Martyrum* eruditissimi Dom LECLERCQ in *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, fasc. II, col. 373 sqq. Iis autem qui singula documenta consulere vellent, opus vere egregium sunt *Acta sincera* apud RUINART, cum relativo supplemento Edmundi LE BLANT. Neque minoris facienda est series viginti et amplius voluminum, cui titulus *Analecta Bollandiana*; immane opus criticum cui praeter doctissimos Patres Societatis Iesu operam dederunt atque dant nominatissimi nostrae aetatis critici.

tibus; ad quod obtinendum *Acta proconsularia* potissimum apta erant, quando testes de visu deficiebant.(1)

Notum est quoque *Acta proconsularia* per aliquot saecula in archivis publicis iacuisse: unde Patres ceterique ecclesiastici scriptores iis usi sunt,(2) ad eaque fideles et lectores aliquando remittebant;(3) immo ex huiusmodi documentis rationes eruebantur inquirendi contra clericos, qui in ultima persecutione scripta et volumina sacra fisci satellitibus tradiderant ex metu martyrii, eaque de causa *traditores* vocati sunt. Exemplum extat in libro 4 S. Augustini contra grammaticum Cresconium:(4) anno enim 320, diaconus quidam, Nundinarius, quaesivit ut apud consularem Zenophilum acta proderentur a Munatio Africae Provinciae curatore redacta, anno 303 cum bona publicabantur ecclesiae Cirtae. « Nundinarius diaconus dixit: Legantur acta. Zenophilus, V. C. consularis, Victori dixit: Legantur. Et dedit Nundinarius, et exceptor recitavit ». Lectione peracta, Zenophilus, V. C. et consularis, dixit: « Ex actis et documentis nuper lectis patet Sylvanum traditorem esse ».(5)

(1) De hoc more pretiosa extant testimonia in *Libro Pontificali* iam inde a saeculo primo, ut patet ex hoc loco: (*Clemens I*, 90–100?) « Hic fecit VII regiones divisit notariis fidelibus ecclesiae, qui gestas martyrum sollicitae et curiosae, unusquisque per regionem suam, diligenter perquireret » (MOMMSEN, *Gesta Romanorum pontificum*, t. I, p. 7).

Item: (XX. *Anteros.* 235–236) « Hic gestas martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit » (MOMMSEN, op. cit. p. 27).

Item: (XXI. *Fabianus*, 236–250) « Hic regiones divisit diaconibus et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gestas martyrum in integro fideliter colligerent » (MOMMSEN, op. cit. p. 27).

De *exceptore* sive *notario* christiano redibit sermo, ubi de muneribus ecclesiasticis agetur.

(2) S. AUGUSTINUS, *Contra Cresconium*, I, III, c. 70; *Epist. Theodorici episc.*, « De Passione Ss. Quirici et Iulittae » (Acta Ss., t. III Iunii p. 25); EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* VII, 11.

(3) S. AUGUSTINUS, loc. cit. III, 70; TERTULLIANUS, *Contra Marc.*, lib. IV, cap. VII.

(4) S. AUGUSTINUS, loc. cit. LVI.

(5) *Gesta apud Zenophilum, quibus Sylvanum traditorem fuisse constat.* Cf. *P. L.* t. XI, col..774 sqq.

Ceterum id natura consequens erat ex 13° canone Concilii Arelatensis qui ita sonat: « De his qui Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis ut quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus non nudis verbis ab ordine cleri amoveatur ».[1]

Acta proconsularia archetypa amplius non extant; horum quattuor manent nihilominus exemplaria fidelissima, utpote a testibus de visu vel synchronis descripta. Haec sunt *Acta proconsularia S. Cypriani, episcopi et martyris*, a quodam christiano conscripta ut relationi officiali aptarentur; *Acta Martyrum Scillitanorum*, quae sunt verax transcriptio processus verbalis martyrum; *Passio S. Perpetuae*, loca quamplurima textualia continens actorum proconsularium;[2] *Martyrium Polycarpi* atque *Epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis*, ubi est quidam locorum cento ex officialibus documentis excerptorum.

Secundum documentorum genus *Passiones* vel *Martyria* constituunt, quae, cum in liturgicis conventibus legerentur, nobis saepius doxologia instructa pervenerunt; nonnulla etiam quemdam cursum, sive rhythmum in fine periodorum, prae se ferunt. Horum quaedam pro historia accipi possunt;[3] cetera continent quidem aliquid veri, at inter ea non desunt etiam narrationes, quibus nihil veri sit nisi nomina martyrum et aliquot martyrii

(1) Concilium Arelatense I, an. 314, in edit. Mansi, *Conc. ampl. coll.*, t. II, coll. 472.

(2) Huius Passionis novam in lucem protulit editionem Pius Franchi de' Cavalieri, quae omnium perfectissima ducitur, cui titulus: *La « Passio Ss. Perpetuae et Felicitatis »*. Roma, Spithöver; Freiburg, Herder, 1896 (*Römische Quartalschrift* V. *Supplementheft*). Introductio, italico sermone exarata, praecedit textum latinum et graecum sequiturque duplex index verborum textuum. Lectio huius documenti necessaria est quam maxime, quia haec historia pictorum christianorum qui catacumbas exornarunt itemque scalptorum ingenio non raro afflavit.

(3) Exempli gratia *Passio Ss. Montani, Lucii et sociorum martyrum* (*Röm. Quartalschrift*, 8 *Supplementheft*. Roma, 1898, 8°, VIII), ac *Passio Ss. Mariani et Iacobi* (« Studî e Testi », pubbl. della bibl. Vat. n. 3, Roma, 1900), quas Pius Franchi de' Cavalieri ad normam artis criticae sincere descriptas a contemporaneis et, in aliquibus locis, etiam a testibus de visu demonstrat.

adiuncta: reliquum commentum et phantasiae foetus. Id autem de documentis VI, VII, VIII, IX et X saeculo conscriptis potissimum est dicendum. Concinne eruditissimus Leclercq selectam Actorum Martyrum in gallicum conversorum idioma, quae inter certiora sunt habenda, recens evulgavit. Haec paullo severior visa est non paucis editio: videlicet non excluduntur quidem illa documenta quae auctor minus certa existimat, sed in appendice tantummodo ad calcem posita recensentur.(1)

Romae ecclesiastica potestas vetuisse videtur saeculo V Passionum lectionem in liturgicis officiis, ut patet ex quodam decreto, Gelasio Papae tributo. En decreti verba: *Secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur* (Passiones), *quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit esse putantur.*(2)

Notabilia insuper sunt haec alia verba eiusdem decreti, quod videtur ad Manichaeorum accusationes confutandas conflatum: *Item Scriptura de inventione capitis Ioannis Baptistae. Novellae quidem relationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt; sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint, beati Apostoli Pauli praecedat sententia: Omnia probate, et quod bonum est re-*

(1) En hac de re quid auctor, in II tomo eius operis, declarat: « Nous ne répéterons pas ce que nous disions dans cette introduction et qui n'a pas été très bien compris par quelques-uns, ou peut-être pas assez clairement expliqué par nous. Afin que l'autorité de cette collection soit plus grande, nous en avons écarté un certain nombre de pièces qui ne nous semblent pas présenter des garanties suffisantes d'authenticité. Libre à d'autres de se montrer moins sévères, c'est affaire d'appréciation.

« Pour prévenir tout malentendu, nous répéterons que dire de certains actes qu'ils sont interpolés, ce n'est pas rejeter du même coup l'existence ou le martyre d'un saint. Prenons par exemple sainte Cécile; nous ne pensons pas qu'un seul historien admette aujourd'hui l'authenticité de ses actes: on peut s'en rapporter là-dessus à son plus illustre historien, Dom Guéranger, mais ce n'est pas à dire que l'existence ou le martyre de la sainte patricienne, ni même que certains éléments de son procès ne soient pas authentiques. Ainsi des autres » (*Les Martyrs, Le troisième siècle*, préface, p. 1-2).

(2) THIEL, *Epistulae rom. pontificum*. Leipzig, 1872, t. I, p. 458.

tinete. Aurea verba, quae nos docent quo sensu S. Pauli sententia intelligenda sit, qua tamen hodie non pauci abutuntur.

Verum his praeiverat Concilium Carthaginense VI, anno 401 celebratum, quod in can. 17 ne Passiones commenticiae fidelibus legerentur, his verbis caverat: *Omnino nulla memoria martyrum probabilitate acceptetur nisi... Nam quae per somnia et per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicunque constituuntur altaria omnimodo improbentur.*

Lites igitur et contestationes circa Passiones et alia scripta id genus non sunt hesternae, sed dimidio post saeculo a persecutionibus exortae videntur, ac proinde non est cur miremur hodie, in tanto criticae artis studio atque progressu, Passiones plurimas sanctorum martyrum in dubium revocari.(1)

(1) In vita S. Martini Turonensis episcopi a Sulpitio Severo conscripta, hic sanctus legitur, cum certior factus esset de solemni honore cuidam martyris sepulcro praestito a pagi cuiusdam incolis, idque in sua ipsius dioecesi, atque e contrario ibi depositum ab ipsius sepulti umbra sciret corpus latronis ob scelera occisi, altare super sepulcro erectum destruxisse, atque ita finem superstitioni imposuisse. Saeculo VI, VII et VIII multae, praesertim a monachis, Passiones descriptae sunt, in quibus non secus atque nostris temporibus in libris qui *Romanzi storici* vocantur, aliquibus veris falsa, sed temporibus congruentia, aliaque adiuncta miscebantur. At istae quae monachorum aedificationi destinatae erant, cum ritus romanus in Galliis adoptari coepisset veluti lectiones, officium canonicum paulatim ingressae sunt, quin ulla de earum veritate dubitatio in animis episcoporum excitaretur. Causae praecipuae huius adoptationis fuerunt fides vivax, animus pronus religiosis affectibus et facilis commotu, vulgaris credulitas et principum voluntas. Verum, litterarum rerumque historicarum studiis excitatis, cito necessarium visum est eruditis quaedam, parum historiae respondentia, ex Breviarii lectionibus expungere. Id operis, regnante S. Pio V, coeptum est; postea vero, sub Clemente VIII, tenuius, neque satis ad criticae artis normam navatum apparuit; unde nova emendatio proposita est, quam Cardinalis Baronius feliciter, prout tempora ferebant, confecit, sententiis adiutus theologorum atque litteratorum virorum maxime nominatorum Poloniae, Sabaudiae, Hispaniae, Germaniae, ac praesertim universitatum Neapolis, Venetiarum, Sorbonae et Salmanticae. Emortuo tamen Benedicto XIV, opus incompletum mansit, donec, iussu Leonis XIII, praeter multa hac in re abolita vel pro opportunitate emendata, magis in dies criticae studiis

Quapropter non est semper eadem his in documentis auctoritas, atque in eis adhibendis duo extrema vitanda sunt: ea in universum tamquam aevi medii fabellas ducere; aut veluti historice certissima omni ex parte habere. Sanioris criticae munus erit historica et certa quaeque a fictis secernere, illud semper prae oculis habendo, quod est indubius canon generali criticorum consensu: 1° documenta id genus multo constantiniana post tempora redacta fuisse; 2° etiam minus verisimilia saepe quemdam historicum nucleum sive fundamentum continere, semper autem indicationem aliquam topographicam veram. Hoc quidem maximi est momenti archaeologiae sacrae studiosis. I. B. De Rossi adinventa eiusque scholae extra controversiam illum canonem posuerunt; exemplum sit inscriptio in parietis corio ducta (*graffito*) apud sepulcrum S. Cornelii, quae dicit: *SC. Cerealis et Sallustia cum XXI,*[1] quaeque criticorum in mentem revocat narrationem quamdam Actorum S. Cornelii probatque illam veram esse, cum per se acta ista parum auctoritatis apud criticos habeant.

Principia, sive criteria ad valorem historicum Actorum atque Passionum dignoscendum ars critica docet; sed in hoc genere documentorum animadvertendum est utrum adsit illa formae narrationis imitatio quae *conventionalismus* hodie vocatur. Saepe enim in *Passionibus* mutantur quidem nomina, sed nexus actionis atque forma sermonis plus minusve idem apparet. Saepe possibile quoque est ad prototypon ascendere; verumtamen, si de sermone tantum agatur, hoc imitationis vitium potest inveniri, etsi leve, etiam in actis authenticis uti, exempli gratia, in Actis Ss. Lucii et Montani; eorum enim compilator vetustius documentum veluti formae exemplum sub oculis habuit,

augescentibus, consilium (italice *Commissione*) a sapientissimo Pontifice institutum est, die 28 novembris 1902, quod denuo lectiones Breviarii recenseret, easque congruenter emendaret. Non est ergo cur critici quidam, aut qui hanc laudem summopere exoptant, studia atque responsa eruditissimorum virorum, quibus consilium illud constat, intemperanter praeveniant.

(1) Cf. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 279.

Acta scilicet S. Perpetuae, atque Cyprianicis periodis et modis narrationem curavit exornandam;[1] Acta autem S. Perpetuae ab auctore gnostico videntur transcripta, iuxta ea quae de suo posuit, nimirum exordium et quae authenticam narrationem comitantur.

Authentiae indicium est, si temporum adiuncta serventur, praesertim in causae discussione quod *interrogatorium* dicimus; nimirum si hoc iuridicas contineat formulas et processus modus conveniat aetati eventuum qui narrantur. In hoc praesertim veritatis quidam nucleus reperitur, facilis aliquando conspectu et qui facili negotio a superfluis et minus veris notitiis emundari potest. En exemplum quod Edmundo Le Blant ac I. B. De Rossi typicum visum est, quodque vetat martyrium S. Caeciliae temporibus Iuliani Apostatae tribuere, ut Dr. Kellner praesumpsit in suo de *Anno Ecclesiastico* opere:[2]

Documentum inter quartum quintumque saeculum redactum.	Idem, saeculo circiter octavo reproductum.
Almachius Caeciliam sibi praesentari praecepit, quam interrogans ait: Quod tibi nomen est?	Almachius *praefectus sanctam* Caeciliam sibi praesentari iubet. Quam interrogans ait: Quod tibi nomen est, *puella*?
Respondit: Caecilia.	Respondit: Caecilia, *sed apud homines; quod autem illustrius est, christiana sum.*
Almachius dixit: Cuius conditionis es?	Almachius dixit: Cuius conditionis es?
Caecilia respondit: Ingenua, nobilis, clarissima.	Caecilia respondit: *Civis romana illustris ac nobilis.*
Almachius dixit: Ego te de religione interrogo.	Almachius dixit: Ego te de religione interrogo, *nam de nativitate scimus te nobilem.*

(1) Pio Franchi de' Cavalieri, *Gli Atti dei Ss. Montano, Lucio e compagni*, loc. cit.

(2) **ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΑ,** Traduzione del sac. Angelo Mercati, 1906, p. 274. Vide meum opusculum, ex *Ephemeridibus liturgicis* excerptum (september–october an. 1907), *De recenti quadam sententia circa aetatem sanctae Caeciliae martyrii. Confutatio.* Romae.

Almachius dixit: Ignoras cuius potestatis sim ego?

Caecilia dixit: Tu ignoras cuius sis potestatis; nam, si me interroges de tua potestate, verissimis tibi assertionibus manifesto.

Dicit ei Almachius: Dicito si quid nosti...

Almachius dixit: Ignoras cuius potestatis sim ego?

Beata Caecilia dixit: Et tu ignoras cuius sponsa sim ego?

Almachius dixit: Cuius?

Sancta Caecilia dixit: Domini Iesu Christi.

Almachius dixit: Ego te coniugem Valeriani scio.

Caecilia *sancta* dixit: Tu, *praefecte, te ipsum* ignoras cuius sis potestatis; nam si me interroges de tua potestate, verissimis tibi adsertionibus manifesto.

Almachius *praefectus* dixit: *Si nosti dic; delector ex ore tuo audire sermonem...*(1)

Res ob oculos versatur, nempe secundum documentum primum continere ampliationibus mutationibusque foedatum; praeterea primum stylo, ut iam Mabillon iudicaverat, et dictionis genere antiquitatem redolere; idque eo evidentius apparebit si haec verba iudicis: *Domini Nostri invictissimi principes iusserunt ut qui se non negaverint esse christianos puniantur, qui vero negaverint dimittantur*, ad virginem directa, cum istis Edicti Marci Aurelii (an. 177) verbis componantur: τοὺς μὲν ἀποτυμπανισθῆναι· εἰ δέ τινες ἀρνοῖντο, τούτους ἀπολυθῆναι..... Etenim duo textus idem prorsus sonant.

Parvae authentiae notae sunt: « reiterata interrogatoria; quod iudices, ab una ad aliam urbem transeuntes, secum martyres trahant; interminabiles cruciatus »;(2) verba plerumque iniuriosa in iudices vel tortores; responsa subtilia nimis atque dogmatica; prolixitas in dialogis; miraculorum cumulatio; mi-

(1) De Rossi, *Rom. sott.*, t. II, p. xxxiv; E. Le Blant, *Les Actes des martyrs*, p. 28 seq.

(2) Pio Franchi de' Cavalieri, *Nuovo Bull. di arch. crist.*, 1904, p. 18. Huius auctoris scripta, plurimi a criticis habita, valde adiuvant tironem, eumque instruunt in veris a falsis secernendis notitiis passionum cautumque reddunt. (Cf. praesertim *Studi e Testi* quae iam citavi).

rabilium rerum excessus. Hos facile characteres deprehendimus, Passiones aevo medio conscriptas percurrentes; verum et in antiquissimis actis aliquando illos cernere fas est, unde veluti regulae generales quidem statui queunt, non autem absolutae atque exceptionibus carentes; proindeque *cum mica salis* adhibendae, neque debemus verborum decreti Gelasii, iam citati, oblivisci: « Sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint, beati Apostoli Pauli praecedat sententia: Omnia probate, et quod bonum est retinete... Item gesta sanctorum martyrum qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessorum triumphis irradiant. Quis ista catholicorum dubitet et maiora eos in agonibus fuisse perpessos? Sed ideo... etc. ».[1]

Verum enim quidam hodierni critici evidenter exaggerant, cum Passionum auctores in istis conscribendis praeter modum intentos dictitent ad alicui sanctuario venerationem conciliandam. Utinam id fecissent, et nobis certas locorum indicationes tradidissent. Neque debemus parvi pendere auctoritatem Ecclesiae in re liturgica, licet Congregationum responsa infallibilia non sint, eo vel magis quod saepe et qui appellati sunt critici falluntur neque inter se concordant, et archaeologica reperta veras esse quasdam *Passionum* notitias demonstravere, quae a criticis plerisque in globo ut fabulosae habitae iam fuerant.[2]

(1) MIGNE, *P. L.* t. LX, p. 174.

(2) Non parum miratus sum cum haec Duchesne verba relata in diariis vidi, tamquam anno 1903 in Palatio *Pamphili*, Romae, publice prolata: « De la vie et de la mort de ces glorieux martyrs (ceux de Rome) dont on ne connaissait plus guère au moment où sont nées ces légendes que les noms, on n'a su le plus souvent que tirer prétexte à *l'étalage d'un ascétisme presque grossier, d'une rhétorique plate, d'une psychologie sans beauté, le tout accompagné d'une succession de miracles dont l'abondance et la grosseur déconcertent sans toucher.* Quelle différence avec la gravité, le ton simple, les sentiments vrais qui impressionnent encore si vivement à la lecture de la lettre des chrétiens de Smyrne sur le martyre de saint Polycarpe ou des Actes des saintes Perpétue et Felicité de Carthage » (*L'Univers*, 19 febr. 1903). Verba enim quae sublineavi evidenter exaggerant, et nedum res praeter modum obtrectent, etiam hominibus iniuriam faciunt.

Subiiciam hic, utpote ad rem, topographicam Passionum repartitionem ut invenitur in opere: *Études sur les Gesta Martyrum romains*, ab A. Dufourcq. Ex ea quisque intelliget utilitatem quarumdam indicationum quae etiam in documentis minus authenticis percipere possumus. Iste laterculus ita accipi debet, ut scilicet ubi ex. gr. legitur: *Via Lavicana - S. Sebastianus*, intelligatur in *Actis* huius Sancti *Via Lavicana* designari ut indicatio localis sepulcri alicuius martyris. Acta S. Sebastiani in via praefata sepultum ponunt martyres S. Castulum et Tiburtium.

TRADITIONES COEMETERIALES.

1. *Via Appia.* — Ss. Stephanus, Cornelius, Alexander, Urbanus, Martyres graeci, Sixtus, Calocerus et Parthenius, Sebastianus.

2. *Via Latina.* — Ss. Iohannes, Nereus, Eugenia, Stephanus, Gordianus.

3. *Via Lavicana.* — S. Sebastianus.

4. *Via Tiburtina.* — Ss. Symphorosa, Laurentius, Hippolytus, Genesius.

5. *Via Nomentana.* — Ss. Nereus, Alexander, Marcellus, Restitutus, Primus et Felicianus, Agnes.

6. *Viae Salariae* (sc. nova et vetus). — Ss. Maris, Laurentius, Abundius, Alexander, Bibiana, Basilla, Felicitas, Chrysanthus et Daria, Getulius, Nereus, Eleutherius, Crescentius, Leopardus.

7. *Via Flaminia.* — Ss. Abundius, Maris.

8. *Via Cornelia.* — Ss. Maris, Rufinus, Secundus.

9. *Via Aurelia.* — Ss. Processus et Martinianus, Eusebius, Pontianus, Basiles, Pancratius, Petrus et Marcellinus.

10. *Via Portuensis.* — Ss. Abdon et Sennen, Cyrinus, Pigmenius, Simplicius, Beatrix.

11. *Via Ostiensis.* — Ss. Felix et Adauctus, Bonosa, Gallicanus, Censurinus, Aurea, Paulus, Timotheus, Martina, Lucilla, Flora.

12. *Via Ardeatina.* — Ss. Nereus et Achilleus, Caesarius, Montanus, Felix.

Haec topographica distributio, quae perfecta non est, et ad Martyres tantum pertinet, si fieret etiam de Confessorum legendis, facile duplicaretur magisque claresceret.[1] Sic, ex. gr.,

(1) Neminem distributionis eiusmodi utilitas latere potest si perpendatur, ex comparatione harum indicationum cum aliis, praesertim *Itinerariorum*, I. B. De Rossi potuisse fere omnia christiana coemeteria in romana suburbana regione invenire. Exemplum proponam, in quo ipse

Acta S. Sophiae eiusque filiarum, a quodam Ioanne Mediolanensi conscripta, et nomina et topographicam indicationem rectissime continent, licet ita fabulosa visa sint ut Bollandistae, in recentiori operis sui parte, noluerint ea admittere. Habent enim acta illa, praeter Sophiam eiusque filias, simul et quattuor millia fidelium igne fuisse crematos, *inter quos Marcellus presbyter et Decoratus diaconus* aderant, idque factum esse *Via Appia, VII kal. Octobres.* Iam vero, non solum epitaphia et peregrinorum inscriptiones (*graffiti*) praefata nomina commemorant, verum etiam documenta fere omnia quae quodammodo topographica dici queunt de illis martyribus in coemeterio Callisti, via Appia, loquuntur. Ne sim prolixior unum citabo dumtaxat: Pittacia scilicet ampullarum apud Monzam conservata, in quibus legitur: Via Appia ... *Sca Sapientia, sca Spes, sca Fides, sca Caritas, Sca Caecilia*... etc. (Vide in Appendice integrum documentum, discussionem autem criticam de actis S. Sophiae in t. II *Romae subterranae* I. B. De Rossi habes).

archaeologorum christianorum princeps erravit. In citata repartitione (vide supra in textu) S. Sebastianus in via Appia apparet, quia eius *Acta* eum *Via Appia* sepultum faciunt. Eadem *Acta* Marcum et Marcellianum eadem via, *secundo ab Urbe milliario*, depositos affirmant. Atqui haec indicatio, dum in specie ceteris non consonat, quaestionem e contrario conficit; atque ex eo multi sepulcrum Marci et Marcelliani situm in coemeterio Domitillae putarunt quod I. B. De Rossi, nedum a sententia magistri sui P. Marchi declinaret, etiam indicationem illam nihili fecerit. Quapropter non nisi quattuor ante annos quaestio topographica resoluta est, idque sagacibus Wilpert coniecturis qui opportunas fossiones faciendas suggessit. Duae viae, Appia et Ardeatina, cum paulum inter se distent, zona soli quam comprehendunt alterius in dextero, alterius in sinistro latere sita dici potest. En igitur quomodo indicatio praefata difficultatem solvit. Ex *Itinerariis* hae ambiguae indicationes habentur:

1. *Notitia regionum* — Via Ardeatina, *Coemeterium Balbinae ad Ss. Marcum et Marcellianum.*

2. *Index oleorum* — Via Ardeatina, *Sce Petronillae filiae sci Petri Aposto. sci Nerei, sci Damasi, sci Marcelliani, sci Acillei, sci Marci.*

3. *Pittacium ampullae* — Via Ardeatina, *Sca Petronilla, Scs Nereus, Scs Acilleus, Scs Damasus, Scs Marcellinus, Scs Marcus.*

4. *Codex Salisburgensis* — Via Ardeatina, *Et dimittis viam Appiam*

ART. II. – **Calendaria.**

Uti officiales Ecclesiae libri, nulli mutationi obnoxia sine ecclesiasticae auctoritatis consensu erant Calendaria; hinc eorum maximum momentum. Multa quidem sunt ista documenta, sed limitibus loci auctoritatis restrictae; ideoque maximi est faciendum archaeologiae cultoribus Calendarium Romanae Ecclesiae, dictum quoque *Calendarium Liberianum* quia sub Liberio Papa, anno 354, eiusque iussu compositum, atque *Philocalianum* a calligraphi et compilatoris eius nomine. Saeculo autem XVII, cum P. Bucherius S. I. illud curaret edendum, etiam *Bucherianum* vocarunt. Antiquissimum est omnium calendariorum.

Huius documentorum generis formatio episcopis tribuenda est, cum diligenter de martyribus inquirebant tum suppliciorum vi absumptis, tum diuturnis in carceribus macerationibus confectis; idque ut martyris titulo eorum exornarent memoriam. Huc faciunt ista S. Cypriani verba: « Dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter me-

et pervenies ad S. Marcum papam et martyrem, postea ad S. Damasum papam et martyrem via Ardeatina, et ibi in altera ecclesia invenies duos diaconos et martyres Marcum et Marcellianum fratres germanos ..... Deinde descendis per gradus ad Ss. martyres Nereum et Achilleum.

Atque haec quattuor sufficiant, cetera enim documenta eadem ambiguitate laborant. Porro, secundum documentum (*Index oleorum*), cum sit eiusdem auctoris atque tertium (*Pittacium ampullae*), iuxta hoc est corrigendum; nam Nereus et Achilleus eodem in loco depositi fuerunt, et simul semper in ceteris documentis nominantur; ideoque legendum est: *Sci Nerei, Sci Acillei, Sci Damasi* ... etc.

Hisce positis, utro in latere viae Ardeatinae sepulcra Marci et Marcelliani quaerenda sunt? Si *Notitia Regionum* fidimus, forent in sinistro quaerenda, ubi et coemeterium Marci Papae et Balbinae situm haud dubium est. Verum id minime arrisit I. B. De Rossi, et corrigendum putavit documentum (Vide *Itineraria* in calce); quamobrem, licet ex collatione documentorum facile colligi possit quod desideratur, nihil tamen facilius certiusque quaestionem obtruncat omnemque eximit difficultatem, quam indicatio *Actorum Marci et Marcelliani.* Nimirum Marcum et Marcellianum sepultos fuisse *Via Appia* (idest ad dexteram Appiae, quae propinquitatis causa sinistra Ardeatinae dici potest), *secundo ab Urbe milliario, in loco qui dicitur ad Arenas* ... etc.

morias martyrum celebrare possimus: quamquam Tertullus, fidelissimus et devotus frater noster, ... scripserit et scribat ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ad commemorationes eorum ».[1] Igitur ex hac parte Calendariorum indicationes certissimae sunt, et si aliquando inter se discrepant, id aut amanuensium errori adiudicandum, aut translationibus reliquiarum, a quibus non raro ortum nova festa cum relativis anniversariis sumpserunt.

Ad *Philocalianum Calendarium* quod pertinet, diversis ecclesiasticis documentis ipsum constat et quidem magni pretii. Recensentur: 1° *Feriale Romanum*,[2] martyrum festa solemniora comprehendens et insuper *Natalis Domini* et *S. Petri de Cathedra* solemnitates; 2° celeber *Catalogus Pontificum* a S. Petro ad Liberium usque, in quo solum ab Anterote nota mortis temporis conspicitur. Series autem a S. Petro ad Pontianum generatim, post doctissimam quamdam Mommsen dissertationem,[3] ab omnibus ore uno *Chronicon Hippolyti* fundamentum habere dicitur; 3° tabella *Depositio Episcoporum* nuncupata, quae ita necessaria archaeologis est ut I. B. De Rossi veluti domestico instrumento ea usus sit in II *Romae subterraneae* volumine. Est simplex laterculus duodecim pontificum nomina continens cum nota temporis depositionis ac coemeterii indicatione:

(1) *Epist.* 37.

(2) Ita vocatum est a De Rossi, qui insuper rationem dat cur nomina et festa martyrum illustrium, ut exempli gratia S. Caeciliae, desint. Marucchi, Tillemont secutus, ideo, putat, nomen S. Caeciliae in Feriali deesse, quod eius festum non ita esset solemne quam postea factum sit. At Pr. Kellner (op. cit.) inde concludit, inanibus et aliis fretus rationibus, S. Caeciliae martyrium ad persecutionem Iuliani Apostatae spectare. Non est hic locus tam ab historia alienae confutandae sententiae; unum hoc addam: scilicet, si Kellner argumentum valeret, etiam S. Agnes et innumerabiles alii, pontificibus pluribus non exclusis, certo Romae necati ante Constantini aevum, posteriori aetati attribui deberent. — Cf. huius sententiae meam confutationem in *Ephemeridibus Liturgicis* an. 1907, september-october, *Elucubrationes historico-liturgicae.*

(3) *Atti dell'Accademia reale di Sassonia*, Philol. hist. Classe, t. I, p. 361.

DEPOSITIO EPISCOPORUM.

VI kal. Ianuarias . . .	*Dionysii in Callisti* . . .	(a. 269)
III kal. Ianuar. . . .	*Felicis in Callisti* . . .	(a. 274)
prid. kal. Ianuar. . . .	*Silvestri in Priscillae* . .	(a. 335)
IIII idus Ianuar. . . .	*Miltiadis in Callisti.* . .	(a. 314)
XVIII kal. Feb. . . .	*Marcellini in Priscillae.* .	(a. 304)
III non. Mar.	*Lucii in Callisti*	(a. 255)
X kal. Mai.	*Caii in Callisti*	(a. 296)
IIII non. Augustas. . .	*Stephani in Callisti* . . .	(a. 255)
VI kal. octob.	*Eusebii in Callisti* . . .	(a. 310 vel 311)
VI idus Decemb. . . .	*Eutychiani in Callisti* . .	(a. 283)
Non. Octob.	*Marci in Balbinae* . . .	(a. 336)
prid. idus Apr.	*Iuli in via Aurelia millia-rio III in Callisti* . .	(a. 352)

Ut patet, tabella haec circumscribitur an. 255 et 352, redacta fuit anno 354, seu potius, cum iam ab anno 335 formata esset eam Philocalus complevit, duobus Marci et Iulii nominibus adiunctis. De parvo aliquo chronologico errore non attinet hic dicere,[1] attamen notandum est huic laterculo in Philocaliano Calendario indicem Praefectorum Urbis praecedere iisdem chronologicis terminis circumscriptum. Ex hoc effectum est ut I. B. De Rossi de quadam inter duos laterculos congruentia suspicaretur. Hodie omnibus probatur *Depositionem Episcoporum* ab *Indice Praefectorum Urbis* pendere, atque ut De Rossi sagaciter opinatus est, in hoc dependentiam consistere, quod indices ambo ex codicibus tabularii praefecturae urbanae, ubi et Praefectorum et Pontificum nomina describebantur, transcripti fuerint.

Haec documenta compilationi *Libri Pontificalis* ac *Martyrologiorum* non mediocriter inservierunt. *Index Philocalianus* insuper calendarium astronomicum continet cum canone paschali iuxta Hippolyti cycli computationem exarato, tabellam fastos recensentem imperatorios (*Natales Caesarum*), et aliquos fastos consulares.

Una cum Calendariis et *Capitularia Evangeliorum* numerari possunt, necnon *Antiphonaria*, et generatim omnes liturgici

(1) Videsis I. B. DE ROSSI, *Roma sotterranea*, t. II, p. IV–VII.

codices, in quibus festa et martyrum officia, viae, regiones, basilicae, coemeteria, ubi stationes fiebant, praenotantur. Quae quidem locorum indicationes si in codicibus saeculo nono vetustioribus inveniantur, maximi sunt momenti, nam ante illud tempus topographicus ordo coemeteriorum Romae minime turbatus fuerat; proindeque sanctuaria indicantur adhuc magno populorum concursu venerata, utpote nondum reliquiis destituta. Duo *Capitularia Evangeliorum*, Calendariorum sub titulo, evulgata sunt, alterum a Fronto, alterum a Martene, quae satis accurato indice Martyrum Natalium instruuntur, quodammodo nomen inditum confirmante. (1)

Art. III. — Martyrologia.

Haec documenta, uti iam innui, ex omnibus calendariis simul coniunctis ortum ducunt; praesertim ex *Calendario Liberiano*. Omnium antiquissimum *Hieronymianum* creditur, quod est quoque fundamentum ceterorum; ita vocatum, quia, non prorsus immerito, S. Hieronymo adiudicabatur, modo ut auctori, modo ut revisori et coordinatori eius. Nostris vero temporibus omnes critici in eo consentiunt, ut illud saeculo quinto exeunte Antissiodori compilatum fuisse affirment, prius autem in Italia notis et laterculis iam existentibus conflatum; eiusmodi denique notas martyrologicas et laterculos ad Constantinianum usque aevum pertingere posse. Quamobrem nihil obstat quominus existimemus talia excerpta fuisse ex Eusebii quodam opere, nobis minime transmisso.

Haec est summa critici examinis documenti, idque iam suspicatus erat Mansi saeculo XVIII; etenim: « si quid sapio », ait egregius auctor, « martyrologium istud ex multis priscis martyrologiis et calendariis bene male inter se consertis coniunctisque confartum est, ut melius centonem dixeris martyrologiorum quam unicum martyrologium ..... quae sit libri huius utilitas ex his quae hucusque disserui facile apparet. Quam-

(1) Frontonis, *Epistolae et Dissertationes*, edit. Hamburgi, 1720, p. 211; Martène, *Thes. anecd.*, 1717, t. V, p. 63.

quam enim non ante saeculum octavum vel septimi exitum coaluit, multa tamen derivata in illud sunt ex antiquissimis hagiologiis, eaque non aliter nobis innotuissent, nisi auctori venisset in mentem, ut in opus suum referret. Multa sunt in toto hoc libro, quae antiquitatis colorem retinent ».[1]

Affirmat I. B. De Rossi, se in Hieronymiano antiquum catalogum pontificum recognovisse, a S. Petro usque ad Stephanum I saltem se porrigentem. In quod ipse Mommsen convenire videtur, qui in sua *Libri Pontificalis* recensione haec habet: « Certe inde a vergente saeculo secundo episcoporum eius laterculus extitit ita formatus, ut Petrum non solum ecclesiae urbis Romae creatorem faceret, sed item conditorem episcopatus singularis, et ab eo incipiens decurreret ad tempora posteriora ».[2]

Hoc documentum, quale a I. B. de Rossi et Duchesne recensitum fuit, introductionem secundi voluminis mensis novembris apud *Acta Sanctorum* a Bollandistis edita constituit.[3] In primo capitulo est *Recensio critica codicum* (De Rossi auctore); in secundo Duchesne tractat *De Gallicana martyrologii recensione*, atque in tertio *De martyrologii origine et fontibus*. Sequitur textus mar-

(1) Pauli, *Dell'epitaffio di S. Felice, Appendix monum.* p. xxxvii sqq. « Io, ait I. B. De Rossi, post citata Mansi verba, senza punto conoscere questo giudizio, nel quale mi sono imbattuto recentemente, dal solo esame del martirologio geronimiano, fui persuaso essere quella una preziosa accozzaglia di antichi martirologii di chiese diverse e di frammenti vetustissimi, ma incredibilmente guasti, mutilati, fra loro confusi da ignoranti copisti e da più ignoranti ed arbitrarii abbreviatori. E dentro quel gazzabuglio vidi chiaro giacere nascosto il più vetusto martirologio della Chiesa Romana, trascritto da due codici con indizi manifesti di annotazioni contemporanee e a Bonifacio I eletto nel 418, e a Milziade, che per favore di Massenzio ricompose la Chiesa Romana scompigliata dalla persecuzione di Diocleziano, e forse perfino ad Anterote che sedette un solo mese e dieci giorni nel 236 » (*Rom. sott.*, t. I, p. 113).

(2) *Monumenta Germaniae historica: Gesta pont. Rom., Prolegomena*, p. viii.

(3) Acta SS., t. II nov. (pars prior), Bruxellis, 1894. — Separatim quoque apparuit sub hoc titulo: *Martyrologium Hieronymianum ad fidem codicum additis prolegomenis ediderunt Ioh. Bapt.* De Rossi *et Ludov.* Duchesne.

tyrologii, ubi variis in columnis referuntur a I. B. De Rossi diversae formae ipsius. Quanti denique sit momenti, pro christiana Romae historia, *Martyrologium Hieronymianum* ex his Duchesne verbis, quae totius codicis sunt brevissimum compendium, eruitur: « In martyrologio Hieronymiano habemus Kalendarium Romanum sedente Miltiade (311–314) ordinatum, mox sub Marco (336), Liberio (352–366), Innocentio (401–417) auctum vel recensitum, demum, an. circiter 422, ad eam formam redactum quam ex superstitibus codicibus eruere possumus ».[1] Ignotus autem auctor saeculi v, in Martyrologio compilando, calendario quoque orientali et diversis calendariis africanis usus est.

Processu temporis, cum maiores in dies notitiae sanctorum insererentur, martyrologium incredibili modo excrevit. At, saeculo circiter nono, alia redacta sunt martyrologia, in quibus laterculi desciscunt ut historicis notitiis dent locum. Commemorationi sanctorum plura de eorum vita singulatim subnectuntur vel saltem de eorum martyrio. Verumtamen notitiae huiusmodi non semper ex historicis fontibus hauriuntur; saepe saepius non sunt nisi anteriorum Passionum reminiscentiae omni authenticitatis charactere destitutae.

Primum martyrologium huiusmodi historicus Anglo-Saxonicus Beda conscripsit anno 731. Ei fundamentum praebuit Hieronymianum. Deinde saeculo nono aliud prodivit, Adone Viennensi Episcopo auctore, quod ceteris generis eiusdem praecellit. Tribus constat partibus: 1° calendario in quo unicuique diei unum vel plura sanctorum nomina cum brevibus eorum vitarum notis subiunguntur. In diversis eius editionibus falso *Vetus martyrologium Romanum* dicitur, quod nomen habuit a Jac. Mosander et Henr. Rosweyd editoribus primis; 2° libello *de festivitatibus Ss. Apostolorum*; 3° vero et proprie dicto martyrologio, locis Actorum et Passionum martyrum refertum et fere conflatum.[2]

(1) Op. cit. p. L.

(2) Longe aliud, nostris temporibus, fertur de martyrologiis Hieronymiano posterioribus a criticis iudicium atque saeculo elapso. Re enim vera (est quaedem DUFOURCQ observatio, *Etudes sur les Gesta Martyrum*

Usuardi Martyrologium chronologice tertium locum tenet; multo ceteris pauperius notitiis, sed politiori forma exaratum. Ceterum Adonis vestigiis inhaeret.

Denique Martyrologium venit Rabani Mauri et Martyrologium Notkeri, longe praecedentibus deteriora. Omnia vero communem in Hieronymiano habent radicem, neque uti documenta officialia duci debent.

Martyrologium hodie quod dicitur Romanum, aliud non est nisi Hieronymianum ampliatum in usum Ecclesiae Romanae, atque saeculo XVI refusum emendatumque a Cardinalibus Baronio et Sirleto cum astronomi L. Giglio cooperatione. Ad auctoritatem autem quod pertinet, qua personae in hoc martyrologio nominatae veneratione dignae declarantur, memoria retinenda sunt quae Benedictus XIV habet in *De Servorum Dei beatificatione*; nimirum quod nomina sint in martyrologio inserta, hoc minime canonizationem significare.(1)

ART. IV. — Liber Pontificalis.

Loquens de Libro Pontificali, I. B. De Rossi haec scribit: « In Gestis pontificum Romanorum merito illa vitarum series primum tenet locum, quam modo ab Anastasio Bibliothecario, modo Pontificalem Librum vocarunt. Certum est atque communis criticorum sententia, hunc librum minime ab Anastasio compilatum fuisse, sed multo eo esse antiquiorem, eiusque diversas, diversis redactas temporibus, extitisse compilationes ... Praeter Pontificium Filocalianum Catalogum, eique parvam Chronicam insertam, quae paullo ante primum dixi Libri Pontificalis nucleum praestitisse, nullum vitarum Pontificum Romanorum seriei indicium inveni saeculo anterius VI.

romains, p. 18 sqq.), quomodo Prudentius, Itineraria et Calendaria antiquissima, item Damasi scripta eiusque aequalium tam parce de Martyribus loquuntur, cum, saeculo IX, omnia sint clara, omnia cognoscantur atque large abundeque narrentur? Aut igitur saeculo nono melius gesta Martyrum in cognitionem venisse quam saeculo IV et V, aut fictis et commenticiis saginata esse, decursu temporis, notitiis concludamus oportet.

(1) I, 43; et IV, pars 2ª, p. 17.

Huius initia saeculi fragmentum illud spectat quod in vetusto quodam codice Veronae inventum, I. Blanchinus et Muratori evulgarunt;[1] in quo ultima vitae Anastasii papae verba († 498) eiusque successoris Symmachi tota vita, a schismatico atque huic pontifici aequali obtrectanteque auctore conscripta, tantum supersunt. Ego autem Veronae originalem codicem examinavi; atque fragmentum illud ad integrum perspexi Librum Pontificalem pertinuisse, in quo omnium Romanorum pontificum a S. Petro ad Symmachum vitae describerentur: superstes Symmachi vita numero LII signata erat. Huic seriei continuator quidam Symmachi successorum nomina cum annis ad Vigilium usque subiunxit; cuius mortem subtilioribus certissimisque notis consignavit.[2]

« Quidam igitur Pontificalis Liber iam a saeculi VI exordiis extitit; atque schismaticus auctor vitarum Anastasii II et Symmachi, quas verisimiliter solas perfecit, ipsas ceteris praecedentibus ab aliis iam conscriptis auctoribus adiunxit. Magna nobis iactura est quod integra illa series non inveniatur hodie; fortasse vero apparens iactura dumtaxat, nam si integra series recuperaretur, eadem atque in aliis codicibus huiuscemodi pontificum gesta fortasse haberemus. Pontificalis enim Libri nota nobis est prima quaedam recensio, anno circiter 530 conclusa, cum esset pontifex Felix IV.[3] Iam vero, recensio ista Ss. Damasi Hieronymique suppositicias litteras prae se ferebat; unde accidit ut Damasi opus Liber Pontificalis antiquitus haberetur; quod sane mihi illud persuadet, Vitas Pontificum in Felicem desinentes non primum in lucem tunc temporis prodiisse, sed et antiquiores existimatas, et reapse VI fuisse saeculo anteriores ».[4]

(1) Blanchinii (Iosephi) *enarratio symboli pseudo-athan.* p. 104; eiusdem, *Anast. bibl. Vitae rom. pont.* t. IV, p. LXIX; Muratori, *Script. rer. ital.* t. III, par. II, p. 47.

(2) Cf. Mansi, *ad Baron.* ed. Luc. t. X, p. 153, nota 1; De Rossi, *Inscript. christ.* t. I, p. 483.

(3) Cf. Schelstrate, *Antiq. eccl.* t. I, diss. III; et Blanchinii *ad Anastasium praefat.* cap. 9 et 15; Biraghi, *Hist. Datiana*, p. XII.

(4) De Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 122.

Haec paullo diffusius a I. B. De Rossi volui citare, ut appareret quam sagaciter de origine naturaque Libri Pontificalis iudicaverit Archaeologiae sacrae princeps, qui hoc in genere elucubrationum Duchesnio Mommsenioque viam stravit. Mommsen, postquam *inde a vergente saeculo secundo episcoporum eius laterculum* affirmavit *extitisse, ita formatum, ut Petrum non solum ecclesiae urbis Romae creatorem faceret, sed item conditorem episcopatus singularis, et ab eo incipiens decurreret ad saecula posteriora,*[1] scribit: *Primitivus hic episcoporum Romanorum index fundamentum est vitarum pontificum Romanorum corporis quod edimus pseudo-Damasiani.*

Hic igitur liber primum a clerico redactus est legitimo Pontifici Symmacho (498–514) favente; sed cum ipse parum vel fere nihil esset litteris instructus, praeterquam catalogis praecedentibus, inscriptionibus monumentisque suo quidem tempore existentibus, etiam apocryphis quibuscumque usus est codicibus, quos certis notitiis inseruit, omnia ineptissime commiscens. Alii plures deinde operam impenderunt, et a saeculo VIII synchroni quidem auctores redactionem persecuti sunt. Quapropter multas hic liber locorum notitias praebet ubi pontifices sepulti sunt eorumque gestorum; at propter corruptiones et interpolationes, quas paullo ante commemoravi, caute ac solerter adhibendae sunt, si ante saeculum sextum recenseantur. In posterioribus notitiis magna est fides habenda, licet ante saeculum octavum errores in ipsis non desint; ab hoc tamen saeculo Liber Pontificalis veluti officiale Romanae Ecclesiae documentum evadit, proindeque certissimum. Brevi, tironibus dux necessarius est omnino in huiusce documenti studio; quamobrem lectorem ad Duchesnii egregias in Librum Pontificalem elucubrationes mitto,[2] atque etiam ad eiusdem libri Mommsenianam editionem; neque miretur studiosus tam crebras inter illos viros discordantias interesse, cum diversam

(1) *Monumenta Germaniae historica, Gestor. pontificum romanorum, Prolegomena*, p. VIII.

(2) *Études sur le Liber pontificalis*, Paris, 1877; *Le Liber pontificalis*, Paris, 1886.

adhibuerint methodum, et in quaestionibus historicis, ubi desint incorrupta documenta, quisque pro suo naturali quodam criterio de rebus propositis diiudicet. Ad testimoniorum prolationem in hoc libro quod pertinet, volumine Mommsen utar, qui large Duchesne studia adhibuit, et ad quem lectorem remittit veluti ad *ducem etiam in tenebris fidum et prudentem.*[1]

In fine voluminis, praeter alias de hoc Libro notitias, epitome Feliciana et Cononiana describitur a S. Petro usque ad S. Damasum, cum notis historico-archaeologicis appositis praesertim circa sepulturam pontificum spatio permittente.

ART. V. — **Topographiae atque Itineraria.**

Classis haec documentorum christiana coemeteria ubi sita sint plus minusve perspicue designat. Horum sane non fuit I. B. De Rossi inventor, sicuti quidam germani ephemeridum scriptores dictitarunt; sed, cum intelligeret eruditissimus vir ea, si aliqua in bibliotheca pulverulenta adhuc extarent, utilissima archaeologiae cultoribus evasura, utpote pretiosas circa christianorum coemeteria notitias continentia, maximo quaesivit labore, invenit, ac primus utilitate quamplurima iis usus est.

I. B. De Rossi neminem opinatus est de elencho monumentorum Romanae Ecclesiae redigendo ante saeculum quintum cogitasse; propterea quod duo quattuordecim Urbis regionum catalogi, nempe, *Notitia regionum urbis Romae*, et *Curiosum urbis Romae*, non nisi paganae Urbis topographiam exhibent, eorumque primus, in calendario christiano anno 334 edito transcriptus, una cum quadam chronicae mundi versione, S. Hippolyto attributae, cuiuspiam monumentorum christianorum ex-

(1) Op. cit. p. XLII. His nolumus tamen omnia in praefatis recensionibus absolute commendare, praesertim in Mommseniana, in qua praeiudicatae opiniones auctoris de Ecclesia Catholica hinc illinc prodeunt, et insipidae quaedam facetiae huius generis: « Quibus copiis instructus auctor accesserit ad gesta pontificum Romanorum enarranda quaerenti Pseudo-Damasus respondet haec reperisse se *suae sedis studio*, id est sibi ipsi ecclesiae Romanae episcopo scrinia eius patuisse, praeterea auctores non adlegans; scilicet hic quoque Roma locuta est ». Op. cit. p. XVIII.

pers non fuisset, si quid huiusmodi iam extitisset. Quae quidem I. B. De Rossi opinio, sicuti et aliae paucae, ob ulteriora studia inventionesque erit fortasse mutanda.

Prima monumentorum christianorum notitia, – item ex I. B. De Rossi sententia, – annum spectans 449, Calendario Polemii Sylvii inserta apparet, quod unice in Bruxellensi codice servatur. Ibi, post catalogum monumentorum notabilium, *quae sint Romae*, ut habet titulus, hoc legitur: *Insularum quadraginta V millia, extra horrea publica CCC, domus nobiliorum et fanorum aedes atque pistrina sive religiosa aedificia cum innumeris cellulis martyrum.*(1) Unicum est hoc totius documenti indicium topographicum.

In quodam syriaco codice Bibliothecae Vaticanae annum circa 540 conscripto a quodam Zaccaria rhetore armeno, postea episcopali dignitate honorato, cuius editionem Cardinalis Angelus Mai curavit, haec leguntur: *Apostolorum ecclesiae XXIV... sepulcra VM, in quibus congesta sepeliuntur cadavera*; verba, ut videntur, valde obscura, nam de puticulis tantum agitur qui cum polyandriis confundendi non sunt, cum haec veluti exceptiones fuerint apud Christianos. Zingerle ita putavit textum syriacum vertendum: *Sunt in ea ecclesiae Apostolorum beatorum, ecclesiae catholicae XXIV ... sunt in ea loci sepulturarum, ubi congregantur et sepeliunt, quinque millia*; quae lectio, si minus quam illa videtur obscura, ne ipsa quidem perspicua dicenda. I. B. De Rossi vero, quo erat acumine, hisce ex indiciis deduxit, ante annum 540, *Notitiam* quamdam *regionum Urbis* non defuisse, quam si non invenit, ad aliam nihilominus eius cupido et labor perduxit notitiam inveniendam illi equivalentem; nam inter alia mentionem coemeteriorum faciebat, hoc sub titulo: *Cimiteria totius Roman* (sic). En pretiosa indicatio:

Cimiterium Prisallae (lege *Priscillae*) *ad sanctum Silvestrum via Salaria. Cimiterium Iordanorum ad sanctum Alexandrum via Salaria. Cimiterium Pretextati ad sanctum Ianuarium via*

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. I, p. 129; Mommsen, *Laterculus Polemii Silvii* in *Mon. Germ. hist., Auctt. ant., Chron. minora*, t. I, p. 545.

Appia. Cimiterium Domicile (lege *Domitillae*) *Nerei et Archilei* (*Achillei*) *ad sanctam Petronillam via Ardeatina. Cimiterium Catacumbas ad sanctum Sebastianum via Appia. Cimiterium Calisti ad sanctum Sistum via Appia. Cimiterium ad duos lauros ad sanctum Petrum et Marcellinum via Lavicana. Cimiterium Balbinae ad sanctum Marcum et Marcellianum via Ardeatina. Cimiterium ad sanctam Columbam ad caput sancti Iohannis ad clivium cucumeris. Cimiterium ad insalatos ad sanctum Felicem via Portuensi. Cimiterium Pontiani ad ursum pileatum Abdon et Sennen via Portuensi. Cimiterium Bassille ad sanctum Hermen via Salaria. Cimiterium Basilei ad sanctum Marcum via Ardeatina. Cimiterium Commodillae ad sanctum Felicem et Adauctum via Ostiensi. Cimiterium Calepodii ad sanctum Calixtum via Aurelia. Cimiterium Trasonis ad sanctum Saturninum via Salaria.*[1]

I. B. De Rossi putat hunc catalogum mutilum, eo quod sexdecim tantum recensentur in eo coemeteria, nec fit verbum de viis Flaminia, Nomentana, Tiburtina, Latina. Florentinius, in notis *ad Hieronymianum*, loquitur de quodam codice Haedino, hodie irreperto, in quo 21 coemeteria numerabantur. Paucis abhinc annis novum coemeterialem Romanum inveniebat catalogum Emus Cardinalis Rampolla, anno 1455 ex alio codice bibliothecae Nicolai V transcriptum; quo numerum coemeteriorum 17, contra id quod I. B. De Rossi eiusque schola existimabant, verum absolutumque accipiendum demonstrat Eminentissimus inventor, qui omni ex parte catalogum inlustravit; idemque prototypon documentorum huiuscemodi affirmat ad aetatem usque Liberii (352-366) pertingere.[2] Ceterum descriptus catalogus a I. B. De Rossi inventus maximi faciendus est, licet hiatibus erroribusque laboret; immo novissimae Wilpert explorationes in coemeterio Callisti illum non ita mendosum atque I. B. De Rossi putavit commonstrant, quod videbimus postea cum de coemeterio Marci et Marcelliani erit sermo. Eius aetas saeculum VI non superat.

(1) Ap. De Rossi, *Roma sott.* t. I, p. 131.

(2) *Di un catalogo cimiteriale romano e di una biografia di S. Melania*, Roma, Bertero, 1900.

Eiusdem aetatis est verisimiliter *Index oleorum*, quem etiam vocant Itali *il papiro di Monza*; documentum topographicum summi pretii, ubi non quidem coemeteria sed ipsa martyrum sepulcra numerantur eodem plus minusve quo poterant ordine a peregrinantibus visitari. Auctor illius fuit quidam Abbas Iohannes, qui exeunte saeculo sexto Romam adiit, martyrumque reliquias cum obtinere a Gregorio Magno nequivisset (nondum enim Romae usuvenerat sanctorum corpora dividi vel transferri), Pontifice tamen concedente, ex lampadibus ad martyrum sepulcra accensis olea in ampullas collegit, easque Theodolindae Longobardorum reginae donavit. Pittacia autem ampullarum describi curavit in membrana sic incipiens: *Notitia de olea* (sic) *Ss. Martyrum qui Romae in corpore requiescunt, id est* ... (sequitur laterculus nominum) *Quas olea sancta ... adduxit Iohannis indignus et peccator dñe Theodolinde reginae de Roma.* Optima Indicis huius editio ea est quam Marini curavit,[1] neque sublatae sunt quaedam leves topographici ordinis discrepantiae perturbationesque, archaeologorum ingenia adhuc torquentes. Sed de istis alio loco loquendum. Notandum interim aut indicem oleorum incomplete fuisse redactum, aut ipsum Iohannem peregrinationem non complevisse, cum nihil de viis Portuensi, Latina, Lavicana et Flaminia in Indice appareat. Marinius nihilominus feliciter hoc uti documento nescivit, videlicet animo non reputavit illud cum Itinerariis esse conferendum, sicuti I. B. De Rossi fecit, ideoque nullam exinde practicam utilitatem percepit.

Nominata Itineraria re atque fine topographica sunt documenta ad Romam martyrum pertinentia. Primum horum quod in lucem prodiit illud fuit cui *Malmesburgense* nomen inditum, ex historico Willelmo Malmesburgensi qui saeculo XII *Gestis regum Anglorum* documentum inseruit, cum de peregrinantibus atque Crucesignatis Limina sub Urbano II adeuntibus narraret. Novit illud Antonius Bosius, at serius; namque

(1) GAETANO MARINI, *I papiri diplomatici raccolti ed illustrati*, Roma, 1805.

ordini topographico iam stabilito noluit mutationes inferre, quae ex novo documento apponi debuissent. Ceterum etiamsi mutare optasset, tantum vitae non suppetivit ut utiliter illud capesseret. Optimus *Malmesburgensis* textus ad fidem antiquiorum codicum exaratus Londini in lucem venit,[1] anno 1840.

Secundum apparuit quod Einsiedlense vocarunt, quia in bibliotheca Einsiedlensis monasterii inventum, quodque Mabillon, anno 1685, apud sua *Vetera analecta*, evulgavit.[2] Blanchini novam eius curavit editionem una cum *Malmesburgensi*, quae Mabillonii editionem mendosam non parum superavit: tertia denique editio saeculo elapso satis correcta Haenelii cura prodivit.

Huius veluti pedissequa, tertia Topographia seu Itinerarium apparuit hoc titulo: *De locis sanctorum martyrum quae sunt foris civitatis Romae*, ab Eckarto inventa, in quodam Würzburgensi codice, qui eam, anno 1729, in *Commentariis de rebus Franciae Orientalis*[3] insertam pervulgavit. Illam quoque nescierunt antiquitatis cultores I. B. De Rossi aetate anteriores; hic vero, statim atque illius exemplar prae manibus habuit, desiderio accensus est originale manuscriptum examinandi quod Eckarti editioni inservierat; idque, multum post laborem, in duo exemplaria non parum inter se discrepantia, manu autem saeculi IX vel X conscripta, comperit in Viennensi bibliotheca, post frustra in Würzburgensi ac Salzburgensi quaesitum. Praeterea in aliud I. B. De Rossi incidit documentum eiusmodi, titulum prae se ferens: *Notitia Ecclesiarum urbis Romae*, magni quoque momenti, inque diversas denique editiones diversaque manuscripta *Mirabilium Urbis Romae* (quae paullo ante commemoravi), quorum antiquius saeculo XII descriptum, aliud manuscriptum vetustius correctiusque supponit.

Lectorem humanissimum, plura atque intimius cupientem de citatis documentis cognoscere, ad I volumen insignis I. B. De

(1) WILLELMI MALMESBURGENSIS *Gesta regum anglorum ad fidem codic. mss. recensuit Th. Duffus Hardy*; cf. *Roma sotterr.* t. II, pp. 539-544.

(2) MABILLON, *Vetera analecta*, t. IV, p. 350.

(3) ECKART, *Comment. in rebus Franciae Orient.* t. I, pp. 831-833.

Rossi operis *Roma sotterranea* remitto.[1] Hoc unum hic adiungam, nimirum: si documenta illa adamussim essent redacta, nulla inter ea discrepantia intercedere, nullumque superesse dubium deberet de cuiuslibet coemeterii situ in I. B. De Rossi topographicis descriptionibus. Sed contra accidit; nam, praeterquam quod eorum errores summi magistri cerebrum incessanter exercuerunt, cum ipse, rerum collatione, ad concordiam ea reducere cum monumentis conatus esset, in paucis corrigendis, quae ipse menda putabat, et ipse erravit. Itaque dum topographica pars exhausta et fere confecta videbatur, nova eruta monumenta de erroribus docuerunt novaque topographica problemata excitarunt.

Videat humanissimus lector in *Appendice*, veluti in quodam prospectu, collectionem documentorum ad topographiam pertinentium, de quibus hucusque in hoc paragrapho fuit mentio; eodem hoc ordine conspici possunt in I. B. De Rossi eximio opere *Roma sotterranea*. Nec volui nec alium valuissem excogitare ordinem, quo, ut in isto, uno fere intuitu omnia quae ad quamlibet romani suburbii regionem spectant oculus amplecti posset. Neque correctiones, vel potius notulas a I. B. De Rossi appositas, iuxta illud quo ducebatur criterium in suis investigationibus, omittendas existimavi. Id fiat e contrario studiosis optima ratio iudicandi quomodo et praestantissimo ingenio vir facile possit hac in materia falli; indeque lector, si sapiat, cautior fiat.

Partem harum peregrinationum quae ad ipsam Urbem spectat omisi, studiosum ad auctores remittens, praesertim ad insigne opus Hartmann Grisar, *Roma alla fine del mondo antico*.[2]

Alia erat insuper aevi medii peregrinantium meta praecipua, loca scilicet sancta in Palaestina, de quibus antiquissimum itinerarium illud est quod F. Gamurrini in quodam manuscripto Aretino invenit atque inter an. 1887 et 1888 evul-

(1) *Roma sotterranea*, t. I, p. 130 sq.

(2) Cf. LANCIANI, *L'itinerario di Einsiedeln e l'ordine di Benedetto canonico* in *Monumenti antichi pubblicati per cura della R. Accademia dei Lincei*, an. 1891, punt. 3, p. 438 et seq.

gavit.[1] Hoc documentum, cui nomen inditum est ab ipso Gamurrini *Peregrinatio Silviae*, maximi fit ab omnibus, nedum archaeologiae, sed etiam liturgiae peritis; et licet ultimo non constet conscriptum a Silvia, celebris administri Rufini sorore, fuisse, quarto tamen ad finem vertenti saeculo merito tribuitur.

Documentum hoc non est integrum: deest pars altera in qua peregrinatio per Aegypti regiones, ut videtur, describitur. Huic chronologice par est itinerarium *Peregrini Burdigalensis*, quod vocant, cuius indicationes, potissimum post cuiusdam ichnographiae Palaestinae inventionem, de quo mox loquendum erit, adhuc hodie reperiri et conferri possunt. Sed fusius loco suo redibit de hoc sermo. Notamus interim quaestionem de urbis Ierusalem topographia plusquam viginti excitasse systemata inter Germanicos et Anglicos eruditos, vehementer et satis acriter inter se pugnantes, neque unquam ad certam conclusionem saeculo ultimo pervenisse.[2] Quaestio, nunc universalis facta, aliquantulum profecit, postquam novam lucem attulit novum pervulgatum monumentum.

Anno 1896, P. Cleophas, graeci Hierosolymitani monasterii bibliothecarius, in antiquo pavimento basilicae cuiusdam saeculi quarti vel quinti, Sanctorum Locorum mutilam geographiam detexit opere musivo confectam. Pars superstes urbem Ierusalem exhibet una cum praecipuis circumstantibus sanctuariis et pagis. Quanti sit hoc musivum habendum non est ex meo instituto demonstrare; de eo tamen aliquid summatim dicam.

Auctor videtur descripsisse quae revera visebantur, atque non parum cum indicationibus topographicis Eusebii convenit, et ex eo liquido patet, iam tunc temporis (fortasse initio sae-

(1) *Biblioteca dell'Accademia storico-giuridica*, t. IV, Roma, 1887; *Studi e documenti di storia del diritto*, aprile-sept. 1888.

(2) Verum antiquissima quaedam topographia non deerat, descriptio scilicet Iosephi in suo de *Bello Iudaico* opere (V, IV, 1, ed. Firmin-Didot), sed ista vetustior est quam ut possit, post tot tamque conspicuas mutationes, inservire, licet veluti fundamentum accipienda sit cuiuscumque id genus elucubrationis (cf. *Revue biblique*, an. 1892, pp. 17-38). Maximam autem utilitatem habet in studiis biblicis.

culi quinti) pauca quaedam sanctuaria et loca falso indicata fuisse. Iordanus, Mare mortuum, Ierusalem, Iericho, Bethlehem aliaque minora loca sancta adhuc apparent ibi; Aegyptus quoque, et Desertum certissime conspiciebantur; fortasse etiam Constantinopolis. Quod autem in rem nostram maxime conducit, ibi cum pagis, montibus, arboribus (et famosa Terebintho), porticibus, etiam ecclesiae, templa diversaque sanctuaria describuntur iuxta eorum architectonicam formam. Indicationes denique clarissimae sunt, correcte redactae lingua graeca, ita ut non aegre possint etiam in praesenti reproductione legi (Tab. 1).[1] Quapropter hac ichnographia feliciter utuntur non solum archaeologi christiani, verum etiam et amplius qui studiis biblicis vacant.

Neque spernendae sunt archaeologo ichnographiae profanae, quippe quae indirecte et per ethnica monumenta saepe christiana sanctuaria indicare valeant. Qua de re, praeter citatum P. Grisar opus, utiliter I. B. De Rossi[2] et A. Lanciani opera[3] consuluntur, qui mirum in modum urbis Romae topographiam illustrarunt (Tab. 2).

Utiles quoque indicationes praebent scripta S. Hieronymi, Evagrii, Eusebii, collectio Metaphrastea;[4] parum autem praecisae videntur indicationes itinerariorum posteriorum, ut relatio Ep. Arculphi (saec. VII) in tres libros distincta;[5] item *Liber peregrini* quem Willelmus Malmesburgensis (saec. XII) apud sua *Gesta regum anglorum* insertum habet et quaedam Armena descriptio (*Loca sancta*) a Moyse Kagankatvatsi redacta.[6]

(1) *Revue biblique*, 1897, *La mosaïque géographique de Mâdaba*, pp. 165–184; 450–458.

(2) *Note di topogr. romana* in *Studi e documenti*, 1882, p. 49; *Piante icnografiche e prospettiche di Roma.*

(3) Loc. cit. Cf. JORDAN, *Topographie der Stadt Rom* (1871–1878), 2, I et seq.; ELTER, *De forma urbis Romae deque orbis antiqui facie*, diss. 1 et 2, Bonnae, 1891.

(4) Apud GRETTEN, *De sacris peregrinationibus*, Ratisb. 1734, t. IV.

(5) MABILLON, *Ann.* ord. S. Bened., III.

(6) Ed. D. HARDY, Londini, 1840, II, p. 359 et seq.; ed. Francofurti, 1601, t. IV, p. 134.


Carte-Mosaïque
découverte à
Mâdaba
par le Révérend Père Cléophas
Bibliothécaire au Patriarcat Grec de Jérusalem.
Echelle: 1/80
centimètres
B
A
CIMENT
CIMENT
CIMENT
ΚΑΝΡΟΣ ΣΥΜΕΩ
ΔΑΝ



Tab. 2. Forma Urbis, fragmentum antiquae topographiae Romanae iussu Septimii Severi delineatae.
(Ex H. Jordan, *Forma urbis Romae,* Berlin, 1874).

Art. VI. — **Syllogae praecipuae inscriptionum.**

Quae sit natura huius codicum seriei patet ex sequentibus I. B. De Rossi verbis primo volumini cui titulus *Inscriptiones Christianae* praefixis: « Ante Caroli Magni aetatem, qua antiquitatum studium nonnullos Alcuinianae praesertim scholae litteratos coepit allicere, quemquam extitisse qui Christianas inscriptiones dedita opera describere et in codices referre institueret, memoriae proditum nuspiam repperi. Illi vero, qui ea aetate Christiana epigrammata magis quam ethnica sunt consectati, de historico inscriptionum pretio parum cogitantes, earum

anthologias, unde similibus pangendis carminibus formulas et exempla peterent, sibi aliisque conficere videntur voluisse ».

Quod autem antiqui non fecerunt quam accuratissime praestitit I. B. De Rossi in secundo *Inscriptionum Christianarum* volumine; ubi tota *series codicum*, – ut legitur in titulo, – *in quibus veteres inscriptiones christianae, praesertim Urbis Romae, sive solae, sive ethnicis admixtae, descriptae sunt ante saeculum XVI*, exponuntur, criticis et philologicis commentariis adiunctis.

Utilitas eiusmodi syllogarum in hoc etiam non raro consistit, praeter proprium et intrinsecum documentorum valorem, quod inscriptiones eodem ordine quo visebantur transcriptae sint, unde aliquando verae topographiae evadant.

Praecipuos tantum antiquioresque tangam, et veluti per transennam; qui vero accuratius illis vacare velit ipsum auctorem adeat.

1. — VETUS MEMBRANA SCALIGERI

continens inscriptiones urbis Romae, Ravennae, Arimini, Trevirorum, carminibus exclusis, fragmentum syllogae post medium circiter saeculum sextum, ante nonum confectae. (1)

Unico consistit folio membranacei codicis, innumerabiles forsitan inscriptiones ferentis, maxima christianarum antiquitatum litterarumque iactura deperditi. Hoc solo superstite fragmento quattuordecim continentur inscriptiones, quarum antiquissima est decima quarta, ad saeculum spectans quintum. Secunda autem regis Theodorici laudativa inscriptio est, nec saeculo anterior sexto, utpote quae publicae utilitatis opera commemoret a rege peracta, aedificia scilicet, hortos constitutos, paludes exsiccatas; quae omnia aliquos saltem annos illius regni transactos supponunt, quod, anno inceptum 493, ad 526 usque productum est. Falso igitur saeculo quinto ab aliquo (2) haec

(1) Ipsos apponam titulos quibus codices communiti sunt in opere I. B. De Rossi praefato.

(2) Hic error, typothetae lapsu, in egregium MARUCCHI opus (*Élem. d'arch. chrèt.* vol. I, p. XXVIII) irrepsit, idemque in ultima anni MDCCCXCIX editione eademque in pagina apparet.

sylloge tribuitur; immo, nisi rationes ex palaeographia deductae obstent, posterioribus quoque saeculis tribui potest, cum ignoremus quasnam inscriptiones codex integer contineret. Post medium saeculi sexti eam redactam iudicat I. B. De Rossi.

2. — Sylloge Reichenavensis, vulgato nomine Einsiedlensis. *Inscriptionum omne genus urbis Romae et Ticini collectarum exeunte saeculo VIII vel ineunte IX, praesertim e libris scriptis ante saeculum VIII.*

Sylloge haec, octoginta duas inscriptiones christianas simul atque ethnicas continens, Topographiam eiusdem tituli in codice immediate praecedit, atque ad rem nostram ceterarum omnium utilissima est. In codice, quinque consistente libellis, quartum locum tenet, et licet eius primum duoque extrema folia desint, I. B. De Rossi, post Mommsen, integram illam putavit; secus atque Haenelius, qui editionem totius codicis curaverat.

Tota autem Sylloge in quattuor partes distinguitur; utar ipsius I. B. De Rossi verbis: « Prima a numero 1 fere ad 60 titulis aetatis Romanae perite descriptis ditissima est, admixtis paucis Christianis: secunda, prioris supplementum ex alio fonte haustum, titulos continet Hadriani, a num. 61 ad 71; tertia e libello itinerario ad sepulcra martyrum a num. 72 ad 77 Damasi carmina aliosque titulos exhibet cum particulis indicis topographici ad ipsa epigrammatum loca pertinentibus; quarta demum appendix Ticinensis a n. 78 ad 82 ».[1] I. B. De Rossi expendit deinde singillatim unamquamque partem, adeundus ergo studioso si indolem originemque libelli cognoscere ipse velit; ego autem, pro exiguitate operis mei, primae et tertiae partis obiter praecipua tangam.

In prima parte, inscriptionum series valde perturbata est; I. B. De Rossi tamen quemdam topographicum ordinem, sive *eius nonnulla lineamenta et vestigia, attente consideranti* apparere affirmat, *titulorum manipulos* 3–5 a, 17–22, 23–26, 30–47, 56–60 *eodem fere loco vel uno itinere videri descriptos.* Verum in hoc itinere pauca sunt christiana sanctuaria, praesertim in subur-

(1) Op. et loc. citt. pp. 14–15.

bio quae a collectore notentur, multa e contrario pagana monumenta; unde parum rei nostrae utilitatis prima haec pars affert.

Non ita tertia, quae ad alterum syllogarum classem pertinet, ad libellos epigraphicos simul et topographicos, quibus pii viatores utebantur in itinere suburbano ad limina Apostolorum et ad sepulcra martyrum. Syllogas id genus, monet item I. B. De Rossi, prima origine saeculo fortasse septimo antiquiores, aetatis Honorii pontificis (a. 626-638) non unum indicium prae se ferre. Carmina Damasiana ibi transcripta hoc ordine cum aliis topographicis indicationibus disposita sunt: — *Via Pincia in sepulcro Proti Martyris.* — *In sepulchro Iacinthi.* — *In via Pincia.* (Salaria vetere). *Pamphilus basilissa. ptus . yacinthus . hermes . . . . . Inter Aureliam et Portuensem . scs processus et martinianus et panchratius, abdo et sennes.* — *Via Appia . Soter . xistus . urbanus . marcellianus . et marcus ianuarius . et aeclesia ubi decollatus est . xystus . sebastianus.* — *In sepulchro Nerei et Achillei in via Appia* (sic) . . . . . — *In porta SCI . Petri usque ad SCM Paulum . . . . . — In via Ostiensi . . . . . — In sepulchro SCI . Felicis . . . . . — In basilica SCI . Sebastiani . . . . .* Indicationes viarum nominibus subiunctae, quaeque maxima ex parte brevitatis causa omisi, non parvam Itinerario eiusdem nominis lucem afferunt, praesertim circa coemeteria viarum Appiae et Ardeatinae.

3. — Sylloge Turonensis.

In codicibus Closterneoburgensi et Goettweihensi pars altera e libello topographico inscript. Christ. urbis Romae confecto saeculo VII.

Duo sunt exemplaria eiusdem anthologiae carminum unice christianorum; Closterneoburgense saeculo XI vel XII exaratum, alterum paullo antiquius videtur. Anthologia carmine Eucheriae incipit:

Aurea concordi quae fulgent fila metallo,

cuius ultimus versus est:

Rusticus et servus sic petat Eucheriam.

Sequuntur statim quadraginta duo Damasiana epigrammata, quorum triginta septem priora ita disposita sunt ut sit perspicuum ea collectorem ex ipsis monumentis ubi erant affixa trancripsisse. Hinc est quod anthologia haec inter topographica documenta iure recenseatur; et revera viatorem commonstrat a via Salaria nova proficiscentem, atque successive pervenientem ad vias Nomentanam, Tiburtinam, Labicanam, Praenestinam, Latinam, Appiam, Ardeatinam, Ostiensem, nec non carmina Damasiana describentem. Inter Salariam viam atque Nomentanam procul dubio est hiatus; nam, ut I. B. De Rossi notat, « nulla est ratio cur opinemur prototypum libellum, unde haec sumpta sunt et in centonem Closterneoburgensem et Goettweihensem relata, incepisse a statione ultima Salariae viae, ceteris eiusdem et cohaerentium viarum celeberrimis coemeteriis et basilicis plane omissis, omissa praesertim Vaticana Petri basilica.. Quare hunc centonem capite minutum agnoscamus necesse est. » At in fine quoque cento mutilus est; nam post viam Ostiensem, Portuensis duaeque Aureliae desiderantur. Aetas huius sylloges signata in titulo ex eo fit evidens quod arcto nexu Itinerariis devincitur quae saeculo septimo ineunte, aut paullo post, compilata sunt.

4. Sylloge Centulensis.

Carminum christianorum e monumentis suburbanis item Spoletinis et Ravennate saeculo VIII antiquioribus, descripta in codice Corbeiensi nunc Petropolitano saeculo VIII vel ineunte IX.

Codex est membranaceus,(1) totus una manu Longobardicis litteris exaratus. Hunc, ab imperatore Russiarum Alexandro III obtinuit I. B. De Rossi; unde ex bibliotheca Petropolitana, ubi post exitum a Corbeiensi bibliotheca diversasque vices errandi finem fecit, codex delatus est Romam posteaque Petropoli restitutus. Sexaginta octo carmina christiana eo continentur, quibus alia praefiguntur, et primum quidem acrostichum illud sic incipiens: *Ioannis celsi rimans mysteria coeli*

(1) De Rossi, op. cit. p. 72.

subsequuntur selecta Venantii Fortunati carmina, deinde sine titulo carmen Machabeorum et Angli S. Adhelmi: *Exposicio metrica de virginitate laudanda.* Post vero annexi sunt versiculi qui in basilica B. Petri legebantur, hac in margine apposita notula, saeculi XVII manu exarata: *Haec sequentia videntur esse Damasi papae*; notula quae rectissima apparet nam carmina inde incipientia Damaso plerumque tribuuntur. Alia manus paullo fortasse recentior scripsit: *Damaso papa authore*, eademque in fine: *Hactenus Damasus.* Ordo carminum valde turbatus est, neque ulla videtur prima fronte adesse topographica indicatio: nihilominus, si attente examinetur series, quoddam vestigium aditorum iocorum facile discernitur, praesertim si cum Turonensis carminum ordine conferatur.

Istae praecipuae sunt Syllogae; ceterae anthologiae potius videntur, inter quas tamen non amplius computanda est Sylloge Virdunensis, post clarissimi H. Marucchi studia repertaque. Nam ille ordo seriei carminum qui perturbatus visus est I. B. De Rossi, quatenus viam Salariam novam respicit, perfecte monumentis respondere videtur. Sed de his redibit sermo, cum de Priscillae coemeterio erit agendum. Ceterum omnes, quas recensuit I. B. De Rossi in II volumine *Inscriptionum Christianarum*, Syllogae in universum illud habent utilitatis, quod fere omnia Damasiana carmina, tum quae supersunt, tum nondum reperta, diversis lectionibus exhibeant, unde epigraphicae artis periti veram germanamque lectionem eruere possint.

Documentorum series illa concluditur his quae, cum studiis coniuncta antiquitatis cultorum Rossiano aevo anteriorum, mirificis I. B. De Rossi repertis inservierunt. Iam huic non exiguo apparatui novus studiorum ordo subiungitur, qui, I. B. De Rossi conclusionibus veluti basi innixus, nec parvam hucusque christianis originibus lucem attulit, et maiora in dies incrementa se allaturum promittit. Ita cogitatum illud paullatim perficitur quod primus iniecit I. B. De Rossi, de absolutissimo scilicet corpore christianarum antiquitatum instaurando, quod omnia ad ortum progressumque christianismi pertinentia, non Romae tantum, sed omnium singillatim dioeceseon veluti localis chronica,

complecteretur, titulo *Orbis christiani* indito. I. B. De Rossi hunc titulum a Suaresio mutuavit suumque fecit; rem autem totis nervis propugnavit inculcavitque. Hodie tam nobile cogitatum efformari, ampliari, evolvi videmus. Cuius felicis profectus inprimis grati Summis Pontificibus esse debemus, qui, pecuniariis non obstantibus angustiis, potissimas argenti opes annuas, iam inde a medio saeculo elapso usque hodie, perficiendis fossionibus contulerint: deinde Collegii seu Commissionis Pontificalis membris. Viri sunt isti eruditissimi, pro religione eo vel magis egregie laborantes quod de omnibus quae efficiunt ad sacra detegenda illustrandaque monumenta, nonnisi christianae plebis gratulationes percipiunt, interdum vero ne ista quidem mercede donantur pro susceptis laboribus. Denique privatis personis grates meritae reddendae, inter quas non sunt silentio transeundae Rex Victor Emmanuel III, r. Dom. De-Merode, Emus. Card. Rampolla, Fratres-Praedicatores seu Dominicani ecclesiae S. Clementis, r. Dom. Crostarosa, PP. Passionistae ecclesiae SS. Iohannis et Pauli aliique non pauci.

Haec quidem de suburbio Romano; sed alibi quoque non quiescunt opera, alibi animum eruditi adiunxerunt christianis reperiendis monumentis; intelligi praesertim volo de Africa Superiore, ubi, auctore Card. Lavigerie, apud Africae Missionarios apostolico officio belle antiquitatis studium coniunctum est. Spes affulget ut quam primum in corpus redigantur fructus elucubrationum, quas a non exigua annorum serie nuper defunctus r. Dom. Toulotte atque strenuus P. Delattre peregerunt.

Est quidem cur christianorum animi laetentur de excitatis circa vetustatis christianae monumenta studiis eruditorum; attamen, ut ad meliores exitus opera perveniant, sicuti in Africa, in Dalmatia, in Palestina, ex loci explorandi incolis surgant studiosi optandum est; namque si cum natali patriaque terra natura devincti sunt, maiori cum sedulitate his investigationibus studiosi vacabunt.

Nunc autem ad auctores adproperamus, quod coronidis instar primo huic capiti finem imponet.

ART. VII. — **Auctores.**

Omnium primus Panvinius fuit. Ante eum quidem non pauci coemeteria inviserunt, sed hoc diversis fecerunt caussis; alii devotionis affectu, ut quidam Fratres Minores, qui aliquando vestigia sui aditus parietibus cryptarum crediderunt. Sic, in quodam cubiculo coemeterii S. Callisti, legitur carbone scriptum: *Anno dm MCCCCXXXIII die VIII mensis Iunii.* Prope autem: *hic fuit fr. Ihes de Colūna de Urbe ordis minorum cum sociis suis MCCCCLIIIII hedomada qua defunctus est pp. N. V.* (Papa Nicolaus V); et ita pluribus in locis.

Alii (longe alii!), inanis curiositatis aut non satis explorata caussa, praecipua coemeteria perlustrarunt, hic illic nominum series non raro in parietibus describentes. Memorandi sunt praesertim sodales Academiae Romanae quorum caput, Pomponius Laetus, Pontifex Maximus obsignabatur in dictis laterculis, veluti temporis nota ex. gr.:

PANTAGATHUS
MAMMEIUS
PAPIRIUS
MINICINUS
AEMILIUS
UNANIMES PERSCRUTATORES ANTIQUITATIS REGNANTE
POMPONIO PONTIFICE MAXIMO

Infeliciter vero, ethnicis antiquitatibus cum essent ultra modum addicti, minime videntur christianis monumentis fuisse allecti; et erant nihilominus qui scite monumenta huiusmodi illustrare potuissent.

Sed ad Panvinium redeundum. Huius doctrina atque sedulitas miraculum aequalibus visa est: omnia ad christianam vetustatem pertinentia centenis voluminibus colligere ipse capessivit. Acerbum funus nobilissimos perrupit conatus; at initiata opera aere perennius veluti monumentum posteris mansit; apparatus videlicet documentorum, quibus, excitatis deinceps in christianas antiquitates studiis, feliciter eruditi quique usi sunt.

Ad rem nostram faciunt duo potissimum Panvinii opera in unum, sub titulo *De ritu sepeliendi mortuos apud veteres christianos et de eorundem coemeteriis,* Coloniae edita, anno mortis auctoris 1568 qui fuit aetatis eius trigesimus octavus. Quadraginta tria auctor enumeravit coemeteria Urbis atque generatim ea tunc Romae cerni affirmavit. Re autem vera, si tria excipias, nempe S. Sebastiani, S. Cyriacae ad S. Laurentium et S. Valentini, quae adhuc extare dicebat, numquam coemeteria ipse adiit. Numerum igitur illum, ut alioquin ex eius operibus apparet, ex Martyrologio Romano ante Card. Baronii adnotationes, ex Libro Pontificali aliisque minoris momenti documentis Panvinius eruit. Tractavit quoque de re epigraphica, sed nullam ex originalibus in coemeteriis extantibus inscriptionem excerpsit: e converso numerosissima transcripsit epitaphia in aprico inventa, multaque esse notavit *per Urbis Romae ecclesiarum pavimenta.*

Floruit tunc temporis Philippus Neri, sanctissimae conversationis vir, qui auctor fuit ne huiusmodi studia neglecta iacerent, suosque sodales consilio atque exemplo, nec non crebris in coemeteriis excursionibus, induxit ut nihil de christianis memoriis parvi penderent. Operam ad pretiosissimam erigendam bibliothecam, cui nomen Vallicellianae, impendit; et dum, iussu Pontificis Gregorii XIII, Card. Baronius correctiones dictabat Martyrologii, eumdem, veluti ad pensum diurnum, ad Annales ecclesiasticos elaborandos Philippus paterna impellebat suasione.

Decem post annos ab evulgato Panvinii libro, dum arena extrahebatur in quadam vinea ad dextram viae Salariae, coemeterium quoddam christianum patuit, picturis, sarcophagis, epitaphiis, tum graecis tum latinis, locupletissimum. Inter alia magis movebantur visitatores picturarum quodam cyclo, in quo unum post aliud apparebant Pastor bonus, Orans, Noe in arca, Daniel inter leones, Moises percutiens rupem, diversa historiae Ionae puncta, Isaac sacrificium, tres pueri in fornace, Christus panes multiplicans, Lazari resurrectio, Christus inter duodecim sedens Apostolos; insuper plures Orantium imagines,

una fossoris, item repraesentationes pastorales. Ortum hinc sumsit, ait I. B. De Rossi, *Roma subterranea*, idest illa studiorum series quae, pedetentim a sanctis doctissimisque viris, tum ecclesiasticis tum saecularibus exculta, ad nostra pervenit tempora ita late patens, ut totas ingenii vires quis impendat oporteat, si aliquid velit in ipsa progredi, atque veri nominis archaeologus fieri.

Illo autem tempore (an. 1578) Antonius Bosius parvulus erat trium annorum, eoque adolescente, quattuor viri doctissimi scrutandis illustrandisque recens repertis operam impendebant, nempe Alfonsus Ciacconius, Philippus Winghe, Iohannes Macarius, Pompeius Ugonius. De Ciacconio en quid ipse I. Macarius scripsit: *Alfonsus Ciacconius, Dominicani Ordinis religiosus, multis nominibus posteritati commendandus, instruxerat Romae museum, non solum libris cuiuscumque generis, sed et supellectile varia tum rerum in natura admirabilium, ut fossilium, concharum, marmorum et affinium, tum scutorum antiquorum, ut stilorum, clavium, nolarum, staterarum et mille aliorum eiusmodi. Qui vir, si quid erat quod faceret ad sacram antiquitatem, libens invisebat, et pictoribus adhibitis delineabat; atque inter alia coemeterium illud, via Salaria, quod Priscillae esse creditur, repertum et recognitum anno MDLXXVIII, .. perlustrarat, et omnes picturas loci illius expressas in librum redegerat; nec contentus eo, sarcophagorum christianorum etiam imagines et sculpturas quascumque poterat invenire, ut rem vicinam, adiecerat.* (1)

Ciacconii imagines valde imperfectae visae sunt Winghio, qui animum adiunxit iis perfectius perscribendis. At dum totus hoc erat in opere, mors immatura iuvenem adhuc vitam obtruncavit. Ipse magistrum habuerat avunculum, virum eruditionis laude insignem, Antonium Morillonium, cuius aliqua extant opera, tum in bibliotheca Amstelodami, tum Romae in codice Ottoboniano Vaticano 1511.

Iohannes Macarius picturis sculptilibusque potius studuit, atque multum prae manibus habuit Winghii volumina. Opus

(1) *Hagioglypta*, p. 2, 3. Integrum textum ex De Rossi, *Rom. Sott.* excerpsi.

autem conscripsit cui titulus: *Hagioglypta, sive picturae sacrae antiquiores, praesertim quae Romae reperiuntur, epxlicatae a Iohanne Macario Greveningano.* Quod tamen doctissimum opus atque completum, auctore vivo, non prodivit in lucem, neque evulgari coeptum est, nisi ducentis et quinquaginta post annis, eruditissimi P. Garrucci cura, qui illud notis, praefatione novisque illustratis monumentis non mediocriter auxit.

Pompeius Ugonius sex volumina reliquit chartarum, quae I. B. De Rossi in bibliotheca Barberiniana examinavit, inter quae nihilominus unicum folium repperit loquens de christianis coemeteriis. Erat ibi descriptio coemeterii S. Valentini via Flaminia. Verum impossibile videbatur hunc auctorem, Bosii comitem, ne dicam ducem, in primis eius subterraneis excursionibus, tam parum de coemeteriis scripsisse. Denique ista tam legitima De Rossi suspicio, nempe aliud aliquod volumen eiusdem auctoris extitisse, res certissima evasit, cum ipse I. B. De Rossi in quodam bibliothecae Ferrariensis volumine, Peveratio modo, modo Milesio attributo, continuationem illius folii recognovit, quod unicum ex tota Ugonii chartarum congerie de coemeteriis christianis mentionem exhibebat. Volumen hoc coemeteriis consecratum erat, universumque opus nomen in fronte ferebat: *Theatrum Romanae urbis.*

Quattuor isti auctores exiguos fructus ex repertis monumentis perceperunt; eos rectius collectores dixeris antiquitatum quam archaeologos. Illud tamen silentio non praetermittendum, quod in codice Vaticano 5409, a I. B. De Rossi Ciacconio adiudicato, tabulis picturarum anno 1578 repertarum haec praefixa conspicitur scriptio: *In coemeterio Priscillae, via Salaria, II ab Urbe milliario, in crypta arenaria, subter vineam Bartholomei Sanctii ab Alda, Aragonensis Balbilitani, reperta sunt septem sacella, in quibus sunt multae imagines depictae illius prisci christiani saeculi.* Vox autem *Priscillae* deleta est, eiusque in locum *Ostrianum* legitur. Praeterea, eodem in codice, ubi picturae aliaque delineantur ad coemeterium Priscillae spectantia, legitur quidem haec delineata fuisse *in coemeterio ad clivum Cucumeris, in quo dicitur B. Petrus baptizasse, subter vineam Hieronymi a*

Cupis, civis et patritii Romani; eadem autem manu atque supra, verba *in quo dicitur B. Petrus baptizasse* item deleta sunt, voce subrogata *Priscillae.* Non est hic locus de hac inter Ciacconium eiusque amanuensem sententiarum diversitate loquendi; de ea enim alibi redibit sermo; hoc unum interim notabo: ambos coemeterium *Ostrianum* via Salaria Nova situm putasse.

Antonius Bosius, quem alii Romanum, alii Mediolanensem dixerunt, verius autem, Melitae natus dicendus, post Winghium mortuum, perlustrare coemeteria coepit et primum anno 1593, cum septimum decimum annum ageret.(1) Macarius, in *Hagioglyptae* praefatione, Winghii morte amplissimis, ut par erat, verbis enunciata, haec habet: *Successit deinde Antonius Bosius, et nobilis et doctus iuvenis Romanus, egregiis moribus, mihi amicissimus, qui, imaginum sacrarum ductus amore, coemeteria adiit et adscito pictore delineari curavit, et idem in sarcophagis, quoscumque ab amicis, inter quos et ego fui, potuit scire esse, praestitit, et, qua licuit diligentia fideque singula contulit in librum depicta.* (2) Et primum quidem invisit iuvenis archaeologus cryptas sub *Fundum Amarantianum* (vulgo *Tormarancia*) in dextra viae Ardeatinae effossas. Ibi vere *inextricabilis error* latet cuniculorum raro in angusta desinentium cubicula; et cum sibi comitibusque viderentur via errasse, putavit piissimus iuvenis proprio immundo cadavere sanctorum martyrum quodammodo se corpora contaminaturum. Hanc regionem vocavit Bosius Coemeterium S. Callisti, ibique carbone scripsit in parietis tegumento: *Antonius Bosius, Cymiterium Zephyrini.* Perlustravit et cryptas ad sinistram viae Ardeatinae, itemque eas quae in utroque viae Appiae latere extant. Hinc ad viam Latinam, ad Labicanam, ad Tiburtinam et Nomentanam gressus fecit, ubique penetrans obscuros coemeteriorum recessus nec non

(1) Antonius Bosius adolescens litteris politioribus atque philosophiae in Collegio Romano vacavit, postea in Archigymnasio iurisprudentiae studuit. Eius patruus, Iacobus Bosius, historicus egregius, nepotem in filium adoptavit, eique, praeter opes divitiarum, Sacri Ordinis Equitum Melitensium agenda legavit negotia.

(2) MACARII, *Hagioglypta*, p. 4.

omnia quae sibi alicuius videbantur momenti notans atque transcribens. Totum deinde se dedit coemeteriis viae Salariae, tum novae tum veteris, perlustrandis; postea ad Flaminiam viam animum direxit. Multa eius suppeditarunt studiis cryptae Vaticanae, cum novae templi constructionis caussa in aprico patuerunt; aliquid quoque in via Aurelia e in via Cornelia collegit studii materiae; et ad viam Portuensem cum pervenisset, post infructuosas indagines, coemeterium Pontiani repperit atque Iudaicum coemeterium, quod temporibus Magni Pompeii sagaciter adiudicavit, quodque tribus abhinc annis denuo prodivit in lucem, prout suo loco narrabitur. Tiberim subinde transgressus, antequam eo rediret unde iter carpserat, viae Ostiensis cryptas recognovit per quas neque multos neque securos potuit facere gressus, quippe quae ad summam vastationem ruinamque essent reductae. Sed copia monumentorum ei praesto fuit in basilica S. Pauli nec non in claustro adiecto.

Hisce perlustrationibus peractis, in textus colligendos Bosius incubuit atque, incredibili cum alacritate sedulitateque, omnia quae aliquo vel minimo possent modo monumenta illustrare percurrit: Patrum scripta, tum latinorum, tum graecorum, tum orientalium; collectiones conciliorum et canonum; epistolas Pontificum Romanorum aliorumque ecclesiasticorum scriptorum; sanctorum vitas, tractatus cuiuscumque generis ad sacras disciplinas spectantes, non seclusis scholasticorum libris. Hinc, *apis Matinae more modoque per laborem plurimum*, notarum volumina duo, sive silvas, paginarum duobus millibus et ultra constantes, redegit; atque facile I. B. De Rossi fuit negotium advertere alia volumina istiusmodi deperdita fuisse. Demum quidquid potuit in romanis bibliothecis invenire accurate collegit, et aliud composuit volumen cui titulus: *Acta, vitae et passiones sanctorum excerptae ex antiquis monumentis et manuscriptis codicibus, ab Antonio Bosio et propria manu scriptae.* Atque in altero separato libro, codicum indicem compilavit unde illam textuum congeriem hauserat. (1)

(1) Duo haec volumina ita designantur in Bibliotheca Vallicelliana; H. 25 et H. 24; de quibus loquitur Dudik in suo opere *Iter Romanum*, p. 52.

Tali apparatu instructus manum admovit Bosius *Romae Subterraneae*, sicut ei placuit suum opus vocari, scilicet descriptioni atque interpretationi monumentorum, ut christianae origines in lucem revocarentur atque, vera ecclesiae Christi patefacta natura eiusque constitutione et fide, acatolicorum animi ad catholicam reverterentur Ecclesiam, a qua recesserant eius corruptionis praetextu. Ad methodum quod pertinet, Bosius optimam sibi normam praefixit, idest iuxta indicationes topographicas progredi in reperiendis atque recognoscendis coemeteriis, nam incepto explorandi labore, quocumque se verteret, patebant ambulacra; at ex eorum mutilis vel deficientibus monumentis difficile ab archaeologo poterant coniici regionum nomina, atque ita tota subterranea necropolis reconstitui. Ad topographicorum igitur documentorum indicia recurrendum sane intellexit Bosius. Infeliciter vero neque *Liber Pontificalis*, neque *Acta Martyrum*, neque varia exemplaria *Mirabilium Urbis Romae* certas aut sufficientes exhibebant notitias. Itinerarium autem Malmesburyense non tanti, ut par erat, poterat tunc fieri; quippe saeculo XII in Anglia compilatum putabatur, et quoniam saepe cum aliis pugnaret documentis, nulla erat ratio cur ceteris, fere tunc certissimis habitis, praeferretur.

En quod impedivit Bosium quominus problemata topographica rectius ipse solveret. Sed ne opus quidem suum evulgatum vidit, neque hoc integrum post obitum edi potuit. Morte appropinquante, vix cum quinquaginta annos natus esset, manuscripta sua Equitibus Melitensibus legavit. Hi autem operi perficiendo edendoque quam primum opes contulerunt; atque Patri Severano, Oratorii congregationis sodali textum componendi, et Octavio Pico iurisperito tabulas cum monumentis conferendi dato negotio, adiunctis praeterea topographicis coemeteriorum delineationibus, a Gasparro Bertio mathematico et Francisco Continio architecto peractis, omnibus eruditis desideratissima Bosii *Roma Subterranea* in corpus redigi coepta est, Urbano VIII dedicata, die 24 Martii 1632 et in vulgus tandem prolata, tribus circiter post annis, scilicet 6 Octobris 1634; tantum enim temporis spatium perfecta requisiverat redactio operis. *Roma Subter-*

ranea, ait I. B. De Rossi,[1] ... *expectationem non fefellit; alienigenae autem omnis nationis et sectae, sibi procuratis exemplaribus, eo in opere origines christianae religionis scrutati sunt, quod studium aliquibus, ut vellent in sinum catholicae ecclesiae reverti, satis fuit.*[2]

P. Severanus versionem quoque latinam capessivit atque perfecit, quae tamen numquam typis mandata est; sed et alius eiusdem congregationis Pater, Paulus Aringhi scilicet, alteram *Romae Subterraneae* aggressus est versionem, eamque in lucem dedit anno 1651. Novum opus, in duo volumina divisum, nihil novi continet, vel tam parum ut auctor melius de christiana vetustate meritus esset apud posteros si pauca veluti sua omittens, aut in praefationem relegans, opus ut a Severano evulgatum fuerat, mutato idiomate dumtaxat, in lucem protulisset. Ceterum ab aequalibus novum opus maximi factus est, ex eo praesertim, puto, quod latine cum esset exaratum omnibus eruditis fieret obvium.

Voluisset hic naturalis rerum cursus ut Bosii vestigia sequerentur docti, tanta in christianas origines lata est lux eximio illo opere, utcumque imperfecte evulgato; sed contra accidit: nam discutere coeperunt eruditi quaenam essent indicia certa martyrum relliquias indicantia; item longe lateque cryptae repertae, quaedam perlustratae sunt; aliae egestis liberatae arenis, at nullo de delineandis picturis, inscriptionibus transcribendis, topographicis limitibus determinandis cogitatu; nullo ad conferenda cum topographicis historicisque iam cognitis indiciis, noviterque in apricum revocatis, monumenta conatu. Praeterea catholicis eruditis sedulo fuit cum protestantibus disceptandum ut christianam catacumbarum naturam vel usum defenderent, in quo ultra modum progressi sunt. Saepe enim historiam ac monumenta certissima impugnabant protestantium rationes quae ne responso quidem dignae viderentur. Quo in genere impugnationum Anglus Missonius primus apparet,[3] et post

(1) De Rossi, *Roma Sotterranea*, t. I, p. 41.

(2) Bottari, *Roma Sotterranea*, t. I, *praef.*, p. v.

(3) Misson, *Nouveau voyage d' Italie*, 4 éd., la Haye, 1717, t. II, p. 343 et seq.

eum Beurnettus excelluit, qui eo inconsiderationis, ne dicam impudentiae, devenit, ut affirmaret catacumbas nihil esse aliud quam ethnica coemeteria, ubi et christiani, praesertim post pacem Ecclesiae donatam, sepeliri potuerint; supertitiosos autem monachos, ut fidem relliquiis acquirerent, inscriptiones atque picturas quae conspicerentur delineasse. Et tamen haec et alia huiusmodi publice non dedignati sunt eruditi quidam protestantes recudere atque defendere, ut Petrus Zornus in universitate Amburgensi professor, cuius est quaedam *Dissertatio historica theologica de catacumbis seu cryptis sepulcralibus sanctorum martyrum, in qua Beurnetti, Missonii et aliorum sententia defenditur contra Mabillonium, Ciampinum, Bosium et alios Romanenses*, Lipsiae edita anno 1703. « Titulus solus, ait I. B. De Rossi,[1] satis praestat ut de animo atque critica dissertationis iudicium feratur: risum revera movet professor Amburgensis, qui, Lipsiae cum sit, docere ipsum Bosium quid sint catacumbae velit. Hisce insulsis libellis eruditisque dubitationibus coemeteriorum, quae in dies inveniebantur, fidelis descriptio verissimum atque eloquentissimum fuisset responsum, sed aliam tenuerunt viam archaeologi. »

Ex iis qui successerunt, peritissimus omnium in re epigraphica videtur Fabretti, qui in corpus inscriptiones ethnicas atque christianas redegit, ita ut scientiae quamdam redderet formam. Duo coemeteria repperit, alterum in via Latina, cuius et topographicam delineationem et inscriptionum transcriptionem curavit, alterum *Castuli* vocatum in via Labicana, integrum adhuc, cuius frustra quaeres indicia certa, aut topographicam dispositionem et figuram ab auctore, aut alias indicationes, si transcriptionem titulorum excipias.

Huic, paucis post annis, in catacumbarum praefectura Boldetti successit, auctor voluminis cui titulus *Osservazioni sopra i cimiteri dei santi martiri* etc.[2] Parvo negotio, ex I. B. De Rossi

(1) De Rossi, *Roma Sotterranea*, t. I, p. 51.

(2) *Osservazioni sopra i cimiteri de' Santi Martiri ed antichi cristiani di Roma.* In Roma, MDCCXX, presso Gio. Maria Salvioni, stampatore Vaticano.

sententia, hic potuisset tantam congerere monumentorum copiam ut ipsum Bosium in hoc facile superaret; ita locuples fuit messis inscriptionum, picturarum, supellectilis, aliarumque rerum ex novis coemeterialibus regionibus eruta. Sane non excusanda neglegentia, nisi auctor, qui de se humillime sentiret, ab aliqua fuisset in huiusmodi opus exarandum auctoritate solum compulsus vel saltem inductus. Etenim cum in lucem tunc temporis prodiisset Mabillonii famosa *de cultu sanctorum ignotorum* epistula, ubi suspicio de tenui in recognoscendis martyrum relliquiis diligentia adhibita a romanis archaeologis palam proferretur, unde acatholici praetextum subsannandi in Catholicam Ecclesiam sumerent, Boldetti, ut iniustas repelleret accusationes, iussus est proprias hac in re observationes atque agendi normam evulgare cum suam, tum praedecessorum suorum, in relliquiarum praefectura. Hinc pretiosum illud volumen apologeticum, monumentis relatis locupletissimum, sed ordini tractationis aptatis, proindeque minimae ex hac parte vel mediocris utilitatis. Laudabis tamen iure merito sinceram auctoris indolem et fidelem monumentorum relationem, quod certe parvi non est pendendum in opere tot tamque varia transcripta monumenta referente.

Quod Boldetti non fecit, cogitavit Marangoni, illius comes in subterraneis excursionibus atque amicissimus, videlicet vestigiis Bosii insistere et totam coemeteriorum eorumque monumentorum descriptionem reconstituere. Incepto tam utili religioni doctrinarumque historicarum progressui, neque auctoritas Pontificis, neque privatorum auxilium, neque omnis generis opes deficere poterant. At licet auctor esset vir eruditissimus, longe diversa tanto operi eruditio requirebatur, unde nobilissimum cogitatum vix efformatum concidit. Multa Marangoni conscripsit, eaque praeclare, sed nondum edita maxima ex parte incendio combusta sunt. Duo servata sunt opuscula, alterum *De coemeterio sanctorum Thrasonis et Saturnini*, alterum *Acta Sancti Victorini* vocatum, quod dignam non immerito operis Bosii appendicem dixeris. Apud coemeterium Callistianum, in uno ex cubiculis quae *Sacramentorum* dicuntur, scri-

ptum legitur in parietis corio: *Buldetus custos* || *Marangonius secret.* || *Carolus Salvati.* || *14 iunii 1736.*

Alii hoc quidem tempore floruerunt, inter quos non sunt praetermittenda nomina duorum Blanchiniorum, Francisci et Iosephi, quippe qui, inter alia complura et magni pretii opera, editionem Vitarum Romanorum Pontificum, Anastasio Bibliothecario tributarum sedulo curaverint; atque nomen Antonii Lupi S. I, paucarum quidem rerum scriptoris, sed magni ponderis pro re nostra. Notanda praesertim eius *Dissertatio et animadversiones ad nuper inventum Severae martyris epitaphium* (Panormi, 1734).[1]

Floruit hoc tempore Scipio Maffei, qui insigne volumen *Museum Veronense* evulgavit, pontifici Benedicto XIV dedicatum. Notabilia sunt inter alia argumenta, quibus in dedicatione instanter christiani musei a pontifice expetebat fundationem, haec verba: *Neque de recreandis solummodo piorum animis ac de sacrae eruditionis cultoribus iuvandis agitur. Dogmata ipsa catholica incorruptamque disciplinam mirum est quantum contra veteres recentesque oppugnatores... confirment, corroborent, patefaciant.*

Paullo post editos Boldetti labores, coepit Bottari, eruditissimus praelatus, commento aliquo Bosii tabulas inlustrare, idque iussu pontificis Clementis XII. Hic auctor superflua plura in egregio Bosii opere aiebat se videre, atque, post Severani interpretationes picturarum symbolorumque Spondani *Coemeteria sacra*, et Boldetti *Osservazioni*, inutilem affirmabat novam Bosii operis editionem futuram, utpote quod nihil esset illis in operibus desiderandum quod in hoc posset inveniri:[2] vere deploranda opinio, quae paullatim invaluit, ob id ipsum praesertim quod per novas semitas critica (ut vocatur) ars progrediens, cum inter topographicas Bosii indicationes atque notitias in novis repertis documentis exhibitas discrepantiam deprehenderet, nemo se parem tanto tamque, ut videbatur, horrido difficultatibus labori putaverit.

(1) *Dissertazioni, lettere ed altre operette del ch. P. Antonio Maria Lupi, poste in luce da Francescantonio Zaccharia*, Faenza, t. II, 1785.

(2) De Rossi, *Roma Sotterranea*, t. I, pp. 56–57.

A Bottari autem aetate usque ad finem saeculi XVIII, coemeteria primum deserta et silentio quodammodo obruta sunt. Non quidem quod antiquarii, iique eruditissimi, deessent, qui christianam vetustatem agitarent exponerentque, – nam illo tempore Mamachi floruit,[1] Oliverio, Allegranza, Paciaudius, Mazzocchi, Foggini, Zaccharie, Garampi, Borgia aliique, – at isti aut de coemeteriis nihil habent, aut rem tractant iuxta ea quae iam cognoscebantur, et in praefatis Bosii, Boldetti, Bottari, apparebant operibus. Atque utinam postea coemeteria occulta mansissent et derelicta. Antiquarii, e converso, ea ingrediebantur ut singula quaeque curiosa tollerent, supellectilem, marmora, epitaphia et ipsas picturas; reducta denique ista in musea veluti ab interitu servata aestimabantur. Marmora tamen, cum ad aliquid materiale essent utilia, facile disperdebantur; cui malo cum remedium afferre vellet Boldetti, pontifici Clementi XI proposuit, ut inscriptiones parietibus affigerentur ambulacri ad Vaticanum Museum ducentis. Valde hoc consilium pontifici affulsit; at vices pontificatus impedierunt quominus cogitatum perficeret. Iacuit tunc res, atque interim, maiorem ad vitandam iacturam, plura inscriptionum millia translata sunt ad S. Mariam Transtiberim, septem iis onusta curricula ad S. Iohannem Florentinorum, duo ad S. Iohannem Calibitam in Insula, et in alias ecclesias permulta.

Hoc sacrum depositum, quisnam credat? partim pavimentis murisque conficiendis inserviit, partim dispersum est sine ulla spe illud recuperandi. Tandem Benedictus XIV, cum vellet museum Bibliothecae Vaticanae instituere, omnia eiusmodi monumenta et cimelia in Vaticanum collegit, magna cum eruditorum congratulatione tum nostrae tum alienarum religionum.

Non sunt nomina omittenda P. Mazzolari atque Marini: prior antiquitatum christianarum non fuit incuriosus, licet pietate sola saepe his in tractandis duceretur, quod fit evidens ex his eius ad Morcellium verbis: «Sacra fateor me praeser-

(1) *Origines et antiquitates christianae*, Romae, ex typographia Salviucci, MDCCCL, ed. altera: *Costumi dei primitivi cristiani.*

tim cepisset antiquitas, sed cum iisdem quibus ad profana mihi utendum esse viderem praesidiis, meque iis destitutum viderem, consultius duxi hanc quoque sacrae eruditionis partem idoneis hominibus excolendam relinquere. Quare satis habui Romanas obire basilicas et sacra martyrum circuire sepulcra, et quae magis obvia paulo attentius inspicere et observare. »[1] Marini omnia quoque inspicere potuit, neque minus in ethnicis quam in christianis antiquitatibus erat instructus; sed in viro de re epigraphica tam benemerito nulla fuit accuratio, nulla sedulitas notandi saltem unde inscriptiones martyrum aut fidelium, praecipua revelantes coemeteria, provenirent. Ita fuit de hac inscriptione quae Victorem quemdam in *Crypta Damasi* sepultum affirmat: *Locus trisonus Victoris in cruta Damasi*, ita et de aliis non paucis.

De Gallico archaeologo Agincourt quoque est mentio facienda. Hic coemeteria adiit, sed ad artem potius picturarum aciem ingenii, vere praeclari, direxit. Qua in re excelluit, eiusque delineationum collectio, novas ab ipsoque repertas, aut nunquam transcriptas picturas exhibens, non exigua antiquitatis studiis incrementa attulit. Sed ipse fuit primus picturarum avulsor in quo certe, etiamsi ei pessimum exemplum condonare velimus, longe aliter quam laudandus erit posteris.[2]

Initio saeculi elapsi eadem regnavit neglegentia, eo vel magis quod nihil amplius alicuius momenti e catacumbis erui posse putaretur; nisi quod custos tunc sacrarum relliquiarum, Hyacinthus Ponzetti, sedulo quotannis quae in coemeteriis essent inventa notare non omisit. Haec autem negligentia rationem aperit, ut I. B. De Rossi opinatur, cur quidam auctores heterodoxi ad errores Missonii reverti potuerint, eosque nova sub veste evulgare.

(1) Iosephi Mariani Parthenii (ita enim academice vocabatur P. Mazzolari), *Epistolae*, Romae, 1863, p. 118.

(2) Verius fortasse primus picturarum avulsor fuit ipse Bodetti qui figuram fossoris Diogenis avellere conatus est; cum autem videret non posse fieri quin et ipsa rumperetur figura, desiit ab opere, neque posthac conatus iteravit.

At minus dolendas vices ventura parabant tempora. Settele, eruditissimus archaeologus, nedum mathematicus illustris, in *Actis pontificiae Academiae archaeologicae*, protulit opellam exiguam quidem, sed sana eruditione ponderosam de antiquitate momentoque christianorum coemeteriorum. Tractatum quoque dictavit de christianae archaeologiae elementis sive notionibus, primum certe opus id genus; in diario autem omnes delineavit inscriptiones suo tempore inventas, diligenter unde erutae essent connotans. Ubi vero primum Ponzetti in locum subrogatus est, menstruas fossionum descriptiones coepit redigere, quas praecessor annuas dumtaxat instituerat: quo in munere, feliciter ab initio anni 1837 usque ad maium anni 1839 ab eo exercito, deinde Clemens canonicus, sacrarum reliquiarum custos, perrexit.

Hunc Petrus Hercules Visconti secutus est, cuius dissertatio de martyrum polyandris in romanis catacumbis non parvam laudem auctori peperit;[1] eique agmen virorum eruditissimorum successit inter quos praecipue Bartolini, Labus, Secchi, Cavedoni, Polidori ex Italia; Augustius, Binterimus, Rheinwaldus ex Germania; Wiseman, Rochus in Anglia; Greppus, Guéranger ex Gallia, recensentur. E quibus renascentibus studiis illud confectum est quod potissimae circa originem catacumbarum agitarentur quaestiones – iam ante P. Marchi elucubrationes, Missonii autem errores omnino repudiarentur, – et recta aliqua catacumbarum idea earumque originis christianae mentes occuparet.[2] Floruit inter alios Raoul Rochette, doctissimus Galliae archaeologus, cuius plura sunt de christiana vetustate opera tractantia; sed maxime duo ad rem praesentem faciunt, nempe: 1° *Tableau des Catacombes*, et 2° *Sur les types imitatifs de l'art chrétien*. Auctor non satis pendit historica et to-

(1) Cf. WISEMAN, *Twelve lectures on the connection between science and revealed religion*, London, 1855, t. II, p. 132.

(2) Cf. PLATNER, GERHARD, RÖSTELL, *Beschreibung der Stadt Rom*, Stuttgard, 1830, t. I, p. 354 et seq.; BELLERMANN, *Ueber die ältesten christlichen Begräbnissstätten, und besonders die Katakomben zu Neapel mit ihren Wandgemälden*, Hamburg, 1839.

pographica indicia; sed, a locorum historia prorsus abstrahendo, cum ad monumenta, supellectilem scilicet, inscriptiones et picturas animum vertit, frustra certas chronologicas notas ab eo expectes, quippe historico atque topographico adminiculo destituto. Negari certe non potest aliquando ex ipso monumenti modo atque stylo eius aetatem coniici posse; sed hoc criterium per se non sufficit et innumerabilibus obnoxium est erroribus. Huc accedit quod auctor et ethnicas picturas prae manibus veluti christianas habuerit, unde illa eius famosissima sententia, nihil christianis fuisse hoc in genere, quod non ex ethnicis exemplaribus proveniret; quasi vero evangelicas vel biblicas repraesentationes christiani ex ethnicis prototypis petere potuissent: ad quam conclusionem tandem deveniendum est, si auctoris principia valerent, a qua tamen ipse auctor eiusque schola abhorret. Sed magis erravit cum omnes christianos ritus non nisi ethnicos mores esse ab Ecclesia adoptatos demonstrare praesumpsit; quamquam aliquid Ecclesiam ab ethnicis ritibus derivasse nemo negabit,[1] immo de hoc infra pro instituto late tractandum erit.

Settele discipulus in christiana vetustate investiganda, P. Marchi S. I., suffectus est magistro in munere coemeteriorum conservatoris. Hic incredibili cum alacritate coemeteria perlustravit, saepe I. B. De Rossi iuvenem secum ducens; qui tantum magistrum, certe Bosio dumtaxat secundum, longe erat superaturus. Volumen P. Marchi evulgavit (primam ex tribus partibus eius concepti operis, numquam postea integre excusi), cui titulus *Architettura della Roma Sotterranea cristiana*; quod volumen superavit quidquid hoc in genere antea prodiverat in lucem, atque eruditorum expectationem. Nam, licet nova auctor ratione et via suos compleret labores ordinaretque, tamen non apparuit diversum iter carpsisse atque ab eruditis illius aetatis teneretur; et quod erat in animo, sub triplici nimirum adspectu christiana monumenta considerare, architecturae scilicet, picturae et sculpturae, quodque erat omnium in optatis, mirum

(1) Baronius, *Annal.* an. 44, §§ 87-88.

in modum pro edita parte P. Marchius praestitit; nisi quod, ut rite observat I. B. De Rossi,[1] attente Marchii volumen legentibus cito apparebit auctorem interdum a via incepta declinare, et nova veluti ratione abstractum allectumque, quasi prioris poenitere. Videlicet doctissimus vir voluisset quidem novas ingredi semitas, idest topographice et historice Romam subterraneam reconstituere ac describere; sed aetas animo obstabat, quominus tam immanem laborum seriem aggrederetur: hinc est quod discipulum suum I. B. De Rossi ad hoc, veluti ad sacrum munus, incitaret. De P. Marchii eximio opere redibit sermo.

Quid nunc de I. B. De Rossi operibus dicam? Singula enim viro clarissimo imperituram famam parere possunt. Dolendum sane quod ita facta sint rara, ut neque maxima pecunia queant semper acquiri. Primum auctor tria *Romae Subterraneae* ingentia volumina publicavit, ubi generalia principia sive notiones circa originem, progressum et catacumbarum legales conditiones explicat; et coemeteria deinde S. Callisti et Generosae examinat: unde praecipuos archaeologiae canones eruit. Quorum voluminum materia iam ex parte in *Bullettino di Archeologia cristiana* evulgata fuerat, quo in opere passim nova inventa nunciabantur. At si praefata volumina auctoris summam revelant eruditionem in christiana vetustate, in eaque investiganda sagacitatem, quam facili ingenio fuerit I. B. De Rossi nihil melius quam trecenti eius articuli in *Bullettino* inserti demonstrant. Ibi enim non solum in sacra et profana archaeologia virum versatissimum admiraberis, sed et in historia, in critica, in liturgia eum habebis magistrum.

E catacumbis veluti egressus, basilicas aggreditur, et in quo alius quilibet totum vitae spatium insumpsisset, in eodem pauci sufficiunt anni I. B. De Rossi ut opus expleatur. Intelligi volo de quarto auctoris volumine: *I mosaici delle chiese di Roma anteriori al secolo xv*, opus immane in quo omnia Romanarum basilicarum musiva coloribus suis proponuntur de-

(1) *Roma Sotterranea*, t. I, p. 69.

lineata, quibus italice et gallice explicationes adduntur. Neque his contentus, cum fratre suo Michaele Stephano animum adiungit novo operi, *Le piante di Roma*; cum Duchesne autem novae Hieronymiani Martyrologii recensioni. In corpus deinde inscriptionum christianarum absolvendum incumbit, et primum quidem volumen prodidit ubi omnes christianae inscriptiones notam certam temporis exhibentes apparent doctissime commentatae. Secundum huius corporis volumen exiit I. B. De Rossi infirmo et paene sub funus. Sexaginta sex syllogae ibi illustrantur, cuius seriem *Vetus membrana Scaligeri* aperit, atque claudit famosa Petri Sabini sylloge, quam scimus ab auctore Carolo VIII oblatam fuisse, prout haec ipsius Petri Sabini verba testantur: *Haec nos, superiore hyeme, Francorum Regi obtulimus, recitatis ei coram carminibus nostris quinquaginta quae visus non est aspernari.*

Hoc, sicuti et cetera I. B. De Rossi opera, neminem afficiet taedio lectorem; magna e contrario cum voluptate illud percurritur, et pluries centenae ex omnibus manuscriptis collectae legendae atque miro illustratae acumine critico et doctrina, aliquando doctissimis interpolatiae digressionibus, animum attrahunt et absorbent.

Merito I. B. De Rossi principem archaeologorum et huius nobilissimae disciplinae fundatorem aequales declararunt et posteri. Quisquis enim velit aliquid de christiana archaeologia tractare, is eius consulat volumina necesse est. Ista autem partim italice, partim latine, et quidem elegantissime, conscripta sunt. Ad italice scripta quod pertinet, notandum est auctorem ita fecisse, ut opus suum omnibus doctis esset obvium; videlicet ita linguam italicam ad latinam formam redegit, ut nemo qui hanc calleat illam non intelligat.

Verum enim parum, fortasse etiam nihil, archaeologiae christianae studia progressa essent, si Deus providus, praeterquam magistrum, et adiutorem non indignum I. B. De Rossi non exhibuisset.

P. Marchi vidit quidem quantum esset faciendum ut christianae vetustatis monumenta scientifica methodo illustrarentur,

sed cum amplius sibi spatium vitae ad tantum capessendum opus non suppeteret, proprium infudit ardorem atque animum in iuvenem adhuc discipulum I. B. De Rossi. Hic autem vicissim, postquam viam tam difficilem aggressus est, animo defecisset, nisi collaboratorem, qui praestaret veluti necessarium eius laborum complementum, invenisset. Non quidem de interpretandis monumentis, neque de cryptis perlustrandis, cui iam ab adolescentia I. B. De Rossi adsuetus erat, sed de topographicis delineationibus deque iis omnibus quae ad exactas disciplinas (ut vocant) spectant; ad quas utiliter exercendas applicandasque si impar non erat I. B. De Rossi, utpote facili ingenio vir omnibusque aptus disciplinis, tempus omnino deficiebat ei. Quam mirum! Cum primum Michaël Stephanus De Rossi intellexit quanto posset fratri auxilio venire, totum illi se dedere decrevit. Tam sedulo collaboratori debemus si I. B. De Rossi opus maximum ad quamdam pervenerit perfectionem. Investigatio enim literaria atque historica monumentorum prorsus insufficiens et manca evasisset, sine chronologica atque geologica investigatione; haec autem, non secus atque altera, ut aliquid proficeret, integrum vitae eximio ingenio viri spatium requirebat. Nihil dicam amplius de M. S. De Rossi operibus, quae pernecessariam *Romae Subterraneae* partem constituunt; [1] sed qui ea non cognoscunt, discant ex paucis expositis tam benemerentis de christiana vetustate viri memoriam servare.

Iisdem prorsus temporibus, P. Garrucci S. I. floruit, qui quidquid invenit in anterioribus scriptoribus christianae arti illustrandae deserviens, id sedulo collegit, atque, melius quam unquam antea, reproduxit et interpretatus est. Cuius opera praecipua sunt: 1° *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri dei cristiani primitivi di Roma*, bis editum opus, et cuicumque antiquitatis studioso maxime utile; 2° *Storia dell'arte cristiana nei primi otto secoli della Chiesa*, sex consistens voluminibus

(1) Opera eius in hoc genere sunt *Appendices* ad tria volumina *Romae Subterraneae.*

quorum primum de historia et symbolismo tractat, et est veluti pars totius operis theoretica; secundum catacumbarum picturas complectitur explanatque; tertium picturas continet antiquas, sed non coemeteriales; quartum musiva opera exhibet; quintum sarcophagos; sextum anaglypta aliaque parva obiecta. Omnia autem haec doctissime insuper commentantur in prima uniuscuiusque voluminis parte. Eius igitur libri, licet minoris aliqua ex parte facta sint propter recentiora eiusdem generis opera, res easdem perfectius aliquando producentia, tamen adhuc manent, manebuntque semper veluti copiosissimus fons, ex quo omnes futurae aetatis eruditi erunt hausturi.

Secunda saeculi elapsi medietas non paucis conspicua est viris de sacra vetustate benemeritis, iisque doctissimis, quorum opera si enumerare vellem nimio opus esset mihi spatio. Itaque praecipuos tantum citabo.

Et primum quidem de Edmundo Le Blant videtur verbum faciendum, qui I. B. De Rossi hortatu archaeologus factus est, atque opus vere egregium: *Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, Gallici gubernii expensis evulgavit.(1) Paucis post annis in lu-

(1) En quomodo I. B. De Rossi amicum suum Le Blant ut electum ingenium dedicaret Christianae illustrandae antiquitati induxit: « Circa l'anno 1850 quel gentilissimo signore (Le Blant) venne a Roma: e cagione del suo venirvi fu la perdita della giovine sposa che, lasciatogli un piccolo bambino, se ne morì: onde egli sentivasi tutto affranto, e cercava coi viaggi per estranee regioni dimenticare alquanto il suo dolore. Fe' in Roma la conoscenza del De Rossi il quale condusselo anche alle catacombe per mostrargli i tesori della cristiana tradizione. Pieno di stupore e di entusiasmo per il nuovo mondo che gli si apriva dinanzi a' suoi occhi, pregò il De Rossi volesse proporre un tema, del quale potrebbe egli occuparsi: ma fosse tale da assorbire tutti i suoi pensieri e fargli dimenticare le sue pene. Il De Rossi in quel lungo conversare così del tutto accidentalmente, gli fe' notare che un tema bello e da sapergliene grado sarebbe la raccolta e pubblicazione delle tante e tanto importanti iscrizioni cristiane della Gallia. Con ciò si renderebbe un segnalatissimo servigio alla dottrina delle cristiane antichità. In ogni modo la cosa aveva grandi difficoltà, poichè appena si trovano antecessori nel lavoro su tal campo. Il Le Blant, senza più oltre dichiararsi, se della cosa si vorrebbe occupare o no, ne lo ringraziò. Il De Rossi aveva poi ben presto dimenticato questa parte della conversazione, poichè non pensò punto che il

cem prodibat opusculum: *La question du vase de sang*, quo ipse argute summaque industria ampullas loculis affixas minime sanguinem martyrum continuisse conatus est demonstrare. Sequebatur paullo post opus: *Études sur les sarcophages chrétiens de la ville d'Arles*, in quo ingenii sagacitas auctoris magna apparet. Vidit enim auctor in sculptilibus funerariis eadem facta repraesentari, quae in *Ordine commendationis animae* recensentur. Vidit etiam artifices illos Christianos in anaglyptis elaborandis symmetriae lege (ut hodie dicitur) potissimum duci. Quapropter, dum nova eaque ulterioribus studiis maximo auxilio venienda repperit, multas delevit praeiudicatas sententias, quod scilicet omnia in Christianis monumentis etiam minimi momenti, vel ad simpliciorem decorationem pertinentia aliquod symbolum continerent ab artifice consulto praedispositum. Non minoris meriti aliud opus eius est cui titulus: *Études sur les sarcophages chrétiens de la Gaule*; ad complementum autem primi, evulgavit: *Nouveau recueil des inscriptions de la Gaule.* Denique septingentas et quinquagintas ineditas inscriptiones collegit, quae fuit veluti ceterum praecedentium operum corona, iisque dignissima.(1)

Le Blant si sobbarcherebbe a sì poderoso tema. Or ecco dopo molti anni, dacchè il Commendatore nè per iscritto nè a voce aveva più sentito nulla del Le Blant, questi si presenta nuovamente in Roma, lo visita, e gli pone sotto gli occhi il manoscritto delle *Iscrizioni cristiane della Gallia* (*Inscriptions chrétiennes de la Gaule*) e insieme gli dice:

« Ecco qui l'esecuzione dell'incarico datomi da lei parecchi anni or sono ».

« Io avrei dato a lei l'incarico di raccogliere le cristiane iscrizioni della Gallia? » Interrogò veramente stupefatto il De Rossi, poichè non si ricordava affatto della suddetta sua osservazione fatta da tanto tempo così per mera casualità ».

« Certo, ella mi ha dato tale incarico! » Rispose il Le Blant, ricordandogli insieme le particolarità della loro conversazione. Allora ritornò in mente al De Rossi tutto l'accaduto, non senza sua altissima meraviglia per l'ardore e la serietà insieme con cui il Le Blant si era dedicato a quegli studi » (BAUMGARTEN, *G. B. De Rossi*, traduzione dal tedesco del P. Bonavenia S. I.).

(1) *Sept cent cinquante inscriptions de pierres gravées inédites ou peu connues*, Paris, 1896.

Primus periodici *Bullettino di archeologia cristiana*, editor in lingua Gallica fuit R. Dom. Martigny qui, anno 1865, opus publicavit tunc temporis fere unicum: *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*. Cum esset I. B. De Rossi amicissimus, huius praefatum periodicum *Bullettino* notis eruditissimis auxit, atque agens de nova Lexici editione, maxime fruitus est summi archaeologi romani consiliis. Secundo vidit lucem Lexicon R. Dom. Martigny, at non, ut in votis erat omnibus, nimium incrementis ac notis I. B. De Rossi conspicuum; anno autem 1889, tertia editio facta est.

Egregii huius auctoris Lexicon materiam subministravit duobus eiusdem generis operibus, nempe: *Dictionary of christian antiquities*, Smith atque Cheetam auctoribus; et: *Real-Encyclopädie der christlichen Alterthümer*, ab F. X. Kraus conscripto. Hic perillustris archaeologus, qui diu I. B. De Rossi familiariter usus est, praeclara opera edidit, quibus archaeologi Romani doctrinam atque nova reperta in epitomen redegit, fuitque huius eruditionis generis praecipuus in Germania propagator.

Idem, plus minusve, opus Paulus Allard, Northcote et Brownlow sub titulo: *Roma subterranea* publicaverant, et quidem egregie; fecerant scilicet, ille in Gallia, isti in Anglia, quod Doct. Kraus in Germania fecit. Sed Paulus Allard alia est ratione de archaeologicis Christianis studiis optime meritus; nam inter varia, eaque eruditissima, opera, *Historiam persecutionum* evulgavit, in qua, nedum historiae peritum, etiam iuris Romani, et Christianae antiquitatis, et criticae (uti vocant) artis eum peritissimum invenies. De eo deque eius operibus saepe incidet mentio in praesentis voluminis cursu, quippe mihi diuturne terendis manibus operibus. Nuperrime typis mandavit quod a clarissimo Marucchi complementum *Historiae persecutionum* dictum est, nimirum opus: *Dix Leçons sur le Martyre*, lectiones scilicet decem *De Martyrio*, quas in Catholico Instituto Parisiensi, anno 1905 habuit. Legat qui potest, immo librum hunc, vere aureum, quaerat Sanctuarii discipulus, et ineffabilem spiritalem atque intellectualem voluptatem inde capiet, magisque in amore religionis augescet.

Inter I. B. De Rossi discipulos primum tenent locum Stevenson, Marianus Armellini et Horatius Marucchi. De prioribus statim loquar, utpote mortuis, qui saepe magistri labores participarunt pretiosaque opera reliquerunt. Primus habuit patrem in bonis artibus eruditissimum, qui ex protestantismo ad veram conversus ecclesiam atque inter *Scriptores* Vaticanae Bibliothecae adscitus, munus in catalogos compilandi Graecos praefatae Bibliothecae codices suscepit eosque publicandos curavit. Idem atque pater filius munus obivit circa codices latinos, quorum plures in lucem prodierunt. Parum tamen veluti personale et proprium evulgavit, cum de eo duae tantum opellae ad rem facere nostram videantur, nempe: *S. Zotici coemeterium*, et *Inventio basilicae S. Symphorosae*, praeter ea non pauca in *Bullettino di archeologia cristiana* conscripta.

Non ita Marianus Armellini qui non mediocrem operum seriem praebuit, eaque tam variam, ut aliqua cum summo suo magistro similitudinem habuisse dixeris.(1) Fuit latinae linguae studiosissimus et non inelegans scriptor; quam in linguam *Librum Philosophumenon* ipse vertit multa cum laude, atque I. B. De Rossi mortuo, visa est in eo Rossiana schola vivens perdurare.

Post ingentia I. B. De Rossi opera, his dignissimum apparuit opus Wilpert: *Le pitture delle catacombe*, quod pars est et continuatio *Romae subterraneae*. Maximi Wilpert a I. B. De Rossi aestimabatur, praesertim in picturis interpre-

(1) Praestat praefatam operum praecipuorum seriem extendere:

1. *Scoperta d'un graffito istorico nel cimitero di Pretestato sulla via Appia*, Romae, 1874.

2. *Scoperta d'un antico oratorio presso la via Appia dedicato all'Arcangelo Gabriele*, Romae, 1875.

3. *Scoperta della cripta di S. Emerenziana e di una memoria relativa alla Cattedra di S. Pietro nel cimitero Ostriano*, Romae, 1877.

4. *Le catacombe romane*, Romae, 1881.

5. *Il cimitero di S. Agnese nella via Nomentana*, Romae, 1880.

6. *Gli antichi cimiteri di Roma e d' Italia*, Romae, 1893.

7. *Lezioni di Archeologia cristiana*, Romae, 1883.

8. *Le Chiese di Roma*, Romae, 1891.

tandis, qua in re ab ipso insuperabilis iudicabatur.(1) Neque laus tanta exaggeratione laborat; nam nemo unquam poterit idem praefatum opus melius repetere: multos enim requirit annos, diuturnum laborem, artifices aptos, ingentemque pecuniam; ipsae vero picturae reproducendae eaedem non manent hodie atque viginti abhinc annis erant. Is insuper qui deinceps tali incumbere operi vellet sollicitudinem habere deberet quamdam melius, aut saltem aeque faciendi ac Wilpert fecit; nam si peius, opera et impensa periret. Neque, denique, si omnia haec dari potuerint, aliquid operi Wilpert detrahetur, neque ipsum a prisca consideratione desciscet, cum sciamus non solam perfectissimam picturarum reproductionem exigi, sed et earum illustrationem et commentarium: aliud est enim id quod a creatione ingenioque artificis pendet, aliud rem historicam tractare. Igitur non immerito de huiusmodi opere illa Horatiana verba poterit auctor egregius sibi tribuere:

Exegi monumentum aere perennius.

De intrinseco operis pretio loquendi non est hic locus; ceterum cum pene omnibus Wilpert commentariis meum adhaereat iudicium, nihil aliud suo loco, de picturis tractans, quam auctoris doctrinam paucis exponam. Verum enim antequam tantum opus auctor evulgaret, iam generatim tantum illud expectabatur ab omnibus eruditis, quia locupletissimam iam operum

(1) Qui ita scribit testimonium certissimum posset exhibere de magna I. B. De Rossi erga Wilpert existimatione. Sufficiant ad rem aliqua ipsius I. B. De Rossi verba, quae ex *Bullettino di Arch. Crist.* an. 1891, p. 15, in nota, excerpo. Loquens enim egregius archaeologus de picturis recens recognitis Wilpert industria, in coemeterio Petri et Marcellini, haec habet: «Benchè i dipinti del predetto cubicolo sieno tanto oscurati da macchie nerastre di umidità prodotta dal cattivo impasto dell' intonaco, che a prima giunta appaiono irriconoscibili, pure dietro la guida del dito e dell'occhio acuto e sagace del Wilpert anche la mia debolissima vista ha potuto conoscere la verità dei disegni trattine da sì esperta mano. Laonde plaudendo al benemerito scopritore, dinanzi al miracolo del cieco effigiato in quei dipinti, io dissi, che anche egli sa dare la vista ai ciechi».

seriem auctor conscripserat. In his praesertim eminet: *La Fractio panis*, de quo repetam quod alibi declaravi:[1] « Consulatur opus *Fractio panis*, cui nihil in suo genere tum propter tractatam rem (omnium scilicet antiquissimam, ab ipsoque auctore inventam, repraesentationem eucharistiae mensae), tum eruditionis methodique caussa comparari potest ». Haec duo quae modo citavi opera nulla in bibliotheca theologica deesse deberent, atque mirum videtur quod in tanta venerandae antiquitatis studiorum excitatione, praesertim inter iuvenes ad sacerdotium destinatos, possit seminarium aut universitas theologica ulla inveniri, quae isto opere careat.

Catacumbae Neapolitanae doctissimum habuere illustratorem G. Scerillum, qui plura ac pretiosa opera typis mandavit; eum secutus est V. Schultze, qui insuper auctor aliorum operum extat Christianas insulae Siciliae memorias illustrantium. Romae domum Coelimontanam Ss. Ioannis et Pauli non solum ex ruinis pluries secularibus eruendam curavit P. Germanus, Passionista, verum etiam multa eruditione illustravit.

Non parvi momenti sunt etiam scripta V. Strazzulae circa Syracusanas catacumbas[2] ac R. P. Delattre circa Africana coe-

(1) *Nonnulla de Symbolismo liturgico*, Romae, 1907, p. 11, in nota. En series ceterorum Wilpert operum praecipuorum:

1. *Prinzipienfragen der christl. Archäologie*, Freiburg, 1890.

2. *Ein Cyklus christologischer Gemälde aus der Katak. der heiligen Petrus und Marcellinus*, Freiburg, 1891.

3. *Die Katakomben gemälde und ihren alten Copien*, Freiburg, 1891.

4. *Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderte der Kirche*, Freiburg, 1892.

5. *Prinzipienfragen der christlichen Archäologie*, Freiburg, 1892.

6. *Die Malereien in der Sakramentskapelle in der Katak. d. heil. Callistus*, Freiburg, 1897.

7. *Un capitolo di storia del vestiario*, Romae, cum 30 fig. et 1 tab., 1899.

(2) Hodieque Syracusanae catacumbae obiectum studiorum perstant eruditissimis auctoribus, inter quos non sunt praetermittenda nomina Cavallari, Is. Carini, P. Orsi, I. Fürer, V. Schultze, D. Salazaro, C. Barreca.

meteria tum subterranea tum subdialia.[1] Monumentis Byzantinae artis evulgandis, Uvarow, Kondakov, Pokrovskij, Strzygowski, Bock vacarunt. Hic ultimus, inter alia, in suo opere posthumo amitae expensis publicato: *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Egypte chrétienne*, picturas reproduxit sepulcrorum Oasis, africani deserti partis quam hodie El-Bagaouat vocant, picturas, inquam, pretiosissimas, quia eumdem proferunt cyclum biblicorum factorum quem in Romanis catacumbis videmus.

Sunt qui Strzygowski opera maximi existiment, in quibus auctor quidquid artis Byzantinae in Occidentalibus regionibus floruit, id, totum quantum est, Orienti tribuendum docet. Qua in opinatione, excedere prorsus limites probabilitatis egregius archaeologus videtur; sed melius de hoc redibit sermo cum picturae catacumbarum describentur.

Ad rem epigraphicam quod pertinet, non est nomen praetereundum clarissimi Hübner qui Hispana epitaphia recensuit; ac potissimum nomen Prof. Iosephi Gatti. Hic ita I. B. De Rossi familiariter usus est, ut huius animus, ineffabili dolore affectus morte Henzeni, maximum ex hac amicitia perciperet solatium. Cum autem vir epigraphicae scientiae peritissimus esset Gatti tum profanae tum sacrae, munus insumpsit *Corpus inscriptionum Christianarum* perficiendi, quantum vita ei suppeteret, quod quantae sit utilitatis nemo non videt.

Quattuor ante annis, coepit editio cuiusdam lexici cui nomen est: *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, publié par le R.me Dom Fernand Cabrol, abbé de Farnborough, avec le concours d'un grand nombre de collaborateurs.* Repetam quae iam in recensionibus huius operis dixi:[2] criticum acumen, doctrina, documentorum ac monumentorum copia; praeterea genus

(1) Africae monumenta non paucos habuere illustratores, in quibus eminet St. Gsell. Novissime omnia huius partis studia clarissimus H. Leclercq in epitomen collegit, quae utiliter consulitur a studiosis, et omnium eiusmodi operum optime locum tenet.

(2) *Ephemerides Liturgicae* (September-October, an. 1907 sub finem).

ipsum, ratio viaque operis efficiunt ut facile sibi admirationem vindicent auctores, eorumque opus fere necessarium omnibus sacrae archaeologiae studiosis evadat. Namque ibi de quavis re ad scientiam nostram pertinente, ita exhaurientes explicationes invenies, ut, etsi laterculo bibliographico ibi apposito cuicumque articulo nolueris uti, satis habebis ad certam et completam subiecti cuiuslibet ideam acquirendam. Quae laus inprimis H. Leclercq est danda, incredibili eruditione viro, licet fortasse reprehendendum quod aliquando de non aditis monumentis paullo intimius loquatur iudicetque. Quid difficilius quam iudicium proferre de rebus visis tantum in tabulis ? Hinc est quod eius opera ex hac parte arbitrariis laborent non raro iudiciis, neque contentionibus careant circa monumenta quae auctor numquam, aut per transennam tantum vidit, idque adversus eorum sententiam qui longam iam aetatem in perlustrandis monumentis, iisque illustrandis peregerunt.

Recentissimo suo opere: *Manuel d'archéologie chrétienne*,[1] in cyclos potissimum invexit, sed circa hanc et priorem quaestionem erit in secundo volumine loquendum. His exceptis non parvi opus eius faciendum est.

Aliud e contrario est iter quod tenuit Marucchi in suis *Elementis archaeologiae christianae*, pluries editis, atque in aurea

(1) Op. cit. vol. I, pp. 203–205, — Perperam ageret qui auctorem redargueret quod nullum testimonium ex monumentis eruerit traditionis Christianae, ad quam tamen hoc eruditionis genus ordinatur. Etenim auctor non putat historico viro dignum determinare quid sibi velint picturae aliquod allegoricum subiectum exhibentes, en eius verba: « Laissons donc l'imagination, et tenons-nous au bon sens. Il n'est pas douteux que chaque sujet en particulier, ne représente une scène biblique ou contemporaine. Plusieurs d'entre ces sujets peuvent être non seulement historiques, mais allégoriques. Aller au delà, c'est sortir de la science sérieuse, nous ne nous y aventurerons pas » (Op. cit. vol. I, p. 205). Porro, cum alibi id argumenti tractem, unum notare hic lubet: nihil magis indoli saeculi nostri omnia scrutari cupientis contrarium esse quam hanc veluti normam ponere: si antiquam Christianam picturam invenias, quae, post examen, subiectum historicum simul et allegoricum videatur prae se ferre, hoc tibi sufficiat, noli progredi amplius in ea interpretanda. Esset enim veracem scientiam declinare quid sub allegoria occultetur quaerere.

eorum epitome quam nuper dedit in lucem[1] ut tironibus in hoc eruditionis genere inserviret. Meo tamen iudicio haec prorsus insufficiens est, etiam notabiliter aucta ut fuit in secunda recentissima editione. At qui paucis generalem acquirere Archaeologiae sacrae notitiam velit, nihil equidem aptius invenire posset quam praefatum Summarium.

Alia quamplurima scripsit egregius auctor non ineleganter, et cum sit conspicua eruditione praeditus, Romae in academiis, in universitatibus aut in publicis conventibus eum facile invenies modo hypogea, templa, aliaque christiana monumenta, modo imperialis popularisque Urbis ruinas, modo Aegyptiacas moles, facili eloquio illustrantem. In eius operibus, tandem, fides cum scientia sororio, ut par est, vinculo invicem devinciuntur, omnesque eius labores eo spectant ut veritas illa fulciatur quae, ut ait poeta, ad astra nos evehit:

La verità che tanto ci sublima.

Iam in tabellam redigam praecipuorum operum selectam, christianam archaeologiam respicientium in ordine chronologico dispositorum.

(1) *Manuale di Archeologia Cristiana*, Roma, Desclée e C. editori. Praecipua eximii auctoris opera de christiana vetustate haec sunt:

1. *Eléments d'Archéologie chrétienne: Notions générales.*
2. *Id. id.: Les Catacombes romaines.*
3. *Id. id.: Basiliques et Eglises de Rome.*
4. *Guide des Catacombes romaines.*
5. *Le Catacombe romane secondo il risultato degli ultimi studi e delle più recenti scoperte.*
6. *Guida del cimitero di Priscilla.*
7. *Id. id. di Callisto.*
8. *Guida delle Catacombe d' Albano.*
9. *La santità del matrimonio confermata dagli antichi monumenti cristiani.*
10. *Il cimitero e la basilica di S. Valentino.*
11. *Le memorie degli Apostoli Pietro e Paolo in Roma.*
12. *Le Catacombe e il Protestantesimo.*

Nunc auctor adlaborat in quarto *Romae subterraneae* volumine complendo, in quo coemeterium Domitillae data opera omni ex parte illustrabitur.

OPERA AD COEMETERIORUM INVENTIONEM, HISTORIAM ET DESCRIPTIONEM SPECTANTIA.

1568. PANVINIUS (Onuphrius), *De ritu sepeliendi mortuos apud veteres christianos et de eorumdem coemeteriis,* in-4°, Coloniae, 1868; in-4°, Lovanii, 1572; in-8°, Romae, 1631; in-4°, Lipsiae, 1717.

1589. BARONIUS (Caesar Card.), *Annales ecclesiastici a Christo nato ad annum 1198,* 12 vol. in-fol., Romae, 1589-1603.

1634. BOSIO (Antonius), *Roma sotterranea* (postuma), in-fol., Roma, 1632; in-4°, Roma, 1650. In hac secunda editione non pauca desunt quae in prima inveniuntur.

1651. ARINGHI (Paulus), *Roma subterranea novissima,* duo vol. in-fol., Romae, 1651; duo vol. in-fol., Coloniae et Parisiis, 1659. Secunda haec editio priori multo est melior.

1683. MORINUS (S.), *Dissertationes octo in quibus multa sacrae et profanae antiquitatis monumenta explicantur,* in-8°, Genuae.

1699. CYPRIAN (Ern.-Salom.), *De ecclesia subterranea liber,* in-4°, Helmstadii.

1706. NICOLAI (J.), *De sepulchris Hebraeorum libri IV,* in-4°, Lugduni Batavorum.

1708. BINGHAM (J.), *Origines ecclesiasticae,* 10 vol., in-8°, Londini, 1708-1722; duo vol. in-fol., Londini, 1726; 10 vol., Londini 1855; versio latina, in-8°, Halae, 1724.

1710. FEMEL (Arm.), *De catacumbis romanis,* in-8°, Lipsiae.

1720. BOLDETTI (M. A.), *Osservazioni sopra i cimiteri dei Santi Martiri ed antichi Cristiani di Roma,* in-fol., Roma.

1739. BERTOLI (J. D.), *Le antichità di Aquileja,* in-fol., Venezia.

1746. GOEBEL *De sepulcrorum et sepultorum religione,* in-4°, Regiomonti.

1757. CORNELIUS, *Creta sacra,* in-4°, Venetiis.

1773. ALLEGRANZA (J.), *De sepulcris christianis in aedibus sacris,* in-4°, Mediolani.

1773. DIONIGI, *Sacrarum Vaticanae basilicae cryptarum monumenta,* in-fol., Romae.

1810. ARTAUD, *Voyage dans les catacombes de Rome, par un membre de l'Académie de Cortone,* in-8°, Paris.

1816. MORCELLI, *Africa christiana,* 3 vol., in-4°, Brixiae.

1833. LETRONNE (J.), *Matériaux pour l'histoire du Christianisme en Égypte,* in-4°, Paris.

1838. TEXIER, *Description de l'Asie-Mineure,* in-fol., Paris, 1838-1848.

1839. BELLERMANN, *Ueber die ältesten christlichen Begräbnisstätten, und besonders die Katacomben zu Neapel mit ihren Wandgemälden,* in-4°, Hamburg.

1839. IORIO, *Guida per le catacombe di S. Gennaro dei Poveri,* in-8°, Napoli.

1844. Marchi (G.), *I monumenti delle arti cristiane primitive*, in-4°, Roma.
1848. Mommsen, *Athenae christianae*, in-8°, Leipzig, 2ª ed., 1867.
1853. Cavedoni (C.), *Ragguaglio storico-archeologico di due antichi cimiteri cristiani della città di Chiusi*, in-8°, Modena.
1856. Mozzoni, *Tavole cronologiche-critiche della storia della Chiesa universale, illustrate con argomenti d'archeologia*, in-fol., Venezia, 1856-1860.
1857. Cochet, *Sépultures gauloises, romaines, franques et normandes*, in-8°, Paris.
1863. De Rossi (J.-B.), *Bullettino di archeologia cristiana*, 1ª serie, 1863-1869; 2ª serie, 1870-1875; 3ª serie, 1876-1881; 4ª serie, 1882-1889; 5ª serie, 1890-1894.
1864. De Rossi (J.-B.), *Roma sotterranea*, t. I, con atlante di XXXIX tavole, Roma.
1867. De Rossi (J.-B.), *Roma sotterranea*, t. II, con atlante di LXII tavole, Roma.
1869. Northcote (J. Sp.), Brownlow (W. E.), *Roma sotterranea, or some account of the Roman catacombs, especially of the cemetery of San Callisto*, Londini; 2ª ed., 1878-1879.
1869. Scerillo (G.), *Le catacombe napolitane*, in-8°, Napoli.
1870. Scerillo (G.), *Esame speciale delle catacombe di S. Giovanni dei Poveri*, in-8°, Napoli.
1870. Desbassyns de Richemont, *Les nouvelles études sur les catacombes romaines*, in-8°, Paris; versio germ., in-8°, Maguntiae, 1872; 3 edit., gall., in-8°, Bruxellis, 1896.
1871. Allard (P.)., *Rome souterraine*, trad. d'après Northcote et Brownlow, Paris; 2ᵉ édit., 1873-1877.
1871. Reusens, *Éléments d'archéologie chrétienne*, 2 vol. Lovanii; 2ᵉ édit., 1885.
1873. Kraus (F. X.), *Roma sotterranea. Die römischen Katacomben*, in-8°, Freiburg; 2ª edit., 1879.
1877. De Rossi (J.-B.), *Roma sotterranea*, t. III, con atlante di LII tavole, Roma.
1877. Schultze (V.), *Die Katacomben von San-Gennaro dei Poveri in Neapel*, in-8°, Jena.
1878. Ott, *Die ersten Christen über und unter der Erde*, in-8°, Regensburg.
1879. Schultze (V.), *De christianorum veterum rebus sepulcralibus*, in-8°, Gothae.
1880. Armellini (M.), *Le catacombe romane*, Roma.
1880. Armellini (M.), *Il cimitero di S. Agnese sulla via Nomentana*, Roma.
1880. Schultze (V.), *Archäologische Studien über altchristliche Monumente*, in-8°, Wien.
1881. Roller (Th.), *Les catacombes de Rome*, Paris.
1882. Kraus (F. X.), *Real Encyklopädie der christlichen Alterthümer*, 2 vol. in-8°, Freiburg, 1882-1886.

1882. Schultze (V.), *Die Katacomben, die altchristlichen Grabstätten, ihre Geschichte und ihre Monumente*, in-8°, Leipzig.
1890. Marucchi (H.), *Il cimitero e la basilica di S. Valentino*, Roma.
1892. Lanciani, *Pagan and christian Rome*, in-8°, London.
1892. Pératé (A.), *L'archéologie chrétienne*, in-8°, Paris.
1893. Armellini (M.), *Gli antichi cimiteri cristiani di Roma e d'Italia*, Roma.
1893. Galante (A.), *Il cimitero di S. Ippolito, martire in Atripalda, diocesi di Avellino*, in-4°, Napoli.
1893. Gsell (S.), *Recherches archéologiques en Algérie*, in-8°, Paris.
1894. Germano (P.), *La casa celimontana dei Ss. martiri Giovanni e Paolo*, in-8°, Roma.
1895. *Nuovo Bullettino di archeol. crist.; ufficiale pei resoconti della Commissione di archeol. sacra sugli scavi e sulle scoperte nelle catacombe romane*, 1895 et seq.
1895. Carton, *Découvertes archéologiques et épigraph. faites en Tunisie*, in-8°, Paris.
1896. Srazzula (V.), *Dei recenti scavi eseguiti nei cimiteri della Sicilia*, in-8°, Palermo.
1896. Gauckler (P.), *L'archéologie de la Tunisie*, in-8°, Paris.
1897. Iozzi (O.), *Supplemento alla Roma sotterranea cristiana di G. B. De Rossi*, in-8°, Roma; 2ª edit., 1898.
1897. Fürer (J.), *Forschungen zur Sicilia sotterranea*, in-4°, München.
1898. Grisar (H.), *Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter; mit besonderer Berücksichtigung von Kultur und Kunst nach den Quellen dargestellt*, in-8°, t. I, 1898-1900.
1899. Milligen (Van), *Byzantine Constantinople. The walls of the city and adjoining historical sites*, in-8°, London.
1900. Grisar (H.), *Analecta romana, dissertazioni, testi, monumenti dell'arte riguardanti principalmente la Storia di Roma e dei Papi nel medio evo*, Roma.
1900. Marucchi (H.), *Éléments d'archéologie chrétienne*: I. Notions générales, II. Guide des catacombes, III. Les basiliques, 3 vol. in-8°. Rome, 1900-1903.
1901. Gsell (S.), *Les monuments antiques de l'Algérie*, 2 vol., in-8°, Paris.
1901. Bock (W. de), *Matériaux pour servir à l'archéologie de l'Égypte chrétienne*. Atlas oblong, texte français et russe, Saint-Petersbourg.
1901. Strzygowski (I.) *Orient oder Rom*, in-8°, Leipzig.
1902. Fürer (J.), *Ein altchristliches Hypogaeum im Bereiche der Vigna Cassia*, in-8°, München.
1902. Lanciani (R.), *Storia degli scavi di Roma e notizie intorno alle collezioni romane di antichità*, Roma.
1902. Enlart (E.), *Manuel d'archéologie française*, in-8°, Paris.
1902. Jerovsek (A.), *Die römischen Katacomben*, in-8°, Marburg.

1902. Cabrol (Dom), *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, avec le concours de nombreux collaborateurs, Paris, fasc. I; 1908, fasc. XV.
1903. Naval (Fr.), *Elementos de arqueologia*, in-8°, San Domingo.
1905. Kaufmann (C. M.), *Handbuch der christlichen Archäologie*, in-8°, Paderborn; versio italica: *Manuale di archeologia cristiana*, in-8°, Roma, 1908.
1906. Leclercq (H.), *L'Espagne chrétienne*, in-12°, Paris.
1906. Lowrie (W.), *Monuments of the early Church*, New York.
1906. Lambakis (G.), *Catacombes chrétiennes de Milo*, Athènes.
1906. Leynaud, *Rapport sur les fouilles des Catacombes d'Hadrumète.*
1907. Leclercq (Dom H.), *Manuel d'archéologie chrétienne depuis les origines jusqu'au VIIIe siècle*, 2 vol., in-8°, Paris.
1907. Kaufmann (C. M.), *Zweiter Bericht über die Ausgrabung der Menas-Heiligtümer in der Mareotiswüste*, Cairo.
1908. Kaufmann (C. M.), *Manuale di archeologia cristiana*, Roma.

Opera praecipua de re epigraphica christiana tractantia.

1700. Fabretti (Raph.), *Inscriptionum antiquarum, quae in aedibus paternis asservantur, explicatio et supplementum*, in-fol., Romae.
1727. Gori (A.), *Inscriptiones antiquae graecae et romanae, quae existunt in Etruriae urbibus*, in-4°, Florentiae.
1734. Lupi (Ant.), *Dissertatio et animadversiones ad nuper inventum Severae martyris epitaphium*, in-4°, Panormi.
1737. Giorgi (Dom.), *De monogrammate Christi Domini dissertatio*, in-4°, Romae.
1739. Muratori, *Novus thesaurus veterum inscriptionum*, in-fol., Mediolani.
1747. Hagenbuch (J. G.), *Epistolae epigraphicae*, in-4°, Tiguri.
1749. Hagenbuch (J. G.), *De diptycho Brixiano Boethii cos*, in-fol., Tiguri.
1750. Eisenhart, *De auctoritate et usu inscriptionum in iure commentitio*, in-4°, Helmstadii.
1755. Gori (A.), *Xenia epigraphica*, in-8°, Ienae.
1758. Iacutio, *De epigrammate Ss. Bonusae et Mennae*, in-4°, Romae.
1759. Gori (A.), *Thesaurus veterum diptychorum consularium et ecclesiasticorum*, in-fol., Florentiae.
1761. Zaccaria (Ant.), *De veterum christianarum inscriptionum usu in rebus theologicis*, in-4°, Venetiis.
1767. Gener (J. D.), *Theologia dogmatico-scholastica sacrae antiquitatis monumentis illustrata*, 6 vol., in-4°, Romae.
1770. Oberlin (J. J.), *Musaeum Schoepftini lapidarium*, in-4°, Argentorati.
1773. Allegranza (J.), *De monogrammate D. N. I. C.*, in-4°, Mediolani.

1775. Guasco, *Musaei Capitolini antiquae inscriptiones*, in-fol., Romae.
1793. Zaccaria (A.), *Istituzione antiquario-lapidaria*, in-8°, Venetiis.
1795. Morcelli (E.), *Commento all' iscrizione sepolcrale della santa martire Agape*, in-8°, Brescia.
1805 Vermiglioli, *Le antiche iscrizioni perugine*, in-4°, Perugia.
1817. Kopp, *Paleografia critica*, 4 vol., in-4° Manheimii, 1817-1829.
1831. Marini, *Inscriptiones christianae*, ap. « Ang. Mai, Scriptorum veterum nova collectio » t. V, in-4°, Romae.
1839. Fusco, *Dichiarazioni di alcune iscrizioni pertinenti alle catacombe di S. Gennaro dei Poveri*, in-8°, Napoli.
1839. Pitra (J.-B.), *Lettre à M. Bonnetty*, ap. « Annales de philosophie chrétienne », II série, t. XIX, 1er septembre 1839, p. 195 et seq.; III série, 1840, p. 165 et seq.; 1841, p. 7 et seq.; p. 85; 1842, p. 165; 1843, p. 232. Circa inscriptionem Augustodunensem, quam citatis operibus J.-B. Pitra illustravit, non paucae elucubrationes dissertationesque factae sunt, quarum habes elenchum completum apud H. Leclercq, in « Dictionnaire d'arch. chrét. et de liturg. », art. *Autun, bibliographia.*
1846. Boissieu (De), *Inscriptions antiques de Lyon*, gr. in-4°, Lyon, 1846-1854.
1847. Lebas (Ph.) et Waddington, *Voyage archéologique en Grèce et en Asie-Mineure: Inscription*, 5 vol., in-4°, Paris, 1847-1870.
1856. Le Blant (E.), *Recueil des inscriptions chrétiennes de la Gaule, antérieures au VIIIe siècle*, Paris.
1861. De Rossi (J.-B.), *Inscriptions Christianae urbis Romae.*
1863. *Corpus inscriptionum latinarum*, in-fol., 1863, Berolini.
1871. Hübner, *Inscriptiones Hispaniae christianae*, Berolini.
1877. *Corpus inscriptionum graecarum*, Berolini, 1828-1877.
1892. Le Blant (E.), *Nouvean recueil des iuscriptions de la Gaule*, Paris.
1896. Le Blant (E.), *750 inscriptions de pierres gravées inédites ou peu connues*, Paris.
1900. Delattre (A.-L.), *Musée de S. Louis de Carthage*, in-4°, Paris.
1902. Cabrol et Leclercq, *Monumenta Ecclesiae liturgica*, in-4°, Parisiis.
1906. Delattre (A. L.), *Inscriptions chrétiennes de Carthage 1898-1904*, 1906, in-8°, Tunis.

Opera praecipua
de picturis, sculpturis et musivis tractantia.

1568. Macarius (Joan.), *Hagioglypta, sive picturae et sculpturae sacrae antiquiores*, editio Garucciana, in-8°, Lutetiae Parisiorum, 1853.
1570. Molanus [= Vermeulen (J.)], *De picturis et imaginibus sacris*, seu: *Historia sacrarum imaginum et picturarum libri IV*, in-8°, Lovanii, 1570, 1594; Duaci, 1617; item, Lovanii, 1771.

1690. Ciampini (J.), *Vetera monimenta, in quibus praecipue musiva opera, sacrarum profanarumque aedium structura ac nonnulli antiqui ritus dissertationibus iconibusque illustrantur,* in-fol., Romae; item, Romae, 3 vol. in-fol., 1747.

1737. Bottari (G.), *Sculture e pitture sagre estratte dai cimiteri di Roma, pubblicate già dagli autori della Roma sotterranea ed ora nuovamente date in luce colle spiegazioni,* 3 vol. in-fol., Roma.

1744. Marangoni (J.), *Delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso ed adornamento delle chiese,* in-4°, Roma.

1818. Münter (Fr.), *Symbola veteris Ecclesiae artis operibus expressa,* in-4°, Altonae.

1823. Agincourt (Séroux D'), *Histoire de l'art par les monuments,* 6 vol. in-fol., Paris; editio italica 1824-1825, Milano; editio germanica, 1840, Berlin.

1825. Lasinio (P.), *Raccolta dei sarcofagi, urne e altri monumenti di scultura del Campo Santo di Pisa,* in-4°, Firenze.

1845. Selvatico, *Sulla simbolica figurativa ornamentale,* in-4°, Venezia.

1847. Piper (F.), *Mythologie und Symbolik der christlichen Kunst,* 2 vol. in-8°, Weimar, 1847-1851.

1848. Crosnier, *Iconographie chrétienne,* in-8°, Paris.

1855. Cavedoni, *Sacra immagine della Beata Vergine Maria,* in-8°, Modena.

1855. De Rossi (J.-B.), *De Christianis monumentis ἰχθύν exhibentibus,* ap. Pitra, *Spicil. Solesmense,* t. III, pp. 544-577.

1863. De Rossi (J. B.), *Imagines selectae Deiparae Virginis in coemeteriis subterraneis udo depictae,* in-fol., Romae.

1863. Barbet de Jouy, *Les mosaïques chrétiennes de Rome,* in-8°, Paris.

1863. Vitet (L.), *Études sur l'histoire de l'art,* in-12, Paris.

1873. Garrucci (R.), *Storia dell'arte cristiana nei primi otto secoli della Chiesa,* 6 vol. in-f°, Prato, 1873-1880. Vide p.

1878. Le Blant (E.), *Études sur les sarcophages chrétiens de la ville d'Arles,* Paris.

1879. Bayet (Ch.), *Recherches pour servir à l'histoire de la peinture et de la sculpture chrétiennes en Orient, jusqu'à la querelle des Iconoclastes,* in-8°, Paris.

1880. Hauck (A.), *Die Entstehung der Christustypus in der abendländischen Kunst,* in-8°, Heidelberg.

1884. Cros et Henry, *L'encaustique et les autres procédés de peinture chez les anciens. Histoire et technique,* in-8°, Paris.

1885. Lefort (L.), *Étude sur les monuments primitifs de la peinture chrétienne en Italie,* in-12°, Paris.

1885. Grousset (R.), *Étude sur l'histoire des sarcophages chrétiens,* in-8°, Paris.

1885. PALMER (W.), *An introduction to early christian symbolism, a series of compositions from fresco-paintings, glasses and sculptured sarcophagi selected, arranged and described, by W. P., edited with notes by J. S. Northcote and W. P. Browlow*, in-fol., London.

1886. LE BLANT (E.), *Études sur les sarcophages chrétiens de la Gaule*, Paris.

1886. MÜNTZ (E.), *Études sur l'histoire de la peinture et de l'iconographie chrétienne*, in-8°, Paris.

1886. KONDAKOV (N.), *Histoire de l'art byzantin, considéré principalement dans les miniatures*, 2 vol. in-4°, Paris, 1886-1891.

1889. MARIGNAN, *Études d' iconographie religieuse*, in-8°, Paris.

1890. BARBIER (de Montault), *Traité d'iconographie chrétienne*, 2 vol. in-8°, Paris.

1890. FICKER (J.), *Die altchristlichen Bildwerke im christlichen Museum des Laterans*, in-8, Leipzig.

1890. POKROVSKIJ, *Peintures murales dans les anciennes églises grecques et russes*, in-8°, Moscou.

1892. MÜNTZ (E.), *La mosaïque chrétienne des premiers siècles*, in-8°, Paris.

1894. BREYMANN (A.), *Adam und Eva in der Kunst des christlichen Alterthums*, in-8°, Wolfenbüttel.

1895. CUTTS et LEWES, *History of early christian art*, in-8°, New York.

1895. BOTEL (J.), *Y Sizo, Sarcofagos romano-cristianos esculturados que se conservan en Cataluna*, in-8°, Barcelona.

1895. AINALOV, *Mosaïques du IVe et du Ve siècle*, Pétersbourg.

1895. WILPERT (J.), *Fractio Panis*, trad. franç., Paris, 1896.

1896. RÉDIN (E. K.), *Die Mosaïken der ravennatischen Kirche*, in-8°, Petersburg.

1897. LA BLANCHÈRE (R. De), *Tombes en mosaïque de Thabaca*, in-8°, Paris.

1898. MARUCCHI (H.), *Guida del Museo Lateranense*, Roma.

1898. MÜNTZ (E.), *Une industrie ancienne à ressusciter* (La mosaïque), in-8°, Paris.

1899. WILPERT (J.), *Un capitolo di storia del vestiario*, con 30 figure e una tavola, Roma.

1900. WAAL (M. De), *Der Sarkophag des Iunius Bassus in den Grotten von St. Peter*, in-4°, Rom.

1900. DELATTRE (A. L.), *Musée Lavigerie de S. Louis de Carthage*, in-4°, Paris.

1900. FATIGATI (E. S.), *Escultura romanica en España*, in-8°, Madrid.

1900. AINALOV, *Fondements hellénistiques de l'art byzantin*, Pétersbourg.

1901. LOWRIES (W.), *Christian art and archaeologie*, in-8°, London.

1901. VENTURI (A.), *Storia dell'arte italiana*, in-8°, Milano.

1903. WILPERT (J.), *Die Malereien der Katakomben Roms*, 2 vol. in-f°, Freiburg. Simul cum hac apparuit editio Italica, Romae.

1904. Antonio Muñoz, *Iconografia della Madonna. Studio delle rappresentazioni della Vergine sui monumenti artistici d'Oriente e d'Occidente*, Firenze, con 160 illustrazioni.

1904. Butler (H. C.), *Architecture and other arts. Sculpture, mosaic and wall painting in northern-central Syria and the Djebel Hauran*, in-4°, New York.

1904. Richter (F. P.) et Cameroun, *The golden age of classic christian art. A study of the mosaico of S. Maria Maggiore* in-4°, London.

1905. Michel (A.), *Histoire de l'art depuis les premiers temps chrétiens jusqu' à nos jours*, in-4°, Paris, t. I.

1906. Joseph Witting, *Die altchristlichen Sculpturen in Museum der deutschen Nationalstiftung am Campo Santo in Rom.* in-fol., Romae.

1906. Muñoz (A.), *L'art byzantin à l'exposition de Grottaferrata 146 illustrazioni e 3 tavole, Roma.*

1906. Ludwig von Sybel, *Christliche Antike. Einführung in die altchristliche Kunst*, Marburg, N. G. Elwert, Erster Band. 1906, in-4°.

Opera praecipua
de architectura christiana antiqua tractantia.

1680. Du Cange (Ch.), *Constantinopolis christiana, seu descriptio urbis sub imperatoribus christianis cum figuris S. Sophiae et aliis, acced. additamenta...* lib. IV, in-fol., Lutetiae Parisiorum.

1686. Sarnelli (P.), *Antiqua basilicographia*, in-4°, Neapoli.

1692. Ciampini (J.), *De sacris edificiis a Constantino Magno constructis*, in-fol., Romae.

1703. Laderchi (J.), *De sacris basilicis SS. martyrum Marcellini et Petri*, in-4°, Romae.

1719. Muratori (Ant.), *De sacrarum basilicarum apud Christianos origine et appellatione*, in-4°, Mediolani-Lipsiae.

1824. Ferrario, *Monumenti sacri e profani dell' imperiale e reale basilica di S. Ambrogio in Milano*, in-fol., Milano.

1843. Canina, *Ricerche sull' architettura più propria dei templi cristiani*, in-fol., Roma.

1847. Zestermann, *De basilicis libri III. Die antiken und die christlichen Basiliken*, in-4°, Leipzig.

1848. Ulrichs (L.), *Die Apsis der alten Basiliken*, in-8°, Greifswald.

1850. Caumont (A. de), *Abécédaire ou rudiment d'archéologie. Architecture religieuse*, in-8°, Caen; 4e éd., 1859; 5e éd 1867.

1850. Reynaud (Léonce), *Traité d'architecture*, in-8°, Paris, t. II.

1851. De Verneilh (F.), *L'architecture byzantine en France*, in-8°, Paris.

1855. Lange (K.), *Haus und Halle, Studien zur Geschichte des antiken Wohnhauses und der Basilika*, in-8°, Paris.

1855. Isabelle, *Les édifices circulaires et les dômes classés par ordre chronologique et considérés sous le rapport de leur disposition, de leur construction et de leur décoration*, in-fol., Paris.
1860. Grimm, *Monuments d'architecture byzantine en Géorgie et en Arménie*, in-4°, Pétersbourg.
1864. Texier (Ch.) et Pullan (P.), *L'architecture byzantine*, in-fol., London.
1865. De Vogüé, *La Syrie centrale*, in-4°, Paris.
1865. Mothes (O.), *Die Basilikenform bei den Christen der Jersten Jahrhunderte*, in-8°, Leipzig.
1866. De Vogüé, *Architecture civile et religieuse du 1er au 4e siècle dans la Syrie centrale*, 2 in-4°, Paris 1866-1877.
1866. Huebsch, *Monuments de l'architecture chrétienne depuis Constantin jusqu'à Charlemagne*, in-fol., Paris.
1872. Bunsen (C. J. J.), *Les basiliques romaines*, in-fol., Paris.
1887. Jackson (J. T.), *The architecture of Dalmatia*, London.
1889. Cattaneo, *L'architettura in Italia dal sec. VI al mille circa*, in-8°, Venezia.
1892. Lasteyrie (R. D.), *La basilique de St-Martin de Tours*, in-8°, Paris.
1892. Crostarosa (P.), *Le basiliche cristiane*, in-8°, Roma.
1894. Lethaby et Swaison, *The church of S. Sophia*, in-8°, London-New York.
1894. Adamy (Rud.), *Architektonik der altchristlichen Zeit*, in-8°, Hannover.
1895. Clausse (G.), *Basiliques et mosaïques chrétiennes*.
1895. Giovenale, *La basilica di S. Maria in Cosmedin*, in-8°, Roma.
1900. Thiollier (N. et F.), *L'architecture religieuse à l'époque romaine dans l'ancien diocèse du Puy*, in-fol., Le Puy.
1901. Riudira (G.T.), *Le origini dell'architettura lombarda*, 2 vol., in-4°, Roma.
1901. Cram (R. A.), *Church building. A study of the principles of architecture in their relations to the Church*, in-8°, Boston.
1901. Maes (C.), *Basilica papae Iulii I iuxta Forum*, in-8°, Romae.
1902. Witting (F.), *Die Anfänge christlicher Architektur. Gedanken über Wesen und Entstehung der christlichen Basilika*, in-8°, Strassburg.
1903. Beylié (L. De), *L'habitation byzantine*, in-4°, Paris.
1904. Lamperez y Romea, *Hist. de la arquitect. crist.*, in-8°, Barcelona.
1906. Lanckoronski (K.), Der Dom von Aquileia. Wien, Gerlach u. Wiedling, 1906 p. XIII-162.

Praecipua opera de numismatica cristiana parvaque liturgica et domestica supellectile aliisque eiusmodi tractantia.

1694. Dought, *De calicibus eucharisticis veterum Christianorum*, in-8°, Bremae.
1695. Gorlaei (A.), *Dactyliotheca, seu gemmarum annulorumque sculpturae*, in-4°, Lugduni-Batavorum.

1702. Capello (A.), *Prodromus iconicus sculptarum gemmarum Basilidiani, amuletici atque talismanici generis*, in-fol., Venetiis.
1716. Buonarroti (Ph.), *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure, trovati nei cimiteri di Roma*, in-4°, Firenze.
1753. Donati (A.), *De' dittici degli antichi profani e sacri, libri tre*, in-4°, Lucca.
1808. Sanclementi, *Musaei Sanclementiani numismata selecta*, in-4°, Romae.
1854. De Witte, *Médailles de Salonine*, in-8°, Bruxelles.
1862. Filiminoff, *Copies photographiques des miniatures des manuscrits grecs*, in-4°, Moskau.
1873. King (C. W.), *Early christian numismatics*, in-8°, London.
1886. Kondakov (N.), *Histoire de l'art byzantin considéré principalement dans les miniatures*, 2 in-4°, Paris 1886-1891.
1891. Strzigowski, *Das Etschmiadzinsche Evangeliar*, in-4°, Wien.
1892. Kondakov, *Les émaux byzantins, collection de M. A. W. Zwénigorodskoï*, in-4°, Francfort.
1901. Dalton (O. M.), *Catalogue of early christian antiquities... of the British Museum*, in-4°, London.
1903. Barbelon (E.), *Histoire de la gravure sur gemmes en France depuis les origines jusqu'à l'époque contemporaine*, in-8°, Paris.
1906. Grisar (H.), *Il « Sancta Sanctorum » in Roma e il suo tesoro nuovamente aperto*, in *Civiltà Cattolica* an. 1906; extrac. 1907.
1906. Lanér (Pb.), *Le trésor du « Sancta Sanctorum » au Latran*, Paris.
1907. Delattre, *Le culte de la Ste Vierge en Afrique*, in-8°, Paris.

Opera praecipua historica et hagiographica.

1620. *Historia augusta*, Paris; nova edit. 1815, Leipzig.
1689. Ruinart, *Acta primorum martyrum sincera et selecta*, Paris.
1693. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles*. 1693-1712, Paris.
1697. Bianchini (F.), *Istoria universale provata con monumenti e figurata con simboli degli antichi*, Roma.
1718. Bianchini (F.), *Praefatio ad Anastasium bibliothecarium*, Romae.
1722. Montfaucon (Bern. de), *L'antiquité expliquée et représentée en figures*, 2e édit., Paris.
1733. Lami (J.), *De eruditione Apostolorum*, Florentiae.
1741. Foggini (G. F.), *De Romano itinere Petri*, Florentiae.
1749. Mamachi (Th.), *Origines et antiquitates christianae*, Romae; item Romae 1844.
1753. Mamachi (Th.), *Dei costumi dei primitivi cristiani*, Romae.
1766. Paleotimo (L.), *Antiquitatum seu originum eccles. summa*, Venetiis; item 1717, Augustae Vindelicorum.

1777. Pelliccia (A.), *De christianae Ecclesiae primae, mediae et novissimae aetatis politia,* 3 vol., Neapoli; 4 vol., Vercellis 1870; 2 vol., Coloniae 1829-1838; 1 vol., Londini, 1883.

1783. Zaccaria (A.), *De rebus ad historiam et antiquitates Ecclesiae pertinentibus dissertationes,* Fulginiae.

1812. Cancellieri (F. J.), *Memorie di S. Medico martire e cittadino di Otricoli,* in-12, Roma.

1826. Münter (Fr.), *Primordia Ecclesiae africanae,* Havniae.

1865. Friedländer, *Civilisation et moeurs romaines du règne d'Auguste à la fin des Antonins,* Paris, 1865-1874.

1882. Bollandisti, *Analecta bollandiana,* Bruxelles; *Acta sanctorum,* Anvers; 1643-1897, Paris.

1882. Doulcet, *Essai sur les rapports de l'Eglise chrétienne avec l'Etat romain,* Paris.

1885. Allard (Paul), *Histoire des persécutions,* 1885-1890, Paris; *Le christianisme et l'empire romain de Néron à Théodose,* 1897, Paris; *Dix leçons sur le martyre,* 1906, Paris.

1895. Krüger, *Geschichte der altchristlichen Litteratur in den ersten drei Jaharhunderten,* Freiburg.

1897. Batiffol, *Ancienne littérature chrétienne. Littérature grecque,* Paris 4e édit.

1897. Funck, *Histoire de l'Église,* Paris.

1899. Grisar (H.), *Storia di Roma e dei Papi nel medio evo,* Roma.

1900. Dufourcq, *Études sur les Gesta martyrum romains,* Paris.

1905. Profumo (Att.), *Le fonti ed i tempi dell'incendio neroniano,* Roma.

1905. Leclercq (H.), *L'Afrique chrétienne,* Paris.

1906. Kellner (H.), *L'anno ecclesiastico e le feste dei santi nel loro svolgimento storico,* Roma.

1906. Savio (F.), *Il papa Zosimo, il concilio di Torino e le origini del primato pontificio,* Roma.

1906. Duchesne, *Histoire ancienne de l'Eglise,* Paris, 1906-1907.

1906. Franchi de' Cavalieri, *La passio Ss. Perpetuae et Felicitatis,* Roma.

1908. Grisar (H.), *Roma alla fine del mondo antico, secondo le fonti scritte e i monumenti,* Roma. Trad. dal tedesco del Sac. Ang. Mercati.

CAPUT II.

Persecutiones.

ART. I. — **Persecutionum iuridicum fundamentum. — Causae. — Quomodo Edictum Mediolanense, quo pax conceditur Ecclesiae, iudicandum est.**

QUESTIO de iuridico persecutionum fundamento, salebrosa non parum, adhuc definitivam expectat solutionem; namque multi quidem eius historicas atque iuridicas conati sunt scrutari rationes, sed in diversas abierunt sententias; et quod peius aliqui, praesertim ex rationalistarum sectis, numerum martyrum praeter modum comminuerunt, naturam persecutionum quodammodo iustificare, atque adeo honestare conantes, spoliatis ex altera parte Christianis omni iusta honestaque caussa auctoritati publicae resistendi, aliquando etiam de crimine perduellionis accusatis, aliaque ignobili nota inustis. Brevi, isti auctores coronam illam qua ecclesiastica traditio martyrum frontem cinxerat ad persecutorum tempora devolverunt. (1)

In tanta iudiciorum discrepantia Pauli Allard sententia (2) omnium verisimillima mihi visa est, qui cum Guérin, Duchesne, Batiffol, Kneller, Callewaert, Linsenmayer plus minusve idem sentit. Ceteris igitur sepositis sententiis, quas nihilominùs breviter in articuli decursu enunciabo, illam quoad potero fidelissime exponam. (3)

(1) Cf. LINSENMAYER egregium opus, *Die Christenverfolgungen im römischen Reiche und die moderne Geschichtschreibung* ap. *Hist. pol. Blätter*, CXXVII (1901), 4, 5.

(2) *Histoire des persécutions*, Paris, Victor Lecoffre, 1886.

(3) GUÉRIN, *Etudes sur le fondement juridique des persécutions dirigées contre les chrétiens pendant les deux premiers siècles de notre ère* ap. *Revue*

Communis est sententia, annum ante 64. Christianos minime a Iudaeis distinctos visos esse Romanis: Iudaei autem, ut suo loco fusius explicabitur, cum ab ethnicis longe aliter et segregati viverent, atque Romae coloniam sive populum in imperio, sed ab hoc alienissimum, constituerent, non nisi politicis et specialibus rationibus a privatis, quorum intererat, civibus protegi, aut sufferri poterant; generatim vero pro alienigenis habebantur et fere atheis, deorumque imperii vituperatoribus. Hoc denique non parum odii illis comparaverat.

Egregius Pr. A. Profumo nuper conatus est demonstrare caedem Christianorum primam anno 65 factam esse; unde Nero non ut in Christianos refunderet suspicionem incensae Urbis eos subiecit reos; sed ut suscitatis odiis in viros aliunde invisos, satisfaceret, atque suppliciorum mirabili spectaculo populum romanum a murmurando de incensa Urbe distraheret.(1)

historique de droit français et étranger, 1895, p. 601 et seq, p. 713 et seq.; DUCHESNE, *Les origines chrétiennes*, Paris, 1896, 2me édit.; PIERRE BATIFFOL, *L'Eglise naissante* in *Revue biblique*, 1894; C. KNELLER. *Hat de römische Staat das Christenthum verfolgt?* ap. *Stimm. aus Mar. Laach*, LXXV, 1898, p. 1 et seq., p. 122 et seq.; M. CALLEWAERT, *Revue d'histoire ecclésiastique* (Louvain) et *Revue des questions historiques* (Paris), années 1902–1905; M. LINSENMAYER, *Die Bekämpfung des Christenthums durch den römischen Staat bis zum Tode des Kaisers Julian* (363), München, Lentner, 1905.

(1) En, ipsis auctoris verbis, conclusiones ad quas analisi documentorum ipse pervenit.

« Possiamo ormai, a por fine, graduare i più importanti risultati ottenuti. Cioè elencare: Come ' documentariamente accertato ':

« 1° che non vi fu mai, per l'Incendio del 64, processo alcuno ad ' incendiarii ', nè *pagani*, nè *cristiani*;

« 2° che la versione ufficiale (*Acta* etc.) ed ufficiosa (letterariamente cesarea, cortigiana ecc.) dell'incendio fu sempre e sola quella dell'evento fortuito, del " forte " come, oltre cinquant'anni dopo l'evento, ci ha ancora riferito Tacito;

« 3° che le persecuzioni contro i cristiani s'iniziano da Nerone;

« 4° che s'iniziano applicando loro, *ai cristiani*, l'*institutum delle tre accuse* (suntuaria, sacrilega, maiestatica) di Tiberio; il quale istituto, per essi, prenderà, forse, nell'uso abituale il nome speciale d'*Institutum Neronianum*, come indubbiamente aveva preso per i pagani (fino a Do-

Praestat vero statim in limine textum Cornelii Taciti referre: [2]

Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo, abolendo rumori, Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit quos, per flagitia invisos, vulgus christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut, ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam in utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.

Fuerit necne in Cristianos animadversum veluti in incendiarios, parum refert: quod autem in dubium revocari nequit, hoc est: damnatos Christianos utpote *per flagitia invisos*, tamquam *exitialem superstitionem* profitentes, et *convictos odio humani generis*. [3] Quaenam autem fuerit in Christianorum caussis forma iudiciorum a Nerone ad Domitianum, idest saeculo primo,

miziano, nell'applicazione; oltre Traiano, nel linguaggio parlato e scritto) quello antonomastico di *Lex de maiestate*;

« 5° che tale inizio di fatto e di giure ha luogo nell'anno 65, mercè una fitta serie di processi, – il grande processo di Tacito.

« Come criticamente accertato:

« 6° che Nerone e la sua corte non potevano non conoscere in modo sicuro ed esatto il movimento cristiano;

« 7° che tale conoscenza del movimento cristiano non fosse eziandio notoria: – in modo favorevole, nell'ambiente servile (liberti e schiavi) di Roma; – ed in modo sfavorevolissimo ed ostilissimo, negli altri ambienti tutti, dal plebeo al patrizio della città (ap. *Nuovo Bullettino d'archeologia cristiana*, 1903, pp. 169–170).

(2) *Annal.* lib. XV, c. XLIV.

(3) CORN. TACIT. *Annal.* lib. XV, c. XLIV.

prorsus ignoratur, cum neque Suetonius (*in Domit.* 10), neque Dion Cassius (LXVII, 13) qui soli inter antiquiores auctores ad martyres sub Domitiano perspicue alludant, satis dicant, ut certi aliquid coniici possit; et archaeologica reperta quae mirifice auctorum allusiones confirment illustrentque, de caussis plane sileant. Probabile quidem est, Neronis temporibus, emanatum quoddam persecutionis edictum esse, his terminis contentum: *Christiani non sint.* Illud enim profecto videtur supponere Traiani rescriptum ad Plinium; illud apertius Tertullianus *Institutum neronianum* vocat, qui insuper haec ad legis defensores ait: *De legibus primum concurram vobiscum, ut cum tutoribus legum. Iam pridem quam dure definitis, dicendo: Non licet esse vos.* Eodem modo loquitur Origenes: *Decreverunt legibus suis ut non sint Christiani*; et Lampridius de Alexandro Severo imperatore inquit: *Christianos esse passus est*, ex quo colligi potest antea contrarium viguisse.(1) Edictum autem Galerii ad persecutionem abolendam, his verbis incepisse refert Lactantius: *Denuo sint Christiani*; nec non denique Sulpicius Severus idem testatur: *Post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque edictis propositis Christianos esse non licebat.*(2)

Quomodocumque sit, initio saeculi secundi, ius circa Christianos melius definitur et quodammodo cohibetur. Nam, anno circiter 112, cum Plinius Iunior veluti legatus imperatoris in Bithyniam venisset, sibique tamquam iudici innumerabiles christiani delati essent, ut suus erat mos, imperatorem consuluit quid facere et quomodo se gerere deberet.(3) Ei vero respondit

(1) TERTULLIANUS, *Apologeticus*, 4; ORIGENES, *Homil.* 9 *in Iosue*; AELI. LAMPRIDIUS *in Alex.* 21.

(2) LACTANTIUS, *De mort. persecutor.* 34; SULPICIUS SEVERUS, *Chron.* II, 41.

(3) PLIN. IUN. *Epist.* X, 96. Documentum hoc gravioris est momenti quam ut possit hic omitti, ad quod pluries in operis decursu oculos convertemus; idem faciam de ceteris persecutionum documentis quae solito integre non citantur:

« Solemne mihi domine est, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri

Traianus celebri illo rescripto quod, licet legem proprie dictam non constitueret, neque in universum applicandum foret; tamen in Christianorum caussis veluti iuris fundamentum evasit

soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sit ne aliquod discrimen aetatum, an quantumlibet teneri, nihil a robustioribus differant: detur ne poenitentiae venia, an ei qui omnino christianus fuit, desiisse non prosit: nomen ipsum etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos an essent Christiani: confitentes iterum ac tertium interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae; quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem emittendos. Mox in ipso tractatu (ut fieri solet), diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens: qui negant se esse Christianos, aut fuisse; cum, praesente me, deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent: praeterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani, ergo dimittendos putavi: alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque; omnes et imaginem tuam et Deorum simulacra venerati sunt: ii et Christo maledixerunt.

« Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursumque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua haeterias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. Ideoque dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti,

per totum saeculum secundum remansit; cuius haec sunt verba praecipua: « Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex poenitentia impetret. » (1)

Rescriptum hoc, ut dixi, legem non constituit; sed anteriorem legem supponere videtur, qua vel anonyma denunciatio ut in Christianos animadverteretur, sufficiebat. Ait enim imperator: *Sine auctore vero propositi libelli in nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri saeculi est* (loc. cit.).

Uti Plinius, ita Quintus Licinius Silvanus Granianus, Asiae proconsul, fecit, atque ab Hadriano imperatore quaesivit quid in Christianorum caussa agere deberet. Eodem autem anno, (scil. 124), Asiam sortitus est Caius Minucius Fundanus, cui responsum imperatoris a Graniano postulatum pervenit, quod Iustinus retulit in sua Apologia (I, 68). Mirabilis hic apparet imperatoris moderatio; nam non solum revocat magistratus ad legis communis observantiam in Christianorum caussis excu-

passim venire victimas quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus ».

Evidens est ad Plinii tribunal delatos fuisse Christianos quamplurimos, unice inquirendos quod se Christianos profiterentur. Ad rem mihi haec eruditissimi Leclercq verba videntur: « On sait que les persécutions de Sapor eurent presque toujours pour prétexte la sympathie des chrétiens de la Perse pour les empereurs romains convertis; or l'édit de persécution paraît avoir été inspiré par la formule en vigueur à Rome, telle que M. Gaston Boissier l'a reconstituée (*Revue archéologique*, 1876, t. XXXI, p. 119 sqq.): *Publicatum est edictum crudele et educta est immitis romphea, gladioque impertita est potestas ad perdendum quemcumque dicentem: Christianus ego sum.* À ce propos, nous pourrons fournir à la démonstration de ce savant une nouvelle preuve dans la Passion de S. Savin où le peuple crie: *Christiani tollantur et voluptas constat. Dictum est duodecies: Per caput Augusti, Christiani non sint* » (BALUZE, *Miscellanea*, ed. Mansi, t. I, p. 12; *Dictionnaire d'archéologie chrét. et de liturgie, Act. des Martyrs*, col. 417).

(1) PLIN. *Epist.* X, 96.

tiendis; verum etiam exigit ut solum per formalem denunciationem proferantur in iudicium crimina eorum, atque calumniose denunciantes severissimis pro rei gravitate suppliciis afficiantur. Sed ibi mînime declaratur cuiusmodi illa crimina sint; haud dubium tamen Christianos non paucos morte damnatos fuisse tamquam atheos, reos scilicet, ut iam Neronis tempore, *sumptuariae, sacrilegii, laesae maiestatis.* (1)

At hic difficultas exurgit. Si enim Traianus, ut vidimus, rescripsit Christianos veniam posse impetrare cum negaverint se Christianos esse, quamvis revera fuerint; tunc iudex non pro flagitiis sed pro Christiana professione capitalem sententiam ferebat: *Conquirendi non sunt.* Ergo Christiana professio necessario flagitia punienda non includebat; nam pro flagitiis utique fuissent conquirendi, utpote communis delicti rei. E contrario Traianus explicite praecepit, ut Christianus, *quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex poenitentia impetret,* si delatus iuxta iuris communis normam, idest non, ut antea fiebat, turbulenter, aut per anonymas denunciationes; et Marci Aurelii rescriptum (177) idem Lugdunensibus magistratibus memoravit. Nullus revera extat Christianorum processus, in quo accusatio de infandis criminibus probata fuerit; haec igitur extitit veluti popularis

(1) Multiplicem hanc et complexam quaestionem Dom. Leclercq (*Les Martyrs – Le Christianisme et l'Empire romain*, pp. 1–51, a. 1903) ad unicam reducit rationem; Christianos, scilicet, maiestatis reos constitutos fuisse; atque ideo diversis damnatos titulis, quod eadem lex vario pro adiunctis modo applicata fuisset. Idem plus minusve et prof. A. Profumo sentit, ut iam alia in nota vidimus, et infra uberius apparebit; at in dissertatione citata et in aliis suis operibus Dom. Leclercq totus videtur in optima persecutorum fide extollenda; inique quasi ferens quod Apologistae aeternas minati sint persecutoribus poenas, et aliqui martyres iudicibus contumelias iecerint. Postremo, in fine dissertationis, perinde ac si nimium se indulsisse persecutoribus poeniteret, severius autem de martyribus dixisse, en quid largiatur: « Mais quoi que l'on pense de cette question d'histoire et de psychologie, le martyr chrétien n'en est rien diminué. Il reste que les chrétiens ont combattu pour maintenir intact le dépôt de leur foi et donner le témoignage de leur sang au Christ Dieu, et c'est pourquoi ils ont été couronnés » (p. 51). Liberalitatem tantam, credo, apud omnes rationalistas non invenies certe!

vulgarisque rumor, cui ratio christianorum vitae, eorumque secretae atque nocturnae congregationes, et notio male intellecta sacrificii eucharistici aliorumque rituum, occasionem, atque adeo caussam praebuere. Quomodo ergo textus Taciti cum Traiani rescripto componetur? In hoc, meo iudicio, caussa discrepantiae praecipua sententiarum consistit et fortasse Suetonius unus, si recte accipiatur, difficultatem resolvit; nam inter diversa Neronis instituta historicus ille recenset quod Christiani fuerint suppliciis afflicti: « Multa sub eo (Nerone) et animadversa severe et coercita, nec minus instituta: adhibitus sumptibus modus; publicae coenae ad sportulas redactae; interdictum ne quid in popinis cocti praeter legumina aut holera veniret, cum antea nullum non obsonii genus proponeretur; *afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae*; vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus fallere ac furari per iocum ius erat; pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatae » (Suetonius, *Nero*, 16). Porro, si leges sunt istae in ludos, in falsarios, in mimos etc., etiam titulo legis in Christianos animadversum est, tamquam in reos *maleficae superstitionis*. Ecquid aliud invenit, atque punire debuit Plinius in Christianis? Quamobrem merito ait P. Allard: « Quamcunque sententiam adoptemus, semper ideo Christianus damnatur quia Christianus est, et de religione inquiritur, non alia de causa vel flagitio. Hic est character qui semper occurrit, atque in caussis Christianorum singularem prorsus novamque exceptionem constituit. Nullo teste audito, contra accusatum fertur sententia: iudex nihil ultra inquirit ut accusatus confiteatur se reum; unum illum rogat, ut neget se Christianum esse. Recusatne? Tortor adest; at non ut criminis confessionem cruciatibus extorqueat; verum etiam ut ipse se accusatus liberet, plane se non fuisse, aut non esse amplius Christianum declarando. Hoc, ut apologistae notant, plane iudiciorum rectae formae omnino est oppositum. Iudex quidem ultimus fert sententiam; at quam reus ipse ante dictavit, quoniam huic integrum est se perdere aut liberare, prout Christianam fateatur fidem aut reiiciat. In omnibus Christianorum

caussis saeculi secundi, quarum authentica extet relatio, Polycarpi, scilicet, martyrum Lugdunensium, S. Iustini, Ptolemaei, Apollonii et Scillitanorum Martyrum, sane res perinde procedunt ac si, secundum rescriptum Traiani, damnatio martyrum ex horum ipsorum voluntate pendeat. » (1)

Alia quaestio animos eruditorum, longum ante tempus, occupavit quae adhuc insoluta manet, atque in duas dividit partes auctores: utrum scilicet nomen Christianum lege exceptionis punitum fuerit, aut iure coercitionis, quo magistratus quicumque ordini servando pollebant, et vi cuius extra regularem et ordinariam iudiciorum formam agere poterant pro arbitrio. Mommsen primus christianorum caussas ad iuris coercitionis exercitium praesertim reduxit, nomenque igitur christianum immediatam persecutionum rationem extitisse implicite negavit; nimirum Christianos primi et secundi saeculi non ideo fieri reos quod fidem profiterentur Christianam, sed quia superstitione tali ethnicorum oculis infecti essent, ut crimen laesae maiestatis incurrerent. (2) Nuper J. E. Weis sententiam Mommseni quidem amplexus est, non levi tamen facta restrictione. (3) Item etiam Pr. A. Profumo, qui et ipsum *Institutum Neronianum* aptat iudiciis extra ordinem, et istud minime legem exceptionis fuisse defendit. (4)

(1) *Dix leçons sur le martyre: La législation persécutrice*, pp. 95–96.

(2) *Der Religionsfrevel nach römischen Recht.* Admittit tamen pro communibus delictis et laesa maiestate iuxta ius commune Christianos debuisse puniri.

(3) *Christenverfolgungen. Geschichte ihrer Ursachen im Römerreiche* (Veröff. aus dem Kirchenhist Semin. München, Nr. 2), München, Lentner, 1899, p. 2 sqq.

(4) *L'Incendio Neroniano ed i cristiani* (loc. cit.). En quomodo naturam Instituti Neroniani aperit; quod a Tiberio quidem emanatum aestimat, a Nerone autem primum Christianis applicatum:

« 1° *Institutum Neronianum* — e per il suo carattere a pro della *res publica*, — e per i crimini che abbracciava, *ex legibus iudiciorum publicorum*: — faceva capo agli *Iudicia publica*, ed alla *infamia* propria di questi (*Dig.* XLVIII, 1, 1, 7);

« 2° I *processi cristiani* seguivano la procedura *extra ordinem*;

« 3° Appartenevano alla *cognitio Principis*;

Reassumendo: 1° Christiani damnati sunt ob Christianum nomen, cui flagitia tribuebantur, ob superstitionem exitialem, et odium generis humani; idque in Neroniana persecutione atque in Domitiana. 2° Sub Traiano tertia incipit persecutio, sed nomen dumtaxat Christianum conquiritur, omissis flagitiis, sacrilegiis, laesae maiestatis delictis. 3° Idem sub Hadriano, et sub Marco Aurelio qui ius, ut fuerat a Traiano temperatum, in vigorem revocarunt. Haec certo demonstrata et fixa habentur; de ceteris *adhuc sub iudice litem esse* dixerim, quamvis, uti iam notavi, egregius Pr. Profumo omnes super hac tam controversa quaestione difficultates resolvere conatus sit, neque parvam rei attulerit lucem.

Ad persecutiones tertii et quarti saeculi usque ad annum 313 quod pertinet, nihil mutatur, nisi modus persequendi qui prorsus ab arbitrio singulorum imperatorum pendet. Non enim ad an-

« 4° Salvo però quando vi era implicato: — od un senatore (o strettissimi suoi parenti), od un magistrato in carica, — o vi era eziandio accusa di reati proprii all'*adempimento* di magistrature; — dappoichè allora il processo apparteneva alla *Cognitio Senatus*; — sempre beninteso, che non fosse stato, od interposto *appello* al Principe (esemp. *pagano*, in Tac. *Ann.* XVI), — o da questo come ne aveva il diritto, *avocato* il processo alla sua personale *cognitio*;

« 5° Per Roma e l'Italia (*Dig.* I, XII, 1), appartenendo queste alla *giustizia Imperiale*, essi si svolgevano: — proprio per le epoche da noi esaminate (Nerone-Domiziano), *di preferenza* nel *Tribunale Imperiale* della *Praefectura Praetorii*; — per le epoche posteriori, *di preferenza* nel tribunale imperiale della *Praefectura Urbis*;

« 6° Per le Provincie, sia Senatorie, sia Imperiali — essendo essi processi *extra ordinem* e proprii delle *Cognitiones Principis* e *Senatus*, — erano di diretta ed assoluta competenza dei *proconsules* e dei *praesides*; ai quali, lo ricordo, spettava intero l'*ius gladii* (da documento pagano, cf. Ulpianus, *Dig.* I, XVIII, 4 e 6, 6; da documento cristiano, in *Acta ss. Perpetuae et Felicitatis*, 2: " *Procurator qui tunc loco proconsulis defuncti ius gladii acceperat* ");

« 7° Che tutto questo, a riguardo dei *Cristiani*, — cioè, della procedura *extra ordinem* che si svolgeva per l'appunto secondo i casi, o nella *cognitio Senatus* o nella *Principis*, — lo si aveva all'*identicissimo modo* nell'applicazione dell'*Institutum* medesimo ai *pagani* (fino a che venne applicato a costoro; fino a Domiziano) ».

tiquum statutum ius recurritur, sed, illo, licet minime abrogato, obsoleto tamen sive mortuo habito, nova iura pro occasione feruntur, statim casura atque lator eorum vita decesserit, aut severitatem relaxaverit. Omnis igitur posthac persecutio novo edicto nunciabitur novaque erit exinde iudiciorum forma. Illud unum fixum manebit, salvandos esse fidem christianam deponentes, perseverantes in ea morte plectendos. Ceterum autem conquirendi ratio non erit amplius magistratibus ex formali expectanda accusatione, sed ipsorum erit inquirere atque curare ne quisquam vivat christianus, cui inter abiurandam fidem mortemque subeundam optio data non fuerit, crudelissimis etiam adhibitis cruciatibus; paucis, christiani *conquirendi sunt et puniendi.*

Primum eiusmodi edictum vel rescriptum Septimius Severus tulit, quo *Iudaeos fieri sub gravi poena vetuit, item etiam de Christianis sanxit* (1) Postpositis igitur iam fidem Christi profitentibus, ad conversuros et ad convertendos spectabat rescriptum, maximeque in Africae provincia saeviit persecutio; unde Tertulliani quaerela: *Quotidie obsidemur, quotidie prodimur; in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur* (*Apol.* VII). Populus autem eo vecordiae processit, ut et Christianorum sepulcra violaret: *Sub Hilariano praeside* (an. 203), ait Tertullianus, *de areis sepulturarum nostrarum acclamatum est: Areae non sint.* Insanos vero clamores illos effectus statim secutus est, nam: *In Bacchanalium suorum furiis agitati Christianorum cadavera* (ausi sunt) *de requie sepulturae et de asylo quodam mortis avellere.* (2)

Caracalla imperatore perduravit, licet remissior, persecutio; cessavit autem sub Eliogabalo eiusque successore, Severo Alexandro. Maximinus rursus facem persecutionis accendit, praecipuos cleri proscribens; atque iterum plebs pagana in Christianos furere coepit a sacerdotibus ethnicis excitata, saepe conniventibus magistratibus, aut etiam auxiliantibus. (3) Pontifex

(1) SPARTIANUS, *Vita Severi*, 17.

(2) *Ad Scapul.* c. 3; *Apol.* c. 37.

(3) ORIGEN. *Comm. series in Matth.* 28; *Ep. S. Firmiliani, Ep.* 75 *inter Cyprianicas.*

Pontianus interim atque doctor Hippolytus in Sardiniam insulam deportati sunt.[1] Post Maximinum regnavit Philippus, quem Eusebius, Hieronymus, Baronius, Allard aliique primum Christianum imperatorem appellarunt; pace igitur Ecclesia donata fuit, perduravitque secura usque ad Decii imperium (an. 250). Praestat vero crudelissimi huius imperatoris eiusque persecutionis imaginem describere:

« Decius », ait Paulus Allard,[2] « in rebus antiquis conservandis obstinatissimus fuit. Christianos novatores existimabat quorum vel existentia ipsa veteres mores humanitatemque in periculum adducebat, nec non cum civile tum religiosum regimen; proinde aut minis ad religionem deserendam adducendos suam; aut exterminandos si obedire recusaverint, pronuntiabat. Edictum exiit cuius exemplar ad nos usque non pervenit, sed quod tamen ex effectibus cognoscimus ubique imperii consecutis. Praestituta die christiani omnes, viri, mulieres, infantesque tam in pagis quam in urbibus, diis sacrificare iubebantur, concessa annuentibus schedula veluti acti sacrificii testificatione. Hanc igitur schedulam a magistratibus, vel a speciali consilio emanatam, de die, de loco, de persona, de oblatione victimae aliove idolatrico actu fidem facientem, qui exhibere postea nequibat, refractarius habebatur, indeque reus. Qui fuga salutem petierat, bonis omnibus privabatur; ceteri aut exilio, aut morte mulctabantur ». En tesserae eiusmodi exemplar, cuius formam tabula 3 profert.

Τοῖς ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἡρη-
μένοις κώ(μης) Ἀλεξ(άνδρου) Νήσου
παρὰ Αὐρηλ(ίου) Διογένου(ς) Σατα-
βοῦτος ἀπὸ κώ(μης) Ἀλεξάνδ(ρου)
Νήσου, ὡς Λοβ, οὐλ(ὴ)
ὀφρῦι δεξ(ιᾷ). Καὶ ἀεὶ
θύων τοῖς θεοῖς διετέ-
λεσα καὶ νῦν ἐπὶ πα-

(1) *Catal. Liber*, p. 4; DUCHESNE, *Liber pontificalis*, t. I, p. IX.
(2) Op. cit., p. 99.

ροῦσιν ὑμεῖν κατὰ
τὰ προστετατα[γμε-]
να ἔθυσα [κα]ὶ ἐπ[. . -]
[.] . ι τῶν ἱ[ε] ρείων [. . .]
σαμήν καὶ ἀξιῶ [ὑμᾶς]
ὑποσημιώσασθαι.
Διευτυχεῖται
Αὐρήλ(ιος) [Δ]ιογένης ἐπιδ[έ(δωκα)]
Αὐρήλ(ιος) σ . . ρ . . . [. . .]
θύοντα Μυσ[. . .]
. . . νωνος σεσ(ημείωμαι?)
[Λα]′ Αὐτοκράτορο[ς] Καί[σαρος]
[Γα]ίου Μεσσίου Κ[ο]ίν[του]
[Γρ]αι[ανοῦ] [Δε]κίου Εὐσ[εβοῦς]
[Ε]ὐτ[υχοῦς] Σε[β]α[σ]τοῦ
Ἐπ[εἴφ] ι̅β̅

Qui libello sibi consuluerant, *libellatici* vocati sunt;(1) qui vero aut incensum, aut victimam (bovem) hostiamve (ovem,

(1) KREBS, *Sitzungsberichte der Königlichen Akademie der Wissenschaften*, a. 1893, p. 1007–1014, Berolini; WESSELY, *Kaiserliche Akademie der Wissenschaften in Wien*, 1894, pp. 3–9; PIO FRANCHI DE' CAVALIERI, *Bull. di arch. crist.* a. 1895, p. 68 et sq. Schedulae, sive libelli eiusmodi duo ad Africam pertinentes inventae sunt, de quibus citati auctores necnon A. Harnack egregie tractarunt. Ut meus est mos verba genuina referam unius eorum, ut melius documenta illa innotescant. De libello igitur quem tab. 2 repraesentat haec habet Pio Franchi de' Cavalieri:

« Il libello (in greco βιβλίδιον) fu scritto, come si ha dalla data posta appiè del foglio, il 2 di Epifi dell' anno primo di Decio, vale a dire il 26 giugno 250.

« Aurelio Diogene figlio di Satabo (nome non raro a trovarsi in Faijûm), vecchio di 72 anni e col segno particolare di una cicatrice sul ciglio destro, fa istanza agli ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἡρημένοις della sua κώμη nativa di Ἀλεξάνδρου Νῆσος (trovavasi questo villaggio in un' isola dei laghi di Faijûm), affinchè gli rilascino l'attestato ch'egli ha adempiuto al precetto dell' imperatore. Qui troviamo pertanto: I) una prova di fatto che la persecuzione Deciana infuriò anche ne' piccoli centri, conforme a quel di Dionisio Alessandrino (ap. EUSEB. *H. E.* VI, 42, 1) ἄλλοι δὲ πλεῖ-

agnum) obtulerant, iis nomen fuit *thurificati* aut *sacrificati*: omnes denique communi vocamine *lapsi* designati sunt. Haec quasi immediata multorum sine pugna deditio multo acerbius quam ipsae persecutiones Ecclesiam afflixit; maxima tamen lapsorum pars, Decio interempto persecutioneque imminuta, ad Ecclesiam reversa est, praesertim confessorum intercessione. Lapsi enim circumveniebant, orabant, deprecabantur in carceribus locisque poenae confessores, ut ab illis libellos admissionis ad communionem Ecclesiae obtinerent. Sed et hoc infeliciter Carthagine cessit in abusum, consilio potissimum et opera quorumdam presbyterorum qui episcopali auctoritati se subduxerant. Hinc deploranda quaestio *de lapsis* enata, tot tantaque mala dissensionumque caussas Ecclesiae paritura, quae penes auctores omnes invenitur.

De Christianis autem in fide persistentibus illud factum est, ut, firmiores pro lata victoria in iudicium accersiti, duplici caussa cruciatibus resisterent: fidei et latae victoriae; ex altera autem parte, et saeviendi cupido, et quaedam spes tantae pervicaciae superandae animum invaderet iudicum, qui summa ope, ut

στοι κατὰ πόλεις καὶ κώμας ὑπὸ τῶν ἐθνῶν διεσπάσθησαν (una nuova prova ci viene ora fornita dal libello di Vienna presentato alle autorità di Filadelfia, κώμη del νομός arsinoitico); II) una chiara testimonianza dell'essersi in tutte le città e villaggi rafforzate le autorità romane ordinarie con una commissione speciale di maggiorenti incaricata di sorvegliare l'esecuzione dell'editto, cioè i sacrifizî da esso imposti. Questa commissione in Cartagine era costituita da cinque membri (CYPRIAN. *Ep.* XLIII, 3), e può credersi che tale fosse anche in tutte le altre città e borgate.

«Ciò che il libellatico (idest qui libellum efflagitaverat) dice d'aver fatto secondo le ingiunzioni dell'editto, κατὰ τὰ προστεταγμένα (nel libello Viennese κατὰ τὰ προσταχθέντα; si sa che l'editto si chiamava in greco πρόσταγμα; cf. DIONYS. ap. EUSEB. *H. E.* VI, 41, 1; 10), consiste: I) nel sacrificio (ἔθυσα), II) nelle libagioni, III) nell'aver gustato le carni degli animali immolati. Il libello di Krebs ha una lacuna dopo la parola ἔθυσα; il supplemento peraltro, proposto solo in parte dal Wattenbach, e tutto intero dall'Harnack (in *Theologische Litteraturzeitung*, 1894, col. 40), cioè: ἔθυσα καὶ ἔσπεισα καὶ τῶν ἱερείων ἐγευσάμην, non ammette dubbio. Il libello di Filadelfia, le cui forme sono precisamente le stesse di quelle del libello di Ἀλεξάνδρου Νῆσος, legge καὶ ἐσπίσαμεν (sc. ἐσπείσαμεν) καὶ

propositam obtinerent victoriam niterentur. Atque in hoc sita est ratio, quamobrem (ut Acta Martyrum aliaeque huius temporis memoriae demonstrant) non raro per hebdomadas et etiam per menses Christianorum iudicia protraherentur, ut iudices omnem modum ac tormenta adhiberent, non ad crudelitatem animi in martyrum corpora explendam, verum ad eorum infringendam constantiam. Neque prius saeviendo finem imponebant quam aliquem idololatriam actum innuentem aut verbum fidem denegans extorquerent. Vis itaque et diuturnitas cruciatuum horribilisque in carceribus detentio flectebat interdum Christianorum constantiam. Praestat quaedam S. Cypriani verba citare, rem exemplo illustrantis: « ..... Ninum, Clementianum, Florum, fratres nostros qui in persecutione apprehensi prius fuerant, et nomen Domini confessi violentiam magistratus et populi furentis impetum vicerant,..... postmodum cum apud proconsulem poenis gravioribus excruciarentur, vi tormentorum subactos esse, et de gradu gloriae ad quam plena fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus excidisse (compertum est) ».[1]

[τῶ]ν ἱ[ερείων] ἐ[γευσάμεθα]. Dopo ciò la congettura dell' Harnack, che l'editto di Massimino (a. 308) riferitoci da Eusebio, *de Mart. Pal.* IX, 2 (..... πρόσταγμα, κελεῦον, ὡς .... πανδημεὶ πάντας ἄνδρας .... θύειν καὶ σπένδειν αὐτῶν τε ἀκριβῶς τῶν ἐναγῶν ἀπογεύεσθαι θυσιῶν ἐπιμελὲς ποιοῖντο) fosse, almeno in parte, una riproduzione verbale di quello di Decio (il cui testo è andato perduto) rimane pienamente dimostrata. Noi sappiamo oggi quello che il terribile *praeceptum* richiedeva da tutti i sudditi, pena la morte (*iussi estis contradicentibus non vim inferre, sed mortem. Acta S. Pionii*, 16). Ma Diogene non dice solo d'aver adempiuto alle ingiunzioni dell' editto in presenza degli inquisitori, egli afferma anche (vv. 6–8) d'aver sacrificato agli dei durante tutta la sua vita » (loc. cit.pp. 70, 71, 72).

Pergit deinde clarissimus auctor in documento exponendo, ex quo innotescit harum expressionum sensus: *libellum tradere, libellum accipere.* Nimirum libellus *tradebatur* ut a magistratibus (commissione) chirographum apponeretur; deinde *accipiebatur*, aliquid pretii rependendo. Magnam insuper haec documenta lucem accipiunt ex locis pluribus S. Cypriani, ad quae studiosos mitto (*Ep.* LV, 14; *Ep. Celerini* apud CYPRIAN.; item *Ep.* XXI, 3; *ad Fortunatum*, c. 11).

(1) Cf. ALLARD, *Le Christianisme et l'Empire Romain.*

Ecce vero quae ultimae martyrum victoriae verba magno Carthaginiensi episcopo dictabant: « Quos constat stetisse in acie, nomen Domini confessos esse, violentiam magistratuum et populi furentis incursum immobilis fidei obstinatione vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas proconsulis et fremitum populi circumstantis tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus repugnasse, maxime cum cupientibus mori non permitterentur occidi, sed tamdiu fessos tormenta laniarent quamdiu non fidem, quae invicta est, vincerent, sed carnem quae infirma est fatigarent » (*Epist.* 53). Item in *Epistola* 8: « Steterunt torti torquentibus fortiores et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit saeviens diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei iam non membra sed vulnera ».

Ex quibus facile cuique est colligere, Decium minime fuisse indole crudelem, atque animas potius destruere quam corpora voluisse; in eoque admitti posse quamdam religiosam ac politicam fidem quae in eius animo effecit, ut omnibus uteretur mediis ad subditos servandos, superstitionemque imperio noxiam, ut sibi christiana videbatur relligio, funditus delendam [1]. Nimis esset credere Decium in christianorum caussa illud prae oculis habuisse: *Salus populi suprema lex esto*,[2] propterea quod remotius fuisset negotium quam ut supremam requireret rationem. Persuasum fortasse habuit fidelem erga imperium obedientiam cum Christiana professione constare nequire, ac proinde Christianos imperii securitati quodammodo obesse; sed non est hic tota eius persecutionis ratio, nam non secus ac Maximinus,

(1) Sunt qui a Decio incipi novam persecutionum periodum prorsus anterioribus diversam affirment, eo quod in hac et in sequentibus, omnis saeviendi facultas in Christianos penes singulos iudices fuerit, ab eorumque pependerit arbitrio conquirere, nulla facta formali accusatione.

Certum tamen est persecutionem Septimii Severi longe aliam fuisse ab anterioribus, quippe in qua, si in Christiana permanere liceret relligione, ethnicus tamen reus statim constitueretur atque Christianam amplexus esset fidem.

(2) Cicero, *De legibus*, III, 3.

qui in odium praedecessoris Alexandri Severi nonnihil christianos tolerantis, hos acerrime persecutus est; et ipse Decius inique tulit quod Philippus, cuius post necem occupaverat regnum, Christianis favisset.[1] Duobus post annis, in Gothos pugnans concidit Decius; persecutio vero, licet remissior, sub Gallo et Volusiano perseveravit usque ad Valerianum. Hic princeps nihil periculi civitati esse Christianos putavit; quare, uti Alexander Severus, eos existere passus est; immo eorum bona immobilia ad singulas ecclesias pertinentia probata habuit. Sed, animo postea mutato, crudelissimus persecutor evasit. Temporibus Decii edoctus, facile intellexit quam frustra ageret qui brevi et unico veluti ictu Christianos destruere conaretur. Novum igitur persequendi excogitavit modum, per series scilicet gradatimque procedere. Anno 257, primum promulgavit edictum ipsam Ecclesiae constitutionem impetens, eiusque bona immobilia. Diis Imperii obsequi Episcopis ac praesbyteris exilio proposito praeceptum est; omnesque Christiani coemeteria adire ac liturgicas habere congregationes, mortis sub periculo sunt vetiti. Cuius edicti executionis certissima suppetunt documenta, tum in Paterni proconsulis ad S. Cyprianum verbis,[2] tum in iis quibus Aemilianus, Aegypti praefectus, ut refert Eusebius, Dionysium Alexandrinum acerrime incusabat.[3]

(1) Cf. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 28 et 39.

(2) « Paternus proconsul dixit: Ego hodie in hoc loco exquiro. — Cyprianus dixit: Cum disciplina prohibeat, ut quis se ultro offerat, et tuae quoque censurae hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur. — Paternus proconsul dixit: A me invenientur. Et adiecit: Praeceperunt etiam (Sanctissimi Imperatores Valerianus et Gallienus) ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur » (*Acta proconsularia S. Cypriani*, apud Ruinart, p. 216).

(3) « Aemilianum Iuridicem Aegypti in Valeriani persecutione, ita Dionysium episcopum, presbyteros et clericos Alexandrinos, et alios Christianos in Christi fide constantes alloquentem: Video vos, et ingratos esse, et non sentire mansuetudinem Augustorum; quapropter Alexandriae non eritis, sed in Libyam relegabo vos, et vobis aliisque non licebit amplius synodos colligere, vel ad coemeteria, sicut vocant, ingredi » (Eusebius, *Hist. Eccl.* VII, 11, 6, 11).

Verum enim parum hoc edicto imperator obtinuit; fortior tunc erat temporis Ecclesia Christi quam ut graviter vulnerari posset. Praeterea multi nobilissimi ac locupletissimi viri inter Christianos numerabantur, qui propriis opibus ecclesiis, damnatis ad metalla, pauperibusque venerunt auxilio.

Tunc Valerianus ipsum Ecclesiae caput percutere coepit. Alterum edictum emanavit, quod senatui proposuit, ut senatusconsulti vim haberet, idque anno 258. Hoc edicto inprimis rectores ecclesiarum petebantur quos exilii periculum non commoverat; itaque praecipiebatur, ut omnes episcopi, presbyteri et diaconi qui renuissent idolis sacrificare *in continenti animadverterentur*. Aliud personarum genus spectabat deinde edictum, nempe Christianos divites aliosque ex senatorio et equestri ordine. Isti ad actum idololatricum urgebantur, quod si facere recusarent, omnibus bonis privabantur statim, ita ut, gradibus ac muneribus destituti, veluti plebei raperentur in ius, ac proinde viri morte, foeminae exilio aut relegatione mulctarentur.

Utrum autem Valerianus tam crudele edictum senatui tulerit ad maiorem agendi libertatem obtinendam, an quia senatorium et equestrem ordines impetere ipso inconsulto senatu periculosum putaret, non constat: forsitan utraque causa huius rei fuit. Qui vero perpenderit quanta sanguinis aut amicitiae necessitudo esset inter senatorias familias, is probe intelliget quam grave fuerit imperatorium praeceptum. Neque fugit quemquam, in virum pecuniae cupidum, ut erat Valerianus, remque servare suam plane scientem, vehementer potuisse spem proscriptionum proventibus locupletandi. De hoc loquitur Dionysius Alexandrinus in sua epistola ad Hermammonem[1] ac, si omne deesset historicum documentum, ex quibusdam eventibus huius persecutionis, et ex eo, quod imperator collectivas fortunas Christianorum ad fiscum vindicaverit, quas quidem ingentes ultra verum ipse sibi finxerat, id facile intelligeretur.

Aliud denique personarum genus petebat edictum, servorum videlicet et libertorum palatii. Cum enim patrimonium quoddam

(1) Euseb. *Hist. Eccl.* VII, 10.

imperatoris isti constituerent, Valerianus iussit eos aut obedire, aut ad infimum servorum gradum reduci, nimirum fieri servos glebae.(1) Cui rei et aliud addebatur emolumentum, quod inter libertos locupletissimi viri recenserentur.

De hac crudelissima persecutione nihil nisi quod ad ecclesiasticos viros pertinet scimus, nimirum Xystum II cum diaconibus in coemeterio deprehensum et occisum fuisse; peremptum Carthagine S. Cyprianum, aliosque Africae episcopos extremam solvisse poenam, item in ceteris Imperii provinciis: sed de nobilibus, deque libertis servisque palatii aut nihil traditum memoriae, aut si traditum fuit, ad nos usque minime pervenit; cum tamen sciamus, ex altera parte, perplurimos in hac persecutione praeter clerum concidisse.

Valeriano a rege Persarum Sapore capto, Gallienus eius filius nihil duxit urgentius in paternis decretis reformandis quam Christianos in eorum bona quibus expoliati fuerant restitui; circa vero immobilia bona Ecclesiae, duplici modo se gessit: rescriptum misit omnibus episcopis vel, ad litteram, τοῖς τοῦ Λόγου προεστῶσι, idest, magistratibus Verbi, ut bona proscripta, idest loca religiosa atque liturgicis coetibus inservientia recuperarent: Ὅπως ἀπὸ τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι. En integrum rescriptum, ut ab auctore refertur: « Imperator Caesar Publius Licinius Gallienus, Pius, Fortunatus, Augustus, Dionysio et Pinnae et Demetrio et ceteris Episcopis salutem. Meae munificentiae beneficium per universum orbem divulgari praecepi, ut qui loca religiosa, quae spectant ad Christianos, possident, ab illis statim discedant. Et propterea vos litterarum mearum exemplari uti poteritis, quo nemo deinceps vobis quicquam facessat molestiae. Atque istud quidem ut nunc libere et pro arbitratu a vobis expleri queat, iampridem a me erat concessum. His de causis Aurelius Cyrenius, qui summam rerum secundum me administrat, litterarum etiam exemplar conservabit ». Alia deinde rescripta aliquibus missa sunt praelatis, ut coemeteria iterum a christianis frequentari

(1) S. Cypr. *Epist.* 80.

possent: Καὶ ἄλλη δὲ τοῦ αὐτοῦ διάταξις φέρεται, ἣν πρὸς ἑτέρους ἐπισκόπους πεποίηται, τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία.(1) Ut videtur, propter sepulcrorum religionem coemeteria dumtaxat sequestro posita fuerant.

Tam bene auspicata initia pax prope secutura omnibus videbatur; sed non erat Gallienus is imperator qui, etiamsi voluisset, tantae rei par esset. Hinc vero illa annorum series coepit quae triginta tyrannorum aetas appellata est. Deferbuit interim persecutio usque ad annum 274, quo ab Aureliano rursus excitata est; sed statim concidit caede tyranni, neque amplius ante Diocletiani tempora revixit.(2)

Benevolum plane se exhibuit Christianis Diocletianus, idque per plures annos, neque ad persequendum inductus est nisi collegae sui Galerii suggestione. Coepit legiones expurgare, praecipiens ut omnes qui in illis Christiani essent a militia una cum iam acquisitis emolumentis excluderentur nisi romanis diis adhaererent aliquo externo actu. Galerius autem multo severius egit, qui praeterquam militiae honore Christianos privaret, vim saepe in eos exercuit atque aliquos morte affecit.(3) Paulus Allard observat difficile esse Caesarem Galerium, utpote ab Augusto Diocletiano dependentem, praeter huius intentionem perspicue cognitam, solum persecutionem ausum esse excitare.(4) Id nihilominus intelligitur si perpendatur Gallienum, anno 297, gloriose regem Persarum vicisse, atque imperio quinque pro-

(1) Euseb. *Hist. Eccl.* VII, 13. Cf. Diony. Alex. *Epist. ad Germanum*, in Euseb. *Hist. Eccl.* VII, 11, 10.

(2) Lactantius, *De mortibus persecutorum*, 6.

(3) Ἡ μὲν δὴ θεία κρίσις, οἷα φίλον αὐτῇ, πεφεισμένως τῶν ἀθροισμάτων ἔτι συγκροτουμένων, ἠρέμα καὶ μετρίως τὴν αὐτῆς ἐπισκοπὴν ἀνεκίνει, ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένου τοῦ διωγμοῦ (Eusebius, *Hist. Eccl.* VIII, 1, 7); Οὐκ ἐξ τουπερ ὁμόνον ὁ κατὰ πάντων ἀνεκινήθη διωγμός, πολὺ πρότερον δὲ, καθ' ὃν ἔτι τὰ τῆς εἰρήνης συνεκροτεῖτο (Ibid. VIII, 4); Οὐκ ἀθρόως τε τῷ καθ' ἡμῶν ἐπαποδυομένου πολέμῳ, αλλ' ἔτι τῶν κατὰ τὰ στρατόπεδα μόνων ἀποπειρωμένου (Ibid. 4, 2); Πλείστους παρῆν τῶν ἐν στρατείαις ὁρᾷν ἀσμενέστατα τὸν ἴδιωτικὸν προασπαζομένους βίον, ὡς ἂν μὴ ἔξαρνοι γένοιντο τῆς περὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν εὐσεβείας (Ibid.).

(4) *Histoire des persécutions, Persécution de Dioclétien*, t. I, p. 111.

vincias acquisiisse, ex quo non parum invaluit super Diocletiani animum, ac deinceps illa auctoritate abuti numquam cessavit. En synchroni testimonii verba : « In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est, ut iam detrectaret Caesaris nomen, quod cum in litteris ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quousque Caesar? Exinde insolentissime agere coepit ».[1]

Anno 303 primum persecutionis generalis edictum profertur, iuxta quod: Conventus christianorum vetantur: Τὰς συνόδους τῶν Χριστιανῶν ἐξηρῆσθαι (Eusebius, *Hist. Eccl.* IX, 10, 8) – ecclesiae, sive aedificia ad liturgiam consecrata, solo aequandae praescribuntur : Τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν (Ibid. VIII, 2, 4).[2] – Sacrae Scripturae, aliique codices, flammis dandae: Τὰς δὲ γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι (Ibid. 2, 4) – Christiani in muneribus constituti omni honore privandi, proindeque ad infimum ordinem reducti dicuntur; omnis actio iuridica valet in eos omnisque privata iniuria : Τοῦς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους ἀτίμους (Ibid. 2, 4)[3] – qui in locupletibus non recensentur, libertate spoliandi sunt: Τοὺς δὲ ἐν οἰκετίαις, εἰ ἐπιμ νοιεν τῇ τοῦ Χριστιανισμοῦ προθέσει, ελευθερίας στερεῖσθαι (Euseb. *Hist. Eccl.* VIII, 2, 4)[4] – servi numquam poterunt libertatem adipisci; *Si quis servorum permansisset christianus, libertatem consequi non posset* (Rufinus, *Hist. Eccl.* VIII, 2).

Edicto per omnes imperii provincias publicato, multi christiani martyres occubuerunt, licet minime mortem illud comminaretur; potissimum Nicomediae, ubi sub specie cuiusdam

(1) LACTANTIUS, *De mort. persec.* 9.

(2) « Ut omnes ubique ecclesiae cum suis altaribus aequarentur solo » (*Passio S. Theodoti Ancyrani*, 4; RUINART, *Acta sincera*, p. 355).

(3) « Ut religionis illius (personae) carerent omni honore ac dignitate, tormentis subiecti essent quocumque ordine aut gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret, ipsi non de iniuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent » (LACTANTIUS, *De mort. pers.* 13. Cf. *Digest.* XLVIII, II, 4, 8; V, 2).

(4) *Libertatem denique ac vocem non haberent* (LACTANTIUS, *De mort. pers.* 13).

coniurationis puniendae, caedes christianorum facta est. Insuper non raro extremam dederunt poenam, qui sacra volumina tradere renuerunt.

Hoc primum, eodem anno, secundum edictum sequitur quo ecclesiarum rectores catenis vincti in carcerem detruduntur; (1) cui succedit statim et tertium, iubens ecclesiasticos liberandos qui sacrificare idolis voluerint, atque in religione christiana perseverantes exquisitissimis subiiciendos suppliciis. (2) Subsequente autem anno, quartum promulgatur edictum Deciani simile; nam per illud omnibus, in omnibus urbibus et pagis romani imperii, sacrificare libareque idolis iniungitur. (3) At executio huius multo evasit ceteris crudelior, eoque vecordiae deventum est, ut omnes persecutiones anteriores longe superet, Neronis fortasse excepta, non quidem crudelitate atque victimarum numero, sed quia, in suppliciis decernendis, ludis una et cladibus Nero consuluerat, festiva spectacula populo praebens in martyrum cruciatibus.

Anno 306, quintum fertur persecutionis edictum in ditione Maximini Daiae (et fortasse etiam Galerii Maximiani), idem praecipiens atque superius: scilicet ut nominatim cives universi sacrificare adigantur; quod plane demonstrat quartum edictum applicatum ubique non fuisse. (4) Postremo anno 308 sextum apparet edictum vetans ne quid ematur aut quomodocumque permutetur, nisi contrahentes illud aqua lustrali prius asperserint, custodes autem in publicis balneis appositi sunt qui omnes ad lotiones venientes incensum deorum aris offerre adigerent. (5)

Anno 311, praeter omnium opinionem, primum tolerantiae edictum exit, idque ab acerrimo persecutorum conscriptum. Galerius enim lecto iacens, cum sibi videat in putredinem vermesque corpus dissolvi, nec non hoc Dei christianorum vin-

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.* VIII, 6, 8.
(2) Ibid. 6, 10.
(3) Euseb. *De mart. Palest.* 3.
(4) Eusebius, *De mart. Palest.* 4, 8.
(5) Ibid. 9, 2–3.

dictae tribuat, finem insectando facit atque novum prodit edictum cuius haec sunt verba:

Imperator Caesar Galerius Maximianus, Invictus, Augustus, Pontifex Maximus, Thebaicus Max., Sarmaticus Max., V. Persarum Max., Germanicus Max., Aegyptiacus Max., II. Corporum Max., VI. Armeniorum Max., Medorum Max., Adiabenorum Max., Trib. Potest. XX, Dictator XIX., Cos. VIII. Pater Patriae, Procos.; et Imperator Caesar Flavius Valerius Constantinus, Pius, Fortunatus, Invictus, Augustus, Pontifex Max., Trib. Potest., Dictator V., Cos., Pater Patriae, Procos.

Inter cetera quae pro communi Reipublicae utilitate et commodo statuimus, volebamus iam antea ex veterum legum institutis et publica Romanorum disciplina omnia corrigi, inque pristinum statum restitui et providentiam ac curam haberi, ut Christiani qui maiorum suorum sectam, et religionem deseruissent, ad rectam eiusdem institutionem reverterentur. Verum quoniam illi tanta insolentia inflati sunt, tantaque elati arrogantia, ut quae erant a veteribus decreta (quae quidem fortasse maiores eorum sanciverant) nullo modo sequerentur; sed suo quodam instituto, et ut cuique visum erat, sic quisque sibi tum leges promulgare, tum easdem observare, tum in variis locis varios hominum conventus cogere vellet: Nos propterea edictum illico tulimus, ut ad vetera instituta se transferrent; unde complures periculo vitae obiecti, nonnulli graviter perturbati, varia mortis genera sustinuerunt.

Et quoniam non pauci in eadem pertinacia persistebant; et eos nec diis coelestibus debitum cultum tribuere, neque Christianorum Deo venerationem adhibere videbamus: nos idcirco ad mansuetudinem nostram, et diuturnam clementiae nostrae consuetudinem, qua veniam omnibus hominibus impertire solebamus, oculos convertentes; libentissime istud concessimus, ut homines denuo se libere Christianos profiteantur; ut aedes, in quibus convenire solent, resarciant; sic tamen, ut nihil contra publicam Romanorum disciplinam moliantur. Per alias item litteras indicibus significabimus, quid ipsos observare oporteat. Unde Christiani hac indulgentia a nobis concessa devincti, debent Deo suo obnixe supplicare pro nostra, pro Reipublicae, pro sua ipsorum salute; ut quovis modo cum publicus rerum status integer et incolumis retineatur, tum ipsi in suis familiis absque cura et solicitudine vitam traducere queant.(1)

Longe aliud Maximini erat in optatis, sed adquievit Galerio; non ita tamen ut tranquillitatem ab edicto intentam Christiani eius ditionis adipiscerentur. Praestat ut Eusebius synchronus

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.* 8, 28.

testis audiatur: « Haec palinodia (edictum sci. Galerii), sive retractatio, auctoritate Imperatorum Galerii et Constantini, ... passim in omnibus Asiae partibus, inque singulis eiusdem provinciis divulgata fuit. Qua re in hunc modum confecta, Iovius Maximianus in hunc modum in Oriente tyrannidem exercens, scelestissimus ille quidem maximeque impius (si quisquam alius) et pietatis in Deum rerum omnium satorem hostis acerrimus, cum litterae, quibus haec retractatio continebatur, neutiquam ipsi arriderent, pro mandato, quod scripto in illis erat enunciatum verbis, solum magistratibus ipsius imperii subiectis mandat, ut persecutionis bellum contra nos excitatum remittant. Nam cum ei non integrum esset, eorum iudicio qui priores Imperii partes tenebant, aliter refragari; decretum retractationibus omnibus propositum in obscuro collocare, et aliqua ex parte supprimere molitur; totoque animo connitens, ne Imperii partibus sub ipsius dictionem subiectis in apertum proferretur; magistratibus ei obsequentibus edicto non scripto mandat, ut persecutionem contra nos excitatam relaxent. » (1)

(1) « His litteris », pergit Eusebius (*Hist. Eccl.* 9, 1), « se ipsi mutuo de mandato certiores faciunt. Nam Sabinus, qui summus provinciarum praefectus, et maximo in honore apud Imperatores fuit, Maximini sententiam ac voluntatem provinciarum praesidibus Epistola latinis litteris scripta significat in hunc modum: " Divina Imperatorum DD. nostrorum sanctissimorum maiestas, incredibili ac singulari studio inflammata, omnium hominum mentes ad sanctam rectamque vivendi viam traducere iampridem decreverat, quo hi, qui religionis institutionem, et consuetudinem a Romanorum more alienam sequi videbantur, deinceps iustos debitosque cultus diis immortalibus impertirent. Verum quorumdam pertinacia, et perversa voluntas eo temeritatis processit, uti neque recta mandati praescriptione a proprio instituto recedere voluerint, neque supplicium ipsis inflictum eos ulla ex parte potuerit perterrere. Quare, quoniam accidit ut nonnulli ea de causa se in grave periculum coniecerint, divina dominorum nostrorum potentissimorum impp. celsitudo, propter eximiam suae insignis pietatis praestantiam, alienum a divinissima ipsorum voluntate ac proposito statuens ut homines huiusmodi de causa in discrimen veniant; praecepit ut ipse ad tuam prudentiam litteras exararem, ut si Christianorum quisquam religionem suae gentis sequi, et observare comperiatur, illum molestia, et periculo ipsi intentato eximas, et neminem eiusmodi

Finxit igitur parere Maximinus, vel etiam paruit ex parte; at, Galerio mortuo, cum sibi regiones Asiae provenirent gubernandae, denuo excitata est persecutio, non quidem furiosa uti antea, sed tacita, callidissima, unica tandem quae adoptanda maneret, cum cetera persecutionis genera illud ante tempus adhibita nihil profuerant, immo Christi religioni non paulum incrementi et roboris contulerant. Sed synchronum Eusebium audiamus: « Persecutionis flamma contra nos de integro incenditur. Statuarum igitur et simulacrorum sacerdotes, Pontifices etiam viri in Reipublicae negotiis obeundis eximii et in omni ministerii genere ad Deos spectantis praestabiles, et in quibus incredibile studium insidebat obsequii idolis praestandi, in singulis civitatibus a Maximino creantur. Nam absurda Imperatoris superstitio (ut brevi comprehendam) tum magistratus, tum privatos omnes omnia contra nos moliri quo illi gratificari possent, induxit; quippe pro beneficiis, quae ab illo se assecuturos sperabant, se illi, si mortem nobis inferrent, aliaque nova, et inaudita scelera adversus nos ederent, maxime gratificaturos putarunt ». (1)

Sane notabilia sunt haec Eusebii verba quae caussam ex parte demonstrant, quamobrem tam crudeliter cum Christianis magistratus et plebs idolatrica se gesserint. Iam vidimus Galerii edictum tolerantiae, quo sibi magis quam Christianis prospicit imperator, atque ex quo apparet quam parvi sit facienda bona ethnicorum fides in Christianis conquirendis, quam tamen quidam auctores extollere ac defendere hodie praesumunt. Porro tanta intercedit similitudo inter persecutiones illius temporis atque eventus hodiernos in quibusdam Europae nationibus, ut,

de causa poena mulctandum statuas praesertim cum longa temporis progressione satis explorate cognitum et perspectum sit, illos nullo modo nullaque ratione persuaderi posse ut ab eiusmodi contumacia aliquando desciscant. Quocirca tua perspicax solertia ad Curatores, Praefectos praesidiorum, et praepositos cuiusque civitatis et pagi litteras scribere debet, ut intelligant te debere sedulo praecavere, ne extra cancellos huius edicti egrediantur " ».

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.* 9, 3-5.

si mirabilis optima illa fides admitteretur, etiam Francos quosdam adversus Ecclesiam legumlatores, atque vesanam anticlericalium (ut vocant) turbam claustra et ecclesiasticas personas aggredientem prorsus excusare deberemus. Iudicet lector ipseque ex testimonio Eusebii sententiam deducat:

« Pilati praeterea et Salvatoris nostri rerum gestarum, tamquam commentarios quosdam omni blasphemia et convicio contra Christum refertos confinxerunt; quos de sententia Imperatoris in totum regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt; perque litteras iubent, ut in quibusque locis, agris, et civitatibus, hi palam omnibus exponerentur, et ludimagistri pro aliis disciplinis pueros in hisce sedulo exercerent, hosque illis memoriae mandandos traderent. Quibus hunc in modum confectis, alius dux exercituum apud Damascum Phoeniciae mulierculas quasdam infames impurasque e medio foro arripit; illisque adeo gravia se tormenta inflicturum interminatur, uti eas asseveranter dicere cogat, cum quod olim fuissent Christianae, tum quod nefandi sceleris cum Christianis consciae extitissent, tum quod in suis ipsorum templis, quae Graeci *Dominica* vocant, res obscoenas et libidinosas gessissent, et alia etiam, quae eas in nostrae religionis reprehensionem et ignominiam falso effutire voluit; quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam ostendendas curavit; cuius iussu in singulis urbibus locisque haec scripta divulgantur » (1)... « In mediis porro civitatibus (quod numquam alias contigerat) cum urbis cuiusque in nos decreta, tum ipsius Imperatoris praeterea rescripta in columellas aeneas incisa eriguntur. Pueri quoque in ludis litterariis, Iesum et Pilatum, commentariosque ad Christi contumeliam confictos, in ore et sermone quotidie habuerunt » (2).

Iam praestat integrum Maximini rescriptum referre ut ipse Eusebius prodit, insigne quidem simulationis documentum atque incredibilis audaciae; nam praeterquam quod Christiani dimidium plerumque plebis illa tempestate constituerent, ali-

(1) Ibid.
(2) Ibid.

quibus in pagis Asiae provinciae omnes incolae usque ad unum Christianam profitebantur fidem. Sane sciebat imperator numquam fore, ut Christiani adversus potestates insurgerent. Quamvis nihilominus non desunt hodie qui etiam contumelias contra iudices aut paullo audaciora verba aliquorum martyrum quasi rebellantis animi indicia reprehendant, et in his insuper aliquam rationem inveniant persecutorum crudelitatis excusandae. Sed ad edictum veniamus quod tanta cum ficta pietate conscriptum est, ut imperatorem illum, omnis plenum nequitiae, flagrantissimum deorum cultus morumque integritatis dixeris:

Exemplar rescripti Maximini, ad civitatum decreta contra nos sancita respondentis, ex columna aerea Tyri descripti.

Quoniam omnis erroris caligo, et tamquam nebula, quae quidem antehac hominum non tantum impietate imbutorum quam inscitia misere caecutientium sensus perniciosis ignorationis tenebris involutos obsederat, penitus discussa est, et dissipata; imbecilla humanae mentis vis iam tandem facile perspicere potest, se benigna deorum immortalium providentia solum, et gubernatam esse et corroboratam. Atque res est dictu prope incredibilis, quam gratum, quam iucundum, et acceptum nobis fuerit, quod tam insignem, et clarum vestri pii erga deos institutis specimen edideritis. Quin etiam ante hoc tempus nemini obscurum erat, qua observantia, quo cultu erga deos immortales uti consueveritis; quibus vestra fides non nudis solum, et inanibus verbis, sed continuis et admirabilibus rebus gestis satis cognita est et perspecta. Quapropter vestra civitas merito quidem, et optimo iure, deorum immortalium sedes, et domicilium nuncupetur; multis enim exemplis liquet, eam deorum coelestium praesentia perpetuo floruisse.

Ecce ergo vestra civitas, omnibus illis rebus, quae ad eius commodum interesse videbantur, neglectis; et petitionibus, quibus pro suo ipsius statu uti solebat, penitus omissis; quando denuo execrabilis christianismi inanitatis professores ac duces, velut incendium compositum illud quidem, spretum tamen (quod facibus reviviscentibus maximas flammas, et ardores rursus ex se fundit) incipere longius serpere senserat; protinus absque mora ad nostram religiosam maiestatem, tamquam ad cuiusque cultum et pietatis magistram ac patronam confugit, et ab ea remedium, et auxilium supplex efflagitavit. Quam quidem salutarem cogitationem, propter constantem in vestra religione tuenda fidem, deos animis vestris iniecisse, perspicuum est. Ille namque, ille inquam, altissimus, et maximus Iuppiter, qui vestrae urbis splendori, et amplitudini praesidet, qui vestros deos patrios, uxores, liberos, lares, et domos ab omni pestifera ac lethali in-

ternecione liberat, in vestris mentibus hoc salutare consilium insevit; aperteque ostendit, indicavitque quam eximium, quam magnificum, quam salubre sit, debita cum veneratione deorum immortalium religioni, et sacrosancto cultui diligenter attendere.

Quis enim tam amens, tamque ab omni ratione alienus reperiri poterit, qui non animadvertat, clementi deorum in homines studio factum esse, ut neque terra semina sibi mandata cum foenore reddere deneget, neque agricolarum spem inani expectatione fallat; neque rursus impius Mars tam horridus absque impedimento in terra vigeat, et roboretur; neque aequabili caeli temperatione perturbata, corpora peste infecta, aegraque celeriter ad mortem rapiantur; neque mare rigidis immoderatorum ventorum statibus agitatum turgescat; neque repentinae procellae, et abruptae naufragam, et periculosam tempestatem excitent; neque terra praeterea, quae est omnium nutrix, et parens, ab imis quasi visceribus gravi cum trepidatione desciscat; neque montes eius radicibus nixi, ingenti hiatu patefacto deglutiantur? Quae quidem mala omnia, hisque multo graviora, nemo est qui ignoret ante hoc tempus sacpenumero obtigisse. Atque ista universa acciderunt ob perniciosum illum, et vanum errorem hominum nequam, et improborum, Christianorum videlicet errorem; qui quidem cum in eorum animis illaberetur, universum prope dixerim orbem terrarum confusione quadam oppressit. (1)

Sane imperator vulgi superstitiosa mente abutitur, et insuper, si scriptoribus illius aetatis fidamus, non ita prorsus res evenisse videntur. Deinde ipse Maximinus omnia prospere procedentia extollit, eaque coercitioni tribuit religionis Christianae:

Convertant iam oculos ad camporum planitiem longe lateque patentem; considerent laetas florentesque segetes spicarum ubertate redundantes; prata intueantur, propter foecundos, et moderatos imbres herbis, et floribus splendescentia; aeris temperationem animadvertant quam aequabilis et quam amoena sit. De reliquo omnes perfundantur laetitia, quod per vestram religionem sacras victimas, et honorem diis adhibitum, vis et impetus robustissimi potentissimique Martis placatus sit, et propterea placidissima pace constanter, et cum securitate ac quiete sese oblectent. Et quicumque, caeco illo christianismi errore et tamquam itinere devio decedentes, ad rectam, et praeclaram mentem redierunt, multo magis laetentur animo, perinde ac si ex tempestate improvisa aut morbo gravi erepti fuerint; et in posterum iucundissimis vitae commodis cum voluptate fruantur.

Quod si qui ex illis sint, qui in detestabili illa inanitate et inscitia

(1) Eusebius, 9, 6.

obstinate persistant, longo locorum intervallo a vestra urbe, et agris eam undique ambientibus (sicuti a nobis postulastis) segregati, in exilium eiiciantur; ut vestra civitas, secundum consentaneam vestri studii in hac causa positi rationem, ita omni erroris labe, et impietate liberata, cum debito cultu, sicut in eius voluntate naturaliter insitum est, augustae deorum immortalium venerationi, et obsequio se totam tradat. Ut igitur intelligatis, quam grata nobis fuerit vestra in hac re petitio, animus noster, qui est ad gratificandum paratissimus, absque decretis, absque postulatione vestris religiosis mentibus liberam cuiuscumque beneficii, et magnifici muneris pro isto vestro divino proposito petendi facit potestatem: iam ergo hoc petite, ut sitis voti compotes; nam absque mora ipsum consequimini. Quod quidem vestrae civitati donatum, cum vestrae singularis in deos immortales pietatis, et religionis in perpetuum perhibebit testimonium; tum satis perspicue vestris filiis et posteritati declarabit, vos, huius vestri pii instituti causa, digna premia a nostra benignitate consecutos (EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* 9, 7, 2-15).

Foecunditas vero illa terrae et temperatio aeris, quam imperator extollit, in calamitosa tempora desiere; nam, ut aiunt cum Eusebio alii illius aetatis auctores « imbres, et pluvia, quae hiberno tempore fieri consueverunt, solitam suam terrae irrigandae consuetudinem intermiserunt. Unde fames praeter omnium expectationem passim grassari, et pestis deinceps oberrare coepit; morbi etiam cuiusdam novi, et peregrini (exulceratio quaedam, quae aestus, et fervoris proprio nomine anthrax, id est, carbunculus, appellatur) gravis et violenta impressio, qui per universum corpus pererrans, mortifera his, qui eo perturbabantur, iniecit pericula. Quin etiam, quoniam in oculis potissimum eius insidebat cruciatus, infinitos fere viros cum coniugibus et liberis caecos reddidit ». At in persequendo voluit imperator se populorum desideriis acquiescere videri; quocirca ita provocavit civitates, ut persecutio in Christianos sibi peteretur: « Indulgentiam », ait Lactantius, « Christianis communi titulo... datam tollit, subornatis legationibus civitatum quae peterent ne intra civitates suas Christianis conventicula extruere liceret, ut quasi coactus et impulsus facere videretur quod erat sponte facturus ». (1)

(1) *De mort. pers.* 36.

Tabula 4 rescriptum prodit imperatoris Maximini cuidam civitatis Lyciae petitioni respondentis; quae petitio cum tabellis publicis incisa est ac rescriptum imperatorium sequebatur. Harnack, mutilum hoc documentum cum aliis eiusmodi responsis



Tab. 4.

conferendo, ad partes quae deficiebant supplendas facile pervenit. Ecce textus responsi collatus cum epistola eiusdem imperatoris ad Tyrios, quae eiusdem prorsus generis est, et ab Eusebio relata:

[Vestrae devotioni permittimus

ἐπιτρέπομεν τῇ ὑμετέρα καθοσιώσει

[quamcumque munific]entiam vol[etis pro hoc vestro pio proposito pet]ere,

ὁπόιαν δ' ἄν βουληθῆτε μεγαλοδωρεάν ἀντὶ ταύτης ὑμῶν τῆς φιλοθέου προθέσεως αἰτῆσαι

iam nunc ho[c facere et accepisse vos credere li]cet,
καὶ ἤδη μὲν τοῦτο ποιεῖν καὶ λαβεῖν ἀξιώσατε·
impetraturi e[am sine mora]
τεύξεσθε γὰρ αὐτῆς χωρίς τινος ὑπερθέσεος
[quae]
ἥτις
.....
παρασχετεῖσα τῇ ὑμετέρᾳ πόλει
[in omne aevum t]am nostram iuxta deos i[mmortales pietatem testabi]tur
εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα τῆς περὶ τοὺς ἀθανάτους θεοὺς φιλοθέου εὐσεβείας παρέξει μαρτυρίαν
quam vero condigna prae[mia vos esse a nostra cl]ementia consecutos
τὸ δὲ ὑμᾶς ἀξίων ἐπάθλων τετυχηκέναι παρὰ τῆς ἡμετέρας φιλαγαθίας
.....
ταύτης ὑμῶν ἕνεκεν τῆς τοῦ βίου προαιρέσεως
liberis ac po[steris declarabit].
υἱοῖς τε καὶ ἐκγόνοις ὑμετέροις ἐπιδειχθησεται.

Hic igitur persecutor omnibus usus est modis, omnesque nervos contendit ut nomen christianum deleret, neque ad indignissima recurrere media erubuit, populi nempe superstitionem, calumnias, libellos famosos corruptionemque puerorum. Ad antiqui cultus restitutionem primum convertit animum, in quo non dedignatus est a christianae hierarchiae constitutione formam petere; unde et metropolitanum in unaquaque urbe, qui esset veluti episcopus, nominavit, atque inferiorem quasi clerum singulis designavit civitatibus, quibusdam liturgicis ritibus adstrictum, et specialem atque a ceteris civibus distinctum vestimentum gestantem.(1) Haec igitur cum parasset, coepit imperator persequi, primum occulte, minis videlicet, ut Christiani prae timore fugerent; deinde, manus in episcopos iniiciens potentiores, proposita inter fidei negationem et extre-

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.* VIII, 14; IX, 4; Lactantius, *De mort. persecutorum*, 36.

mum supplicium optione. Verum, uti iam descripsi, fames, morbi, aliaque mala omnes Orientales civitates occuparunt; insuper Maximino ipso a Christianis Armenis profligato, Occidentis eventus persecutionem, nuper renatam, etsi nolente tyranno, compescuerunt.

Mense autem maio anni 313, novum et solemne edictum Constantinus et Licinius consules Mediolani promulgabant, definite statuens Christianis pacem illam, quam a Neronis temporibus amiserant.

Iam paucis in epitomen reducendae sunt caussae persecutionum; qua in re parum inter eruditos dissentitur, atque fere omnes in Allard sententiam conveniunt: ex huius igitur auctoris operibus excerpam quidquid hac in re dicturus sum.

In Christianismi exordiis, cum fideles a Iudaeis minime distinguerentur, in horum apud Romanos invidiam et ipsi inciderunt; quamobrem sicuti Iudaei Ἄθεοι, atque μισάνθρωποι [1] et Christiani vocabantur, quorum erat *adversus omnes hostile odium,* quippe qui, *separati epulis, discreti cubilibus,... alienarum concubitu abstinerent.* [2] At cum essent Iudaei per omnes romanae ditionis partes dispersi, nullum facessere imperio periculum putabantur, ideoque quamdam autonomiam (ut vocant) illis Romani concessere. Quo autem magis in cognitionem gentium Evangelium veniebat, eo apertior apparebat Iudaeos inter et Christianos discrepantia; neque Iudaei ab illa ethnicis demonstranda alieni fuisse videntur, quippe quorum maxime intererat in alios civium offensionem qua afficiebantur deflectere. Quapropter utrosque Romani atheismi, [3] et odii generis humani [4] accusabant, praeterea de asinino capite ado-

(1) Apollonius Molon apud Ioseph. *Contra Appionem*, II, 6; Tacitus, V, 5.

(2) Iust., I *Apolog.* 6; II *Apolog.* 3; Athenag. *Legat. pro christ.* 3; *Epist. Ecclesiae Smyrn.* apud Eusebium, *Hist. Eccl.* IV, 15, 18; Lucian. *Alex.* 25, 38; Minucius Felix, *Octavius*, 8, 10.

(3) Tacitus, *Ann.* XV, 44; Tertull. *Apol.* 35, 37; Minucius Felix, *Oct.* 8, 9, 10.

(4) Tac. *Hist.* V, 4; Tertull. *Ad nat.* I, 14; *Apol.* 16; Minucius Felix, *Oct.* 28.

rando. At Christiani multo Iudaeis deteriores videbantur, eo quod sacrificiis carerent,[1] unde tria hominum genera a Romanis distinguebantur: Graeci, primo; secundo loco Iudaei; tertium vero, idest infimum locum, Christiani tenebant (*tertium genus*).[2]

Tertium hoc genus omnis turpitudinis criminisque insimulabatur, praesertim incestus, internecionum et ritualis anthropophagiae,[3] atque inertiae desidiaeque addictum, ad nihil aptum in republica putabatur.[4] Adde magicae artis accusationem,[5] quae incredibile est quantae execrationi esset Romanis superstitione etsi affectis. Hae quidem saeculo secundo falsae et praeiudicatae opiniones non solum vulgi sed et litteratorum virorum animis inhaerebant; saeculo autem tertio, absurda haec omnia visa sunt, iamque compertum babemus quantus fuerit Maximini labor saeculo quarto incipiente in huiusmodi accusationibus denuo excitandis. En prima caussa persecutionis, qua usus est Nero ut in Christianos *per flagitia invisos*, ut ait Tacitus, culpam incendii conferret, vel saltem a murmurando contra seipsum plebem averteret.

Posthac, ut videtur, numquam ethnici ab accusandis Christianis destiterunt; atque Traiani rescriptum ad impetus insanos populi cohibendos, saepe in Christianos irrumpentis, destinatum apparet. Neque secus Hadrianus per rescriptum ad Asiae proconsulem, et Marcus Aurelius ad Legatum Lugdunensem aliasque Graecas civitates egerunt, ut quodammodo caussae Christianorum ordinariis iudiciis quaestionibusque conformarentur. Sed de flagitiis cohaerentibus *nomini*, de *exitiali superstitione* ceterisque criminibus nihil evictum fuit unquam, neque aliud in-

(1) Minucius Felix, *Oct.* 8.

(2) Tertull. *Ad nat.* I, 8, 20; *Scorpiace*, 10.

(3) Iust. M., I *Apol.* 26, 27; II *Apol.* 12, *Dialog. cum Tryph.* 10; Athenagoras, *Legat. pro christ.* 3; Theophilus Antioch. *Ad Autolyc.* III, 4; Euseb. *Hist. Eccl.* V, 1; Minucius Felix, *Oct.* 9, 31.

(4) Tac. *Ann.* XIII, 30; *Hist.* III, 75; Suetonius, *In Domit.* 15; Tertull. *Apol.* 42.

(5) *Superstitio nova et malefica* (Suet. *Nero*, 16; Origen. *Contra Celsum*, I, 7.

venit Plinius in Christianis puniendum nisi *pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem* (*Ep.* X, 96).

Alia caussa persecutionis fuit imperatorum saeculi tertii praeiudicata opinio quod Christiani periculo imperio essent; hinc prima huius temporis persecutio Christianos esse quidem concedit minime vero christianos fieri. Sub Maximino, porro, Decio et Valeriano multo severius actum est: etenim Christianos esse non licuit; proindeque his nihil factum est reliqui, nisi christianum nomen deponerent, deorumque cultui obsequerentur. Sane incredibile videtur Valerianum ita primum tolerasse Christianos ut ad palatii officia eos eveheret; ac deinde repente in eos tam crudeliter saeviisse, veluti in *nefariam congregationem*,(1) quam funditus destruere voluisset. Dicebantur tunc temporis Christiani ab officiis reipublicae, a militia, a festis atque cultus deorum ritibus abhorrere; insuper omni ope niti ut quodcumque virorum genus in propriam converterent superstitionem, et a religione illa patria distraherent, cuius proceres et imperii optimates ipsi erant ministri, imperator summus pontifex et visibilis deus, cui imperii fata vinciebantur. Haec ad unicum caput reducebantur, quod confuse omnes accusationes comprehendebat, *odium humani generis.*

Sed hic recte intelligendum est quid fuerit το *odium generis humani*; nam si id significaret Christianos, omnibus hominibus infensos eos odio habuisse, ideoque ab eis segregatos vixisse experientia ipsa hoc mendacium esse demonstraret. Verum enimvero *genus humanum* aliud Romanis non erat nisi ipsorum cultus, disciplina et mores maiorum, dii patrii, omniaque Romana instituta et leges. Quod romanum non erat, barbarum Romae vocabatur, et licet quodammodo permultas Orientales sectas existere Romae toleratum sit, Romana tamen respublica eas suspectas semper habuit.(2) Praeterea castitas, continentia,

(1) *Acta proconsularia S. Cypriani*, 4, apud RUINART, p. 218.

(2) Ad rem faciunt Cassii verba illa in senatu habita, cum de quadringentis servis morti subiiciendis ageretur, iuxta Romanum ius, propterea quod eorum dominus vir consolaris necatus domi fuerat. Surrexere quidem voces plurimae in aula *numerum aut aetatem aut sexum ac plurimorum*

charitas, ceteraeque virtutes, quibus praeter fidem Christiana vita consistit et alitur, saeculo quidem secundo, propter turpissima quibus Christiani accusabantur crimina a paganis quasi pro nihilo reputatae sunt; saeculo autem tertio, cum scilicet minus credulus circa obiecta flagitia populus esse coepisset, plurimis Romano more viventibus fastidium et iram, potius



Tab. 5. Legio fulminatrix, anaglyptum columnae Antoninae. (Ex H. Grisar, *Roma alla fine del mondo antico*, Tab. 191).

quam admirationem afferre debuerunt. Etenim nulli Christianis oboedientiores legibus, nulli magistratibus atque imperatori magis obsequentes et subditi. At vero nullus illis erat deorum eoque minus imperatoris cultus; a sacrificiis publicis, a festis ludisque cruentis non solum abstinebant, sed haec veluti ho-

indubiam innocentiam miserantium; praevaluit tamen pars quae supplicium decernebat (Tac. *Ann.* XIV, 45), sententia videlicet Cassii: «Suspecta maioribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, caritatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero nationes in familiis habemus, quibus *diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris*» (Tac. *Ann.* XIV, 44).

micidia reprobabant. Romanorum magistratibus talis agendi ratio non abstinentia, sed defectio insigniter castiganda visa est: immerito quidem et falso; Christiani enim minime dare nomen militiae renuerunt aut muneribus fungi reipublicae, nisi quatenus haec cum Christiana fide insociabilia evaderent.

Ceterum sub Alexandro Severo, Philippo, ipsoque sub Valeriano et Diocletiano, non mediocria reipublicae officia gesserunt Christiani; ad militiam autem quod spectat, *fulminatricem* quam vocarunt, *legionem* meminisse sufficiet. (1)

(1) De hac legione et eius impetrata precibus pluvia, dum Marcus Aurelius bellum cum Quadis gereret, haec habet Tertullianus: « At nos e contrario edimus protectorem; si literae Marci Aurelii gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur » (*Apol.* c. 5). « Marcus quoque Aurelius in germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit » (*Ad Scap.* c. 4). Sed de eodem synchroni auctores mentionem faciunt, nempe Apollinaris Hieropolitanus episcopus (apud Euseb. *Hist. Eccl.* IV, 27), et Dion Cassius, qui quidem narrat de imbre, sed eum Iovi Pluvio acceptum refert (*Hist.* lib. LXXI, cc. 8, 10). Sunt qui unicum textuum fontem anaglypta Antoninae columnae recognoscunt, ubi revera milites romani ingenti sub imbre figurantur et Quadorum clades (Petersen, *Das Wunder an der Columna M. Aurelii*, in *Mittheilungen des archäologischen Instituts, Römische Abtheitung* IX, p. 78-89, 1894; Domaszeuski, *Rheinischens Museum*, XLIX, 1894, p. 614-619); literas autem Marci Aurelii a Tertulliano commemoratas atque ab Apollinare episcopo, horum affirmat esse fictionem. E contrario Mommsen arbitratur literas veras esse, easque contendit auctorum ipsa in columna repraesentationis fontem fuisse; negat autem in ipsis ullam de Christianorum precationibus memoriam factam esse ab imperatore; proindeque in Christianos auctores, veluti in deceptores, invehit (*Hermes*, t. 30, 1895, fasc. I, p. 90-117). Verum istis contradicunt non pauci, inter quos Harnack (*Sitzungsberichte der Akademie von Berlin*, 1894, p. 614) et Duchesne (*Bulletin critique*, vol. XV, 1894, p. 476) pluviae eventum admittentes (licet prior nolit *paradoxale factum*, ut ipse vocat pluviam illam, intimius scrutari), et Christianorum militum precationes. Postremo quidquid critici dicunt, impossibile est testimonium Tertulliani inficiari, cum ipse non ad posteros, sed ad aequales locutus sit, a quibus, si mentitus esset, de mendacio redargui facile potuisset (cf. Lightfoot, *S. Ignatius and S. Polycarp.* t. I, p. 492).

Iam ad sculptile columnae oculos paulisper convertamus (tab. 6). Non

Neque vero exemplum unius et alterius militis intransigentis (ut hodierno utar vocabulo) ita potuit fideles apud Romanos dehonestare, ut vitio omnibus verteretur intempestiva unius vel etiam aliquorum pervicacia. (1) Quod si ex singularibus huiusmodi eventibus persecutio aliquando ortum aut incrementum aut occasionem sumpserit, tunc denuo clarius apparet quanti sit opinio facienda de optima persecutorum fide. Christianos a militia non abhorruisse plus est exploratum quam ut demonstrari oporteat. Quando autem de huiusmodi horrore

ibi agitur de *Iove Pluvio*, ut notant PETERSEN (loc. cit. p. 87) et P. GRISAR, (*Civiltà cattolica*, 1895, vol. I, p. 716–725), cum nihil figura *Pluvii* prae se ferat quod diis Graeci Romanique Olympi congruat. Pluvius noster non prorsus alienus videtur ab *Urani* imagine in antiquis Christianis sarcophagis efficti. Uranus ille nil ethnici sapit, sed quod distentum turgidumque capite velum sustineat, unice astrorum coelum significat. Est igitur pluviae tamquam personae inductio in columna Antonina, sive imago quaedam phaenomeni naturalis cum praecipuis anthropomorphicis lineamentis; quapropter optime designatur (si designari opus est) nomine *Pluvii* (*Civiltà cattolica*, loc. cit. ex quo has notitias excerpsi). Fuerunt etiam qui Iovem Pluvium in nummis quibusdam incisum conspexerunt; sed hos falsos esse demonstravit ECKHEL (*Doctrina nummorum*, IV, p. 64). Ceterum, neque ulla Iovis Pluvii imago in figuratis monumentis apparet, et in titulis bis tantum nomen huiusmodi occurrit, idque sub hac forma: *Iupiter Pluvialis* (Vid. ROSCHER, *Ausführliches Lexicon der griech. u. röm. Mythologie*, fascicolo 22, 1892, p. 751).

(1) Tertullianus ad sidera extollit militem quemdam Christianum, eo quod secus atque eius commilitones, idemque christiani, noluit lauream coronam capite ferre in recipiendo quodam imperatorum donativo: «Proxime factum est, ait auctor, liberalitas praestantissimorum imperatorum expungebatur in castris. Milites laureati adibant. Quidam illic magis Dei miles, ceteris constantior fratribus qui se duobus dominis servire posse praesumpserant, solus libero capite coronamento in manu otioso ...» (*De corona*, c. I). Exaggerat hic TERTULLIANUS, pene dixerim, more suo, nam eadem aliis in scriptis cudit (*De idolat.* 19; *De Pallio*, 9; *De resurrectione carnis*, 16; *Contra Celsum*, 8), neque LACTANTIUS hac in re videtur aliter sensisse (*Div. Inst.* VI, 20). At ille singulare factum caussa fuit ut miles imprudens post ictus bene multos in carcerem traderetur; ceteri autem Christiani milites Africae provinciae derisui esse coepissent atque exagitari; neque ab incepta Septimii Severi persecutione aliena fuit inopportuna et minus recta militis istius contumacia.

insimulati sunt, tunc non amplius civibus onus nominis dandi militiae erat; sed cuique integrum ut militiam amplecteretur. Denique nihil revera erat Christianis magis in votis, quam ut possent Deum suum adorare, neque alia numina colere adstringerentur; sed cum in communi preces exsolveret numquam pro Imperatore magistratibusque supplicationes effundere omittebant. (1) Ut praeterea possent Christiani se per se liberare externus quipiam idololatriae requirebatur actus: hoc profecto nescio quomodo securitati imperii inserviret. Postremo dum innocentes Christianos abolere conarentur, quidam imperatores, nihilominus cultus Orientales tolerabant, saepe etiam in damnum religionis patriae: sic Aurelianus, qui acerbe Christianos insectatus est, solem imperii dominum declaravit, in eiusque honore secundum pontificum collegium instituit, quod certe antiquorum deorum cultui incrementa non attulit.

His praeiudicatis opinionibus addatur cuiusque propria invidia, avaritia quoque et cupido damnatorum bonis se locupletandi, a qua fere nemo Romanus imperator liber fuit, ut testatur historia, ceteraque naturae humanae vitia quae saepe sepius rationi praevalent; tum vero conceptas et adequatas habebimus caussas cuiuslibet priorum saeculorum persecutionis.

Iam ad annum 313 veniamus, quo Maximini Iovii persecutio saeviit, omnium quidem callidissima in qua, ut vidimus, hic imperator, experientia edoctus, subdola quaeque et omne versutiae genus adhibuit, ut universi imperii calamitatum caussam in Christianos declinaret; neque a calumniando abhorruit

(1) Videat lector in 1ª Clementis Romani Epistola ad Corinthios quibus flagrantibus verbis, quibusque votis pro potestatibus atque regibus orabatur a Christianis paullo ante Domitiani persecutionem. Quae quidem liturgica praxis per sequentia persecutionum tempora perseveravit, ut probant, inter alia, ista Tertulliani verba: *Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum, pro potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis* (*Apolog.* XXXIX); atque haec S. Cypriani ad proconsulem Paternum, Christianos ut paganam religionem sequerentur adigentem: *Hunc (Deum verum) deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum imperatorum* (*Acta procons. S. Cypr.* apud RUINART, p. 216).

magnam sibi spem proponens, ut scilicet *invisi* denuo *per flagitia* Christiani fierent, atque in eos populi odium excitaretur; et insuper summa ope nisus est in cultu deorum restituendo, quo in opere (incredibile dixeris), vel Christianas institutiones tamquam exemplaria eligere non dubitavit. Sed dum haec in Oriente agerentur, Constantinus et Licinius, illius anni consules, mense Martio, Mediolani, celebre edictum ut iam dixi, promulgarunt.

De Constantini fide in Christum, deque ei in visione ostenso sacratissimo Salvatoris signo verbum non faciam. Certe prodigiosum quoddam intervenit ad fidem imperatoris roborandam; sed alius est historicus aspectus sub quo illius temporis eventus considerandi sunt.

Vulgaris sententia est, piis enutrita exaggerationibus quorundam scriptorum, Christianos nihil potuisse sub divo committere quod eorum fidem redoleret; neque desunt qui, ultra progredientes, ne vivere quidem nisi in cryptis Romae Christianos potuisse perhibeant.

Inprimis notandum est, ab anno 64 usque ad Edictum Me- Mediolanense (313), Christianos vixisse quidem sub hostilibus legibus, atque Romanae plebi invisos, verum per totam illam annorum seriem, saepe persecutionem deferbuisse. Primo enim saeculo sex annos saeviit persecutio; secundo autem, annos octoginta sex; tertio, viginti quattuor; quarto, tredecim; toti igitur simul sunt centum viginti novem persecutionis anni. Iam vero, licet per alteros centum viginti annos quibus persecutio non viguit, nunquam fere non defuere martyres; tamen non solum vivere, sed aperte congregari cultumque exercere Christiani potuerunt. *Clarissimas foeminas*, ait exempli gratia de Septimio Severo Tertullianus,[1] *et clarissimos viros Severus sciens huius sectae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit.* Sed neque persecutione grassante necessitas, immo nec facultas fuit plerumque in cryptis delitescendi: non quidem servi hoc po-

(1) *Ad Scap.* c. IV.

tuerunt, quippe dominorum domibus laboribusque addicti; neque Romani cives, utpote publicis officiis praediti, eoque minus foeminae, parentum suorum arbitrio aut virorum zelotypiae subiectae. Sane Tertullianus sibi quaerit quomodo Christiana viri ethnici uxor poterit antelucanas adire synaxes, quin, in deserenda domo, nullam inferat suspicionem marito? Id autem de Africanis ecclesiis dicit. At quanto idem difficilius apparet Romae; quot incommoda, quot pericula incurrissent, si noctu Christianae foeminae ad coemeteria contendere ausae essent. Matronam, exempli gratia, nobilissimam quis credat, nulla facessita marito ethnico suspicione, potuisse multo ante lucem se dare in viam, portas praetergredi Urbis, ad secundum saltem, vel ad tertium, vel etiam ad quartum aliquando milliarium pervenire coemeteria adituram, ut dominicalibus sacris adsisteret? Id enim praeterquam nullo fulcitur historico documento, fere impossibile factu videtur, nam et nimium temporis requirebat, et gravis plenum erat periculi. Deinde ipsa locorum angustia oberat quominus multorum congregationes in cryptis haberentur, et omnis ibi quantumvis parva conglomeratio hominum, non sine congregatorum fastidio, propter aeris frigus, madorem, foetores, aliaque incommoda, locum habere poterat.

Ne quis tamen putet me prorsus inter fictas fabulas recensere synaxes in cryptis habitas: non enim solum pro defunctorum anniversariis quae ad sepulcra celebrata fuisse alibi iam dixi, sed etiam incrudescente persecutione saepe coactos pontifices presbyterosque in coemeteriis collectas indixisse non inficior. At illa quam quidam describunt caeremoniarum solemnitas, ille liber concursus, illa denique facilitas in coemeteriis coeundi penitus excludenda est, veluti imaginationis foetus. Neque valet obiicere quod, teste Minucio Felice aliisque, Christiani lucifuga et tenebrosa natio vocati fuerint. Etenim non hoc nomine appellati sunt Christiani quia in catacumbis solito congregarentur; sed quia ante lucem, neque semper, neque eodem in loco, neque praesentibus profanis colligerentur in unum: quamquam, fortasse ethnicorum malevolentiae appellationes istae non prorsus immerito tribueres?

Error quoque est credere, Christianos primaevos sodalicium quoddam secretum sive sectam constituisse, ideoque merito coercendam. Si quaedam excipiantur ad augustissima sacramenta pertinentia, profanationis vitandae caussa necessario occultanda, de quo suo loco dicetur, nihil apertius fuit quam Ecclesiae Christi operosa virtus. Quam vero fuerit actuosa haec lucifuga natio, quanta in ipsa fluxerit vita, eius sedulitas, industria, cultus disciplinae, doctrinaeque concertationes probant: nimirum instituta plurima ad pauperes, viduas, pupillos sublevandos; arcae pro servis redimendis et in metalla damnatis subveniendis; mirabile praeterea commercium epistolare, mutuae consultationes, frequentissimus aditus ad Romanum Pontificem, creberrima concilia et synodi. Saeculo tertio fere omnes Africae episcopi semel saltem in anno in synodum conveniebant; et plura fuerunt concilia ante pacem Ecclesiae indicta, *per quae altiora quaeque in commune tractabantur.* (1) Haec autem quae omnia palam fiebant, fere numquam exturbata sunt, perinde ac si magistratus, vinculo quodam legis, quominus in illas manifestationes animadverterent, detinerentur; quod sane vetitum foret si de secretis concertationibus vel quomodocumque suspectis agendum fuisset. (2) Iam saeculo primo, catholicam sive universalem se prodit Ecclesia Christi, nam per Apostolos, rationalistis consentientibus, praecipuas mundi regiones occupaverat. (3)

Neronis tempore, *ingens multitudo* Christianorum, teste Tacito (4) aderat Romae; idem S. Clemens Romanus his verbis

(1) TERTULLIANUS, *De ieiunio*, c. 13. Cf. HERGENRÖTHER, *Storia della Chiesa*, trad. ital. t. I, p. 334.

(2) Cf. PAUL ALLARD, *Dix leçons sur le martyre, Vie intense de l'Eglise primitive*, III, p. 10–83.

(3) « Un rapide éclair partant de Syrie, illuminant presque simultanément les trois grandes péninsules de l'Asie Mineure, la Grèce, l'Italie, et bientôt suivi d'un second reflet qui embrasa presque toutes les côtes de la Méditerranée, voilà ce que fut la première apparition du christianisme » (RENAN, *Les Apôtres*, p. 284). Neque aliter loquitur HARNACK passim in suo opere: *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums.*

(4) TACIT. *Ann.* XV, 44.

confirmat: Πολὺ πλῆθος ἐκλεκτῶν[1] qui insuper fidem usque ad extremum terrae latam asserit: Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως.[2] Anno 104, Plinius Bithyniae proconsul, haec de Christianismo in illa regione existente habet: « Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata, templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passim venire victimas quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur ».[3] Ex quibus conficitur Christianos ita numero crevisse in Bithyniae provincia, ut templa ethnicorum deserta essent. Hoc in mentem revocat quod de Africa, vel potius, de omni romani imperii ditione, magistratibus obiiciebat Tertullianus: « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa. Si enim, tanta vis hominum, in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, immo etiam et ipsa destitutione punisset. Proculdubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, et stuporem quemdam quasi mortui orbis. Quaesissetis quibus imperaretis. Plures hostes quam cives vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum ».[4] Haec omnia idem auctor paucis expressit cum Christianos maiores esse ethnicis numero affirmavit: *Pars paene maior civitatis cuiusque.*[5]

Imperante Philippo, Romanum imperium Christianum apparuit. Tempore S. Cornelii, anno circiter 250, sex et quadra-

(1) Clem. *Ad Cor.* 6.
(2) Clem. *Ad Cor.* 5.
(3) *Ep.* X *ad Traianum.*
(4) *Apologeticus*, c. XXXVII.
(5) *Ad Scapulam*, c. II.

ginta presbyteri, septem diaconi, septem subdiaconi, quadraginta duo acolyti, quinquaginta duo exorcistae, lectores et hostiarii, clerum romanum constituebant: (1) *Magnum et innumerabilem populum* vocabat sanctus ille Pontifex Christianos Romae degentes. (2) Est Harnack opinio fuisse illo tempore centum circiter episcopos in sola Italia. (3)

Non ita cito finirem, si omnia testimonia historica vellem adducere de mirabili expansione Ecclesiae Christi deque eius vitalitate; (4) neque verbum de monumentis faciam quae luculenter rem nostram illustrant; hoc enim iam inter rationes praesentis operis est, ac proinde suo loco gradatim evolvendum; sed ut sufficientem quaestionis conceptum acquirat lector, utque per se de Mediolanensi edicto recte possit iudicare, seriem conciliorum ante Nicenum coactorum hic subiiciam.

Saeculo secundo, plura celebrata sunt concilia in Asia contra Montanismi haeresim; Romae, in Palestina, in Ponto, in Galliis, Osdroene, Corinthi propter celebrationem Paschae; Carthagine concilium septuaginta episcoporum circa baptisma haereticis collatum decernentium. Saeculo tertio, duo concilia in Phrygia; duo Alexandriae (an. 231 circiter); concilium nonaginta episcoporum in Numidia; concilium sexaginta Italorum episcoporum Romae (an. 251), et aliud ibidem anno 260; tria concilia Antiochiae (264–269); concilium Illiberitanum in Hispania anno circiter 300, quadraginta episcopis adstantibus, ubi canones disciplinares statuti sunt maximi momenti. Ad concilia provinciae Africae quod pertinet, ipsa aegre prae multitudine recensentur; numerare sufficiat quae Carthagine coadunata

(1) Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, 43.

(2) Μεγίστου καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ, ap. Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, 43.

(3) *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums in den ersten drei Jahrhunderten*, p. 501.

(4) Lector qui intimius rem cognoscere velit adeat auctores, praesertim Batiffol, *L'Eglise naissante* ap. *Revue biblique*, an. 1894 octob., an. 1895 apr., p. 137–159, iul., p. 473–500; J. Reville, *Les origines de l'épiscopat, étude sur la formation du gouvernement ecclésiastique au sein de l'Eglise chrétienne de l'Empire romain*, Paris, 1894; Duchesne, *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule.*

sunt S. Cypriano auctore. Anno 251, verno tempore, primum coitur concilium cui aliud eodem anno subsequitur; anno 252 mense Maio, concilium quadraginta duorum episcoporum; et aliud, anno exeunte 253, sexaginta sex episcoporum; item aliud, ante finem anni 254, triginta septem episcoporum; concilium episcoporum triginta unius anno 255; concilium unius et septuaginta episcoporum, vere anni 256, et aliud, mense Septembris eiusdem anni, octoginta septem episcopis praesentibus. (1)

Haec omnia tam aperta signa uberrimae vitae et prosperitatis, non solum revelant quibus regeretur legibus Ecclesia, sed etiam eius longe lateque per orbem diffusionem, et immensum adeptorum numerum. Hinc quoque est quod Maxentius, Maximiani Herculis filius, tyrannide occupata, cum sibi obnoxiam totam fecisset Italiam et Romam ingressus esset, se veluti Christianum imperatorem ostendit,(2) proindeque iura Ecclesiae publice recognovit, et quattuor post annis Miltiadi pontifici coemeteria et loca ecclesiastica restituit. (3) Neminem tamen latet, fuisse Maxentium semper ethnicum, et virum indole crudelissimum; praeterea archaeologica reperta eum etiam persecutorem demonstrant, licet occultum (Cf. De Rossi, *Rom. Sott.* t. II, p. 201). Non ergo iustitiae sensus eum induxit ad Christianos quodammodo protegendos, cum semper visus sit impure et flagitiose vivere; sed dissimulator ut erat callidissimus, tam numerosam ac radicatam societatem ipsoque in corde civitatis insitam, tot tamque crudelium diuturnarumque vexationum victricem, putavit non esse amplius aperte exagitandam.

Iam vero, quid de edicto Mediolanensi dicendum? « Si Ecclesia, ait Paulus Allard, (4) humi semimortua iacuisset, num-

(1) Paul Monceau, *Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne*, t. II, p. 41-48. Alio etiam argumentorum genere rem persequi possum, quantum videlicet claruerint christianae scholae Romae, Cartagine, Alexandriae, Antiochiae et alibi ostendendo, sed limites praetergrederer instituti mei, longiorque evaderem.

(2) Eusebius, *Hist. Eccl.* VIII, 14, 1.

(3) S. August. *Breviculus coll. cum donat.* III, 34.

(4) *Dix leçons sur le martyre*, p. 114.

quam imperatores manum ei porrexissent »; ideo enim benigne cum ea egerunt imperatores, quod ultimi paganismi conatus nihil profecerant; immo eam inexpugnabilem demonstraverant. Unde non quidem edictum vel chartam, sed contractus vocandum est quod imperatores tulerunt generale rescriptum; et licet Ecclesia minime veluti contrahens pars appareat, tamen eius intuitu res ita est peracta, ut Ecclesiae non solum sed et imperio optime provisum per edictum esset,[1] et cum libertas cuivis daretur conscientiae, tum vero pace imperium consolidaretur. Ex Harnack sententia ideo Constantinus potuit signis et edificiis publicis crucem imponere, quin ab ethnicis repugnaretur, quod ex iis locupletes optimi essent imperatorum aulici; plebs, autem, Christianae religioni faveret.[2]

Sed quid de Constantino? Eratne Christianus cum edictum describebat? Non est ambigendum illud fecisse ex animi sententia, quod idem dici nequit de Licinio. Hic potius morem Constantino gessit pro opportunitate, et quia aliter agere nequibat: sed ipsum edictum multo plura nos edocebit quam quodlibet ratiocinium:

Imperatorum edictorum exemplar.

Cum iampridem religionis libertatem nemini denegandam esse; sed cuiusque menti et voluntati potestatem permittendam ritus et instituta divina pro sua animi voluntate et arbitrio excolendi, consideraremus; mandatum dedimus, ut cum singuli alii, tum Christiani suae sectae ac religionis fidem integre observarent. Sed quoniam in eo rescripto, in quo eiusmodi illis concedebatur facultas, multae sententiae dubiae et contro-

(1) Paul Allard, loc. cit.: « Bien que entre les deux Empereurs l'Eglise n'ait point figuré comme partie contractante, cependant c'est en ayant les yeux fixés sur elle que Constantin rédigea l'édit de pacification. Celui-ci pourrait, sans abus des rapprochements historiques, être comparé à l'acte réparateur accompli par un autre victorieux au début du dernier siècle. En 1801 comme en 313, l'Eglise, presque partout, se relevait spontanément, quand lui fut accordée la réparation rendue nécessaire par l'intérêt de l'Etat autant que par le sien propre, et réclamée avec une force désormais irrésistible par l'opinion publique ».

(2) *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums*, p. 541.

versae inesse videbantur; quidam illorum propterea fortasse paulo post prae metu ab illius observatione repulsi sunt. (1) Quapropter cum ego Constantinus Augustus, et ego Licinius Augustus, prospero itinere Mediolanum perveniremus; et omnia quae ad utilitatem et commodum Reipublicae pertinebant, accurate disquireremus; ista inter cetera, quae plebi universae perutilia videbantur, maxime decernenda existimavimus, quibus reverentia et divinus cultus contineretur; hoc est ut tum Christianis, tum aliis omnibus liberam optionem omnino daremus eam religionem sequendi, quam ipsi in animos inducerent; quo, quaecumque sit divinitatis et caelestis numinis potentia, nobis, ac universis qui sub nostram ditionem vitam degunt, clemens et propitia esse posset.

Istam igitur nostram voluntatem ac sententiam recta ratione ac consilio decidimus, ut nemini prorsus libertas negetur, Christianorum observantiam, et cultum imitandi amplexandique et cuique detur copia suam mentem ei religioni addicendi, quam ipse sibi maxime convenire censuerit; quo divinum numen in omnibus, quae molimur, consuetam curam, studium, et bonitatem in nos ostendat. De qua quidem voluntate nostra consentaneum fuit ad te rescribere, ut tum controversae illae sententiae, quae prioribus litteris ad tuam pietatem missis de Christianis continebantur, penitus tollerentur, tum ea quae videbantur admodum severa, et a nostra mansuetudine et clementia aliena, omnino abrogarentur; atque adeo iam quisque eorum qui induxerint in animum christianam religionem observare, libere, minime fucate, et absque ulla molestia aut perturbatione cuiusquam hoc ipsum custodiat. Quae quidem tuae solertiae plenissime significare decrevimus, ut intelligas, nos liberam ac solutam Christianis facultatem concessisse, suam ipsorum religionem sedulo excolendi; quod quoniam tua pietas perspicit a nobis libere illis esse concessum, aliisque etiam potestatem factam, eum observantiae, et religionis modum, quem apud animum proposuerint, consectandi, et *nostrorum temporum tranquillitati et quieti revera accomodatum esse*, ut quisque facultatem habeat obligendi observandique eam in Deo colendo rationem quae sibi maxime placuerit; hocque a nobis factitatum esse ut nullius honoris, nullius religionis auctoritas a nobis ulla ex parte minui videatur; tuarum partium est providere, ut nemo impediatur, quominus suae professioni firme adhaerescat.

Istud etiam praeter cetera nominatim Christianis decernimus, ut loca eorum, in quae ipsis in more positum erat antea convenire (de quibus quidem rebus litteris superioribus ad tuam sanctimoniam datis alia formula eo tempore a nobis erat definita, et praescripta) si qui vel a Quaestore nostro, vel ab alio quopiam ea emisse videantur, Christianis absque argento, absque ulla repetitione pretii quod in illis emendis collocaverant, sine omni mora, et dubitatione restituant; et si qui ipsa loca pro munere

(1) Alludit ad Galerii edictum.

fuerint adepti ut ipsis Christianis quam celerrime reddant; ac si qui ea aut coemerint, aut dono receperint, aliquid a nostra bonitate postulent; Praefectumque qui regioni, in qua habitant, praeest, adeant, quo ipsorum etiam a nostra munificentia provisio, et cura suscipiatur. Quae quidem omnia Christianorum societati tuo studio, et industria extemplo, et sine ulla dilatione restituenda cures, oportebit. Ac quoniam ipsi Christiani non solum ea loca, in quae convenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur, quae non privatim ad singulos, sed ad ius totius ipsorum communitatis, idest Christianorum, spectabant; singulis, qui ea possident, mandes velim, ut omnia per legem, quam supra posuimus, absque ulla controversia Christianis, idest societati ipsorum, et conventui reddant; modo ratio ipsa ante demonstrata sedulo conservetur, nimirum ut illi, qui sine repetitione pretii (sicut antea diximus) ea restituant, suas res, et facultates absque damno a nostra beneficentia compensandas fore pro certo expectent. In quibus omnibus praedictae Christianorum communitati studium, et diligentiam pro virili tua parte, vel maximam adhibere debes, ut nostrum citissime conficiatur mandatum, quo ad hunc modum communi, et publicae tranquillitati a nostra benignitate recte prospiciatur. Nam hac ratione (sicuti dictum est) divinum erga nos studium, quod in multis iam rebus experti sumus, perpetuo nobis firmum ac stabile permanebit. Ut igitur huius nostrae sanctionis, et beneficentiae decisio ad omnium notitiam perferatur; has nostras litteras ubique praeponi, et in cuiusque cognitionem venire, consentaneum est; quo lex a nostra clementia sancita neminem omnino latere possit.(1)

In oculis res est: Constantinus scilicet vindicat omnibus amplissimam conscientiae libertatem, ut quisque Deum colat eo qui sibi placuerit modo, quod tranquillitati temporum accommodatum esse affirmat. Principium quidem generale est, sed Christianis praesertim applicatur, eorumque intuitu praecipue stabilitur: deinde Christianis bona ablata et ad fiscum devoluta reddenda sunt ex integro; damna autem eorum qui bona illa possident, de imperatoris beneficientia, aerario publico erunt resarcienda. Porro in hoc nihil est quod limites debitae et naturalis aequitatis transeat, nihil quod Constantinum amplexum esse Christianam fidem commonstret, sed tantum naturalis quaedam animi magnitudo et gratus animus imperatoris apparet ergo Christianorum Deum, cuius ope victoriam

(1) Eusebius, *Hist. eccl.* X, 5.

retulerat de hostibus. Etenim hoc debuit ipse secum considerare: si ita imperii prosperitati favebat Deus Christianorum, non erat cur ultra eius adoratores vexarentur, eorumque bonis quae ut cives romani aut exteri possedissent, privati amplius manerent. Talis et non alius Constantinus apparet cum Ecclesiae Christi favens, libertatem largitus est ei; et si alia extitisset religio, etiam Christianae contraria, eodem iure eademque libertate gavisa esset. Neque quod postea imperator vere Christianum se prodierit sententiam hanc hoc infirmat, nam qua via ad religionem Christianam protegendam adductus est, divina videlicet gratia et bonae voluntatis concursu, eadem paullatim potuit ad illam amplectendam pervenire, utpote quae sola eius nobilissimo ingenio congrueret atque sufficeret.(1) Ceterum Constantinus, postquam anno 326 edictum Berytense manaverat, quo damnatio *ad bestias* mutabatur in damnationem *ad metalla* (*Cod Teod.*, l. XV, tit. XII, l. 1), paucis tamen post annis alio edicto praefectis provincialibus Italiae praecipiebat ut annui ludi gladiatorii darentur (Henzen, *Inscr. lat. antiq.*, n. 5580). Neque est praetereundum ipsum non fuisse ante annum 337 nisi catechumenum; cum, teste Eusebio, hoc anno

(1) Ita ego sentio de Constantini edicto; equidem tamen non inficior potuisse Constantinum iam Christianum esse in edicto promulgando, atque idcirco evidenter Christianum non videri, quod illi cum collega ethnico negotium esset; neque, ut eius fuit prudentia, matura crederet tempora ad explicitius fidem profitendam eamque amplius propugnandam. Notabilia sunt haec docti Boissier verba: *On voit bien qu'en réalité il* (Constantin) *ne songe qu'aux chrétiens; ils sont les seuls qui soient expressément nommés, et même il est dit, en propres termes, que la tolérance qu'obtiennent les autres religions n'est qu'une conséquence de celle qu'on veut accorder au christianisme* (*L'Edit de Milan* in *Revue des Deux-Mondes*, 1er août 1887, p. 528; cf. P. Allard, *La persécution de Dioclétien*, vol. II, pp. 233 sqq.). Quibus verbis aliquis potest opponere, sectas paganas neque libertate conscientiae, neque bonis privatas fuisse, neque vexationibus affectas: sectas autem Christianas seu haereticas, non ita fuisse pollentes ut, ex redintegratione aut restitutione aliqua libertatis, catholicae Ecclesiae noxiae evasissent; ceterum potuisse postea etiam cohiberi per concilia et aliter, ut revera factum est. Nimirum Christianis conceditur quod solis Christianis concedi reapse poterat.

dumtaxat, paullo ante suam mortem, baptisma Nicomediae receperit. (1)

Constantinus Ecclesiam donationibus cumulavit, inter quas notanda est donatio Domus Lateranorum, Plautii Laterani scilicet domus, quam Nero ad fiscum vindicaverat; quaeque ex villa imperiali nunc mansio pontificum facta est, ibique papa Miltiades concilium coegit; deinde constructio basilicarum SS. Salvatoris, in ipso palatio Lateranensi, S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii aliarumque. Titulum *Pontificem Maximum* sibi imperator servavit, sed ab omni actu quod idolatricum ritum saperet abstinuit; cum autem rogaretur de templo in honorem sui eiusque familiae construendo, hoc petentibus dedit responsum: *Aedem Flaviae, hoc est nostrae gentis ut desideratis magnifico opere perfici volumus, ea tamen observatione praescripta, ne aedes nostro nomine dedicata cuiusquam contagiosae superstitionis fraudibus polluatur.* (2)

(1) Quaestio de Constantini baptismatis aetate videtur hodie definita cum fere omnes nostrae tempestatis critici conveniant veram Eusebii narrationem de baptismo Constantini ducendam. Cardinalis Baronius acerrime ea, quae in *Actis Liberii* de baptismate leguntur a S. Silvestro Constantino collato, defendit; et per plures columnas annalium diffunditur cum in Eusebio refutando, tum in demonstrando, ceteros auctores ab Eusebio hausisse quidquid de baptismo Constantini narraverint. Praecipuae eius rationes in hoc consistunt, quod interpolata dicenda essent S. Hieronymi verba ad Constantini baptisma pertinentia; eo quod Constantinus, secus, fuisset fortasse sacramento regenerationis donatus ab Eusebio episcopo Nicomediensi, viro neque moratus, et insuper Ariano; et quod Eusebius Caesareensis commenticiam Baptismatis narrationem excudisset utpote et ipse, sicut omonimus suus, Arianus. Ad primam rationem quod spectat, difficile est omnem dubitationem dirimere; etenim tanti est affirmatio quanti negatio interpolationis; interpolationem nempe esse negant critici nominatissimi nostrae aetatis. Ad secundam autem facile est responsum, nam ipse Constantinus, si Arianus dici nequivit, tamen non videtur prorsus alienus ab exilio S. Athanasii fuisse, aut saltem noluisse ut ille in patriam restitueretur dicendus est (Baron. *Ann.* an. 324, pp. 195 sqq. Cf. Allard, *Histoire des persécutions*; Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa*, lib. XXXII, 15).

(2) Orelli–Henzen, n. 5580.

De falsa Constantiniana donatione dicere non attinet. Nunc vero aliquantulum inscriptiones arcus cui a Constantino nomen



Tab. 6. Arcus triumphalis Constantini.

est breviter pro instituto consideramus; naturalis enim hoc videtur dictarum rerum continuatio.

Intra fornicem a dextris:

LIBERATORI · VRBIS

Intra fornicem a sinistris:

FVNDATORI · QVIETIS

Ad latus Amphitheatrum spectans:

VOTIS · DECEM · SIC · DECEM

Ad oppositum:

VOTIS · XX · SIC · XX

« Solebant », ait Baronius (*Ann.* an. 312, p. 70), « non tantum nuncupari vota ad quinquennium, vel decennium, sed eadem multiplicari augerique annorum numero ».

Iam vero maxima inscriptio frontis, quae repetita est parte opposita, expressionem continet quae non paucis disputationibus locum dedit. Fuerunt scilicet qui illa verba INSTINCTV · DIVINITATIS veluti correctionem esse aliorum verborum inscriptionis fidem ethnicam confitentium: « Ego puto », scribit Cardinalis Mai, « inscriptionem excusam fuisse ab ethnico romano homine, quia Roma nondum christiana erat, Constantinum autem religione sua quam iam omnino fovebat, commotum, epigraphem statim emendari iussisse ».[1]

Verum iam pridem clarissimi Venuti et Nibby[2] hoc declaraverant. Posterior insuper etiam verba abrasa suggesserat: DIIS · FAVENTIBVS. Venuti autem verba deleta ita supplevit: NVTV · IOVIS · OPTIMI · MAXIMI. Praeterea uterque se conspexisse vestigia abrasorum verborum affirmabat, aut renovatae tabulae partis. Hoc videri posse negarunt Henzen et Cavedonius,[3] unde I. B. De Rossi ad novum devenit lapidis examen, quod ad Baronii sententiam eum adduxit: « At qui hunc (arcum) », ait Card. Baronius, « extruendum curavit, Senatui, quod

(1) *Script. Vet.*, t. V, p. 467.

(2) VENUTI, *Roma antica*, t. I, p. 12; NARDINI, *Roma antica*, ed. 1818, t. III, p. 447; NIBBY, *Roma nell'anno MDCCCXXXVIII*, parte I, antica, p. 447.

(3) HENZEN, *Supp. ad Orellium*, t. III, p. 113; CAVEDONI, *Disquisizioni critiche numismatiche sopra il panegirico poetico di Costantino presentatogli da Poblilio Optaziano Porfirio* (excerptum e tomo III operis cui titulus: *Opuscoli religiosi* etc.), p. 24.

adhuc gentilis erat, se eo opere Christianum prorsus profiteri non licuit, ob idque nec vexillum Crucis erigere; sed quod aeque scirent Constantinum adversari deorum cultui, palamque profiteri veri Dei auxilio se tot tyranni exercitus superasse, ipsumque tyrannum denique extinxisse; idcirco ipso inscriptionis exordio ex animi ipsius sententia illa posuerunt verba: QVOD · INSTINCTV · DIVINITATIS. Rem igitur ita moderati sunt, ut eo officio sic esset imperatoris pietati prospectum, et tamen Senatus, quod non erat, se Christianum noluerit profiteri ».(1)



Tab. 7. Inscriptio arcus Constantiniani.

Ceterum, ut perpicue I. B. De Rossi demonstrat, hae formulae: *Divinitas*, et *Deus Supremus atque altissimus*, non sunt ethnicis incognitae, immo familiares iam evaserant a priscis Christianismi propagationis temporibus (2) et quocumque penetraverant. Ignoratur vero quandonam Christianis vel ethnicis istae tribuendae sint: *Deus*, ὁ Θεός, *Deus magnus aeternus*, Θεὸς ὕψιστος, *Deus summus, Deus unus et solus.*

« Itaque », ait I. B. De Rossi, « per saecula persecutionis, Dei summi, et etiam Dei unici notio magis in dies obtinuerat apud paganos clarueratque. Christiani autem *Cultores Dei* no-

(1) Baronius, *Ann.* an. 312, p. 70.
(2) *Bull. di arch. crist.* an. I, pp. 49–57.

minari gloriabantur, eorumque fides erat in Deum credere: IN·VNVM·DEV·CREDIDIT legitur in fine cuiusdam Christiani tituli; et egomet in antiquissimo *graffito* coemeterii S. Callisti legi: *Mensurius in deu credidit*».[1]

Sed ad edictum paulisper revertamur, quod ubique, praesertim in Oriente, non potuit statim applicari, Maximini caussa. Huic, teste Eusebio,[2] litterae ab imperatoribus missae sunt, quibus vehementer affectus est dolore; et nolens edictum evulgare, aliud confecit ita simulate ac callide, ut Christiani sub eius imperio ei referre deberent acceptum quod respirare possent. Hoc insignis simulationis documentum non referam; unum adiungam, ipsum minime tranquillitati fuisse Christianis: «Ut primum», ait Eusebius,[3] «ista Maximinus necessitate coactus, non sua ductus voluntate iusserat, deinceps propter veteratoriam et falso ementitam sententiam, quam antea post parem nobis concessam libertatem ostendisset, apud nonnullos nec verus, nec fide dignus habitus est. Idcirco nemo nostrum aut conventus cogere, aut se in aperto, et omnium oculis collocare audebat. Nam in eius litteris de hac re nulla facta est mentio; sed illud solum in ipsis mandabatur, ne quisquam nobis quicquam facesseret negotii; conventus autem agere, templa aedificare, aut aliud quippiam eorum, quae nobis in more posita sunt, transigere, eius litterae neutiquam permiserunt. Et quamquam pacis et pietatis auctores Constantinus, et Licinius ad eum litteras dederant, ut nobis haec omnino peragendi liberam faceret potestatem, et omnibus suis subiectis per leges, et decreta idem concesserant; tamen scelestissimus ille, si non divina ultione eo detrusus fuisset, et ad extremum invito animo ad idem largiendum compulsus, nunquam ei assentiri in animum induxisset».

At Maximinus, qui primatum sibi vindicare voluit, amici-

(3) Ibid. Id melius clarescet ex verbis Eusebii de signi Christi visione mox citandis cum de labaro, seu signo Christi in visione Constantino ostenso, erit sermo.

(4) *Hist. Eccl.* lib. 9, c. 8.

(5) Ibid.

tiae foederi, quod pactus fuerat cum Licinio, non stetit, atque in hunc bellum excitavit. Magnam autem de eo Licinius retulit victoriam, unde tyrannus, exercitu profligato, a suis quoque familiaribus desertus, vitae propriae fuga prospexit. Paullo post, lethali angore excruciatus, novam pro Christianis edidit legem, quae, si ipsa verba Constantini et Licinii edicti non repetebat, eamdem tamen libertatem plenissime concedebat; unde posthac in omnibus imperii regionibus pax et tranquillitas effloruit; neque deinde perturbata amplius fuit, nisi brevi tempore decem post annos ab illo ipso Licinio qui eam cum Constantino concesserat, et denique, dimidio saeculo elapso, a Iuliano Apostata per duos annos, Maximini exempla atque modum secuto.

Art. II. — Labarum.

De labaro Constantini nihil melius duco quam Eusebii verba citare, quippe testis synchroni atque sub omni respectu fide digni :

« Constantinus post debellatos barbaros (barbari, ut moris erat, a Romanis vocabantur omnes qui Romani non erant), in universum totius mundi ambitum, tamquam in corpus quoddam immensum aciem mentis intendens, et civitatem illam quae quasi caput mundi est, totiusque Romani Imperii moderatrix tyrannis in servitutem datam perspiciens, primum eius in libertatem vindicandae potestatem illius, qui reliquas imperii partes procurabat, utpote eum honoris gradum ante ipsum adeptis, permisit. Verum ubi nullus eorum illi malo remedium potuit afferre; sed qui periculum facere in animum inducebant, turpem habuere exitum; ipse nec vitam sibi vitalem fore dixit, si civitatem omnium dominam, et reginam ita aegre affectam et afflictam esse pateretur; et propterea ea parare sedulo studebat, quae videbantur ad delendam tyrannidem (idest, ad Maxentii potentiam destruendam) spectare.

« At cum accurate ratione animoque lustrando comperisset, propter maleficas et magorum fallaces praestigias a tyranno studiose conquisitas multo firmiore praesidio sibi opus esse, quam quod res militaris suppeditare soleret; Deum quaesivit

adiutorem; ratus auxiliis, quae ex armis, et militum manu petuntur, vix secundas tribuendas, at quae sunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec ulla frangi violentia posse.(1) Mente igitur diligenter complexus est, quisnam Deus sibi esset in subsidium adsciscendus. Ac quaerenti illi talis subiit cogitatio eorum qui antea rempublicam attigissent, plerumque omnes suam spem in deos complures coniecisse, eosque victimis et monumentis coluisse, ac primum divinationum invitamentis, deinde oraculis, quae fausta feliciaque auspicia ipsis denunciabant, in fraudem inductos nonfelicem reperisse exitum, sed plane calamitosum, neque quemdam deorum, vel benigne illis opem tulisse, vel prohibuisse quo minus nefanda internecione caelitus invecta opprimerentur. Solum eius patrem ad contrariam viam, et eorum institutis longe dissimilem divertisse, eorum condemnasse errorem, ipsum solum Deum omnium rerum administratorem toto vitae spatio observantia veneratum esse, eumque conservatorem et custodem regni, omnisque boni largitorem comperisse. Ista, inquam, omnia cum mente tamquam in unum collegisset, in diis qui non sunt colendi tantam inanitatem consectari, postque periculum factum caeco errore duci, summae putavit esse dementiae; Deumque quem pater sancte adoravisset, solum observandum colendumque statuit. Quocirca huius opem precibus imploravit, hunc oravit, hunc obtestatus est, ut tum quisnam esset illi vellet significare, tum rebus quas apud animum proposuisset, dexteram velut adiutricem porrigere. Imperatori igitur ista precanti, visio quaedam divina et imprimis admirabilis apparuit; quam si quis forte alius dixisset, non tam facile hominibus posset persuaderi. Verum cum Imperator ipse victor nobis ipsis, qui hanc historiam iam literis prose-

(1) Simplex erga Deum pietas plenaque fiducia: en primus gratiae motus in animo imperatoris. Quae autem sequuntur ex Eusebii textu maiorem lucem sententiae paullo ante expositae afferunt. Notandum insuper, neminem Eusebio melius animum Constantini cognovisse, eiusque igitur testimonium longe maximi quam historicorum posteriorum faciendum, nedum hodiernorum auctorum coniecturae Eusebii sententiae sint praeferendae.

quimur, longo tempore post; cum notitia eramus, et familiari colloquio ab eo dignati, narraret, et sermonem iureiurando confirmaret; cui dubium esse poterit; quin sit rei ita commemoratae fides omnino adhibenda; praesertim cum tempus postea consecutum, ratum orationi testimonium dederit.

« Cum iam sol ad medium caelum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, se Crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso caelo soli imminens, manifesto oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quae haec verba complectebatur: ΕΝ ΤΟΥΤΩΙ ΝΙΚΑ: IN HOC VINCE. Admiratio ingens ipsum et totum exercitum qui eum quopiam iter facientem comitabatur atque adeo huius prodigii spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum intra se distrahi, quidnam ostensum illud sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multumque de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in caelo monstrato visum esse, praecepisseque ut exemplari, ad imitationem illius signi, quod in caelo apparuerat, fabricato, eo tamquam praesidio in proeliis cum hostibus committendis uteretur.....(1)

« Ille simul, atque dies illuxit, surgens, primum arcanum illud visum amicis exponit; deinde artificibus, qui aurum, et lapides pretiosos affabre sculpere norant, accersitis, medio inter illos loco assidens, verbis signi describit effigiem, cum auro et lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat; quam quidem effigiem contigit, ut nos olim oculis contemplaremur; ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est. Erat autem tali figura fabricata: *Hastile oblongum erectumque auro undique obductum fuit, quod cornu habuit transversum ad formam crucis constructum, supra in fastigio eius operis corona affixa lapidibus pretiosis, et auro polite circumtexta. In ea salutaris Salvatoris appellationis nota inscripta, duobus solum expressa elementis, idest, duabus primis litteris graecis nominis Christi; erat* P *in medio litterae* X *curiose et subtiliter inserta, quae totum Christi nomen perspicue significarunt.*

(1) Eusebius, *De vita Constantini*, lib. I, cc. xx, xxi, xxiii, xxiv.

« *Ad cornu illius particulae, quae ex transverso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhaesit, regalis videlicet et magnifica textura mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiose coniunctorum, lucisque suae claritate pulchre resplendescentium depicta, et multo auro intexta, quae dici non potest quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitavit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudinisque crucis mensuram penitus exaequavit. Oblongum vero et erectum hastile, in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum crucis insigne ad texturae discurrentis fimbrias, auream pii Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinne descriptam continuit.* Isto igitur salutari signo Imperator, tamquam hostilis cuiusque et infestae violentiae propugnaculo, semper usus est, cuius expressae similitudines mandavit, ut universum exercitum perpetuo antecederent ».(1)



Tab. 8. Lampas cum Labari figura.
(Ex Mamachi, *Ant. Christ.*).

Labarum, ut ab Eusebio describitur, filiorum Constantini imagines ferebat.

Verum, anno 312 quo visio evenit, nondum Constantino

(1) Eusebius, *Vita Const.* lib. I, cc. xxiv, xxv, xxvi.

ex Fausta filii erant, sed tantum Crispus ex prima uxore Minervina.[1] Eusebius igitur posterius labarum descripsit, cuius nulla ad nos pervenit repraesentatio. Labarum conspicitur in numismatibus tum ante, tum post mortem Constantini, in lampadibus, in anaglyptis arcus Constantiniani, in sarcophagis musei Lateranensis,[2] generatimque monogramma prae se fert decussi X atque P constitutum; in numismatibus vero postconstantinianis crux recta apparet. Ex quo colligitur et in labaro, non secus atque in ceteris monumentis crucem decussatam in rectam versam fuisse secunda quarti saeculi parte. Denique quaedam ad Labarum allusio inventa est in S. Agnetis coemeterio, corona scilicet marmorea signum Christi comprehendens, cum hac inscriptione: IN · HOC · SIGNO · SIRICI (vivas).

ART. III. — **De numero martyrum.**

Valde disputata est quaestio de numero martyrum, priscis Ecclesiae saeculis occisorum. Fuerunt scilicet qui piis exaggerationibus assentientes, hunc praeter modum numerum ampliarunt; alii, ex adverso, ut Harnack,[3] Kellner,[4] Dodwell,[5] Aubé[6] illum irrationabiliter comminuere. Isti autem in duas partes distrahuntur, nam aut ex historica ratione numeri tenuitatem eruunt, aut (quod peius) ex libris liturgicis, praesertim ex Martyrologiis. Hae rationes aliqualem videntur habere verisimilitudinem, placet ergo aliquantulum quaestioni immorari.

(1) Haec quidem animadversio a KEIM facta est: *Der Uebertritt Constantin's des Grossen zum Christenthum*, Zürich, 1862.

(2) COHEN, nn. 104, 251, 257. Cf. BARONIUS, *Ann.* a. 312; CAVEDONI, *Ricerche critiche intorno alle medaglie di Costantino*; GARRUCCI, *Le medaglie e monete di Costantino*; A. MONACI in *Nuovo Bull. di arch. crist.* a. 1907, pp. 155 sqq.

(3) *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums*, pp. 345 sqq.

(4) *L'anno ecclesiastico e le feste dei santi nel loro svolgimento storico* (ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΑ), pp. 318-319.

(5) *De paucitate martyrum.*

(6) *Les Chrétiens dans l'Empire romain de la fin des Antonins au milieu du IIIe siècle.*

Et primum quidem, ut notat Paulus Allard, laterculi sanctorum ab Ecclesiis redacti adeo non omnes martyres notatos habent, ut vel locales nonnullos martyres saepe praetermittant. Etenim celebriores tantum commemorabantur, et insuper ex istis non pauci sunt, quorum nomina una cum laterculis ipsis conciderunt. Ut exemplum porrigam, neque *Martyrologium Hieronymianum*,(1) neque *Depositio Episcoporum* (2) a Furio Philocalo transcripta, nomen pontificis Telesphori continent; et tamen eius martyrium S. Irenaeus testatur.(3) Item, in Hieronymiano, nomina S. Iustini et sociorum, quorum acta authentica extant, et patriciorum illorum qui in Domitiani persecutione occubuerunt, de quibus monumenta eloquentissime loquuntur: *Clemens Flavius* consul, *Domitilla*,(4) *Acilius Glabrio*,(5)

(1) De Rossi-Duchesne, *Martyrologium Hieronymianum* in III tomo Boll. *Acta Sanctor.* novem. Cf. Duchesne, *Les sources du martyrologium hieronymianum*, et I. B. De Rossi, *Bullett. di arch. cristiana*, 1888–1889, pp. 32–39.

(2) Apud Ruinart, *Kalend. rom.: Depositio episcoporum, Depositio martyrum*, pp. 692-693. Cf. De Rossi, *Roma sott.* t. II, p. iv.

(3) *Adv. Haeres.* II, 31. Cf. Eusebius, *Hist. Eccl.* V, 6.

(4) Flavius Clemens, filius Flavii Sabini, fratris imperatoris Domitiani, anno 95, quo erat consul, capite plexus est. Duxerat uxorem Flaviam Domitillam, neptem imperatoris Vespasiani, ideoque filiam fratris imperatoris Domitiani quae in insula Pandataria relegata est. Fuit etiam alia Flavia Domitilla virgo, eiusdem familiae, in insulam Pontiam deportata (cf. *Bull. di arch. crist.* a. 1865, pp. 17–24, 33–47; Dion Cassius, LXVII, 13): « Si la persécution », ait P. Allard, « n'avait éclaté à ce moment, peut-être les destinés de l'Eglise eussent-elles été changées: car Domitien avait adopté, pour en faire ses héritiers et ses successeurs, les deux fils de Clemens et de Domitilla (Quintilien, *Inst. orat.* IV, proem.). Chrétiens comme eux, ils auraient fait monter le christianisme sur le trône impérial deux cents ans avant Constantin! Mais ces jeunes gens, à peine entrevus, disparaissent presque aussitôt de l'histoire, sans qu'on sache s'ils furent enveloppés dans la condamnation de leurs parents, ou s'ils tombèrent dans l'obscurité après la révolution qui fit périr Domitien et mit fin à la dynastie flavienne » (*Les conditions sociales des martyrs* ap. *Dix leçons sur le martyre*, pp. 170–171).

(5) Hic Acilius Glabrio, anno 91 consulari dignitate functus, inter eos adnumerandus est viros saeculi primi, qui extremam prorsus solve-

et alter consul ignotus, nomine *Liberalis*,[1] omnino desiderantur. Quod si viri clarissimi et consulares, si ipsius imperatoris cognati, ut priores illi duo citati, potuerunt omitti aut negligi in commemoratione liturgica, quid de obscuris martyribus dicendum, et de illis, certo innumerabilibus, qui, cum essent servi, non semper in ius rapiebantur, sed, minime de eis instituta quaestione, domini auctoritate atque arbitrio puniebantur? Scio probe quid possit mihi obiici, nempe Hadrianum « Servos a dominis occidi vetuisse, eosque iussisse damnari, si digni essent » (Spart., *Hadrianus*, 18). Verum tamen non deerat dominis modus puniendi servos iisque mortem irrogandi, verberibus praesertim et igni. Ignis supplicium a Constantino solummodo abrogatum est; quid autem de ergastulis omnisque generis squaloribus ac poenis quibus non raro afficiebantur servi? Ceterum semper integrum dominis videtur fuisse servum strangulare:[2] *si servum (dominus) suspendi laqueo praeceperit* (Cod. Theod. IX, 21, 1).

De martyribus persecutionis Septimii Severi in Africa parum scimus, si duo documenta excipiamus, nempe: *Passionem SS. Perpetuae et Felicitatis*, atque *Acta martyrum Scillitanorum*. At si Tertulliano aliunde fidimus, numerosos martyres tunc temporis fuisse existimare debemus. Scripsit enim hic auctor *Exhortationem ad Martyres*, in qua alloquitur Christianos in carceribus

runt poenam quia ut *molitores rerum novarum* habiti, prout Christiani a Suetonio vocantur (SUET. *Domit.* 10). Huius gentis seu familiae sepultura inventa est a I. B. De Rossi in eo quod Priscillae Coemeterium vocatur, quodque, iuxta recentissimas indagines ac studia, verum videtur esse Coemeterium Ostrianum. Cf. MARUCCHI in *Nuovo Bull. di arch. crist.* a. 1901, pp. 71-111, 277-290; a. 1903, pp. 169-273; a. 1904, pp. 205-220; a. 1906, pp. 5-65; a. 1907, pp. 115-145, 169-189.

(1) I. B. DE ROSSI, *Inscript. christ. urbis Romae*, t. II, p. 202.

(2) Hoc argumento nemo, quod sciam, usus est unquam, neque ego eo abuti volo; id vero affirmo dumtaxat, fuisse multos christianos propter fidem privatim occisos. Ceterum non Romae tantum martyres illustres in antiquis Martyrologiis non recensentur, sed ubique, praesertim in Oriente et in Africa. Cf. DUCHESNE, *Les sources du martyrologe hieronymien*, pp. 36 et 37.

detentos, vocans eos *martyres designatos*, quod essent morti subiiciendi. Scripsit libros duos *ad Nationes* refutans ethnicos iudices utique ius gladii in Christianos exercentes. Scripsit et *Apologeticum* ubi haec inter alia multa leguntur: « Crucibus et stipitibus imponitis Christianos. Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa? In patibulo primum corpus deis vestris dedicatur. Ungulis deraditis latera Christianorum. At in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciae, et runcinae, et scobinae. Cervices ponimus. Ante plumbum, et glutinum et gomphos sine capite sunt dii vestri. Ad bestias impellimur. Certe quas Libero, et Cybele, et Caelesti applicatis. Ignibus urimur. Hoc et illi a prima quidem massa. In metalla damnamur. Inde censentur dii vestri. In insulas relegamur. Solet et in insula aliquis deus vester, aut nasci aut mori ».[1]

Neque hic tantum, sed et in libro *ad Scapulam*,[2] in *Scorpiace*,[3] in libro *De fuga in persecutione*[4] et in aliis loquitur Tertullianus veluti numerosi martyres ac crudelissima in eos adhibita supplicia sibi oculis quotidie offerrentur. Cui consonat *Passio S. Perpetuae*, nam et plures nominat martyres, qui post carceris squalores sunt cremati; et alibi indicat: *multos fratres martyres*[5] quos frustra in Martyrologiis quaeres.

Sunt autem qui notarunt tum *Apologeticum*, tum duos *Ad Nationes* libros, exaratos fuisse ante edictum anni 203, pro-

(1) *Apol.* XII.

(2) Cc. III et IV.

(3) *Et nunc praesentia rerum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis; ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiae Christianos probaverunt. Alii fustibus interim, et ungulis insuper degustata martyria in carcere esuriunt* (SCORPIACE, c. I).

(4) Cc. I, XI, XII, XIII.

(5) *Et coepimus illic multos fratres cognoscere, sed et martyres* (*Passio S. Perpetuae*, apud RUINART, p. 92). Haec omnia certo non potuerunt mentem Harnackii fugere, et tamen egregius hic auctor ausus est dicere, ab anno 180 ad Tertulliani usque mortem (an. 220) in Africa, Numidia ac Mauritania simul, non amplius quam bis duodenos martyres fuisse (*Die Mission and Ausbreitung des Christenthums*, p. 345).

pterea quod in his libris Tertullianus, nedum clare alludat ad vindictas a Septimio Severo sumptas post ultimum ex eius competitoribus profligatum (an. 197), contra semper impugnet atque refutet iudiciorum formam prout eadem a tempore Traiani vigeret eiusque adhibendae modum, nec verbum faciat de novo edicto quo mutatio gravissima iuri invecta est. Proinde, etiam nullo emanato edicto, dumque poterat de Septimio Severo dici : *Sed et clarissimas foeminas et clarissimos viros Severus sciens huius sextae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit,*[1] nihilominus quilibet gubernator provinciae iure gladii quo ex lege pollebat, quodque numquam a Traiano, imo a Nerone vigere cessaverat, pro arbitrio utebatur, et quidem in Africa, ut ex citatis apparet, crudeliter.

Atqui haec, quae de tempore Septimii Severi dicta sunt, pro omni tempore sufficienter dici possunt. Unde intelligenti satis lectori apparet martyrum numerum, si idem examen tum ad anteriores, tum potissimum ad posteriores persecutiones extenderetur, non quidem 15,000,000 et amplius, ut exaggerando ab aliquibus dictitatum est, sed aliquot saltem *millies millia* comprehensurum fore.[2]

Art. IV. — De effectibus praecipuis pacis Constantinianae in iure poenali Romano : Furca – Crux – Servitus.

Constantinus sustulit *cruenta spectacula* gladiatorum[3] atque crucis supplicium. « Verum », ait Baronius, « sciendum est, haud

(1) Tertullianus, *Ad Scapulam*. Cf. P. Allard, *Histoire des persécutions* (*Septime Sévère, Maximin, Dèce*), p. 16 et sqq.

(2) Qui grandiores cupit de hoc notitias colligere, consulat auctores, praesertim P. Allard, *Dix leçons sur le martyre*, qui ex professo et egregie argumentum tractat, p. 134 et sqq.

(3) En ipsa legis verba : « Cruenta spectacula in otio civili et domestica quiete non placent. Quapropter qui omnino gladiatores esse prohibemus, eos qui forte delictorum causa hanc conditionem atque sententiam mereri consueverant, metallo magis facies inservire ; ut sine sanguine suorum scelerum poenas agnoscant. PP. Berythi, Kal. Oct. Paulino et Iuliano

statim post debellatum Maxentium a Constantino (quod putant aliqui) sublatum fuisse crucis supplicium; immo in servos accusantes dominos irrogatum esse, ex praescripto eiusdem Constantini ad Maximum constat, dato anno nono eius imperii, Volusiano et Aniano consulibus » (scil. anno 321 circiter).[1] Hoc, quod plures, etiam ex recentioribus auctoribus, impugnarunt, Pius Franchi de' Cavalieri, documentorum copia et critico acumine, certissimum demonstrat in *Nuovo Bullettino di archeologia cristiana*[2] quod alioquin iam Lipsius[3] et Mommsen[4] publice probatum habebant. Praestat hic referre quaedam verba Iulii Firmici Materni senatoris in sua *Mathesi*, quam inter 334 et 337 annum composuit.[5] Praedicit enim iterate, eos qui sub quaedam nascantur astra in cruce morituros esse: *In crucem crudeliter erigitur – in crucem tolluntur – in crucem tollentur – in crucem faciet iussu imperatoris attolli.*[6] Quod autem in locum crucis subrogata fuerit furca, quo in supplicio rei multo citius ob strangulationem moriebantur, illud est quod incredibili poene eruditione idem Cavalieri tractavit in citato opere; atque ultimo demonstravit, non statim ac fuisset crux abolita, furcam in usum venisse, cum sophista Libanius (qui fuit S. J. Chrysostomi magister) inter *poenas solemnes* quibus rebelles nonnulli

consulibus » (*Cod. Theod.* l. I, *de Gladiat.*,). Eiusmodi ludi tamen minime antiquari potuerunt, licet aliam prohibentem legem etiam Constantius tulerit, omnesque plane norunt quando revera fuerint aboliti. Valentinianus tamen anno 365 legem tulit quo Christiani gladiatores fieri vetabantur (*Cod. Theod.* 9, 40, 9. Cf. FRIEDLÄNDER, *Sittengeschichte Roms*, II, p. 421).

(1) Volusianus et Amianus consules anno 314 fuerunt, dum Maximus praefectus Urbi fuit a 1° die septembris 319 ad 12 item septembris 323. Haud dubium, mendosam consulum notam esse.

(2) A. 1907. *Della furca e della sua sostituzione alla croce nel diritto penale romano*, p. 63–113.

(3) *De cruce*, III, 14 (Opera [Lugduni, 1613], I, p. 790). Cf. GRETSER, *De sancta cruce*, I, 17 (Opera [Ratisbonae, 1734], I, p. 125).

(4) *Römisches Strafrecht*, p. 921.

(5) MOMMSEN, *Hermes*, 29 (1894), p. 468 et seq. Cf. O. BARDENHEWER, *Patrologia*, versio italica A. Mercati, II, p. 211–212.

(6) *Mathesis*, VI, 31; VIII, 6, 22, 25.

Antiocheni affecti fuerant, anno 387, furcam non recenseat;[1] neque de ea faciat verbum S. J. Chrysostomus, qui, in suo opere *Quod Christus sit Deus*, crucem cum omnibus suppliciorum generibus comparavit.[2] Praeterea furca primum in *Digesto* nominatur, in quo nomini crucis succedit; legitur enim: *In furcam tolluntur*, legitur, ubi Paulus scripserat: *In crucem tolluntur*. Successit scilicet nomen nomini, postquam a longo iam tempore furca, ut videtur, revera crucem submoverat.[3]

Constantinus, inter alia non pauca instituta, praesertim ad cultum christianum fovendum dilatandumque pertinentia, etiam servorum genus ab infamia et diuturno opprobrio erigere et vindicare cogitavit: « Antiquis Romanis », ait Spon, « mos erat servos a fuga recuperatos stigmate notare, hoc est literis aut notis quibusdam frontem inurere. Cum vero Constantinus id vetuisset, quod dedeceret faciem, quae ad similitudinem coelestis pulchritudinis est figurata, maculari, contumeliam frontis ad collaria, quae fugitivis aptabantur, transtulerunt; in quibus inscriptum domini nomen aut saltem in laminis iis appensis legebatur ».[4] Ita coniiciendo egregius auctor post Pignorium[5] concluserat, licet Constantini lex de servis poena afficiendis, deque praecipue ad metalla damnatis loquatur, non autem de fugitivis.[6] Etenim bene potuit beneficium legis ad servos fugitivos extendi, quibus in fronte signum crucis inurebatur, ad quam destinati erant si denuo fugerent. Id insuper monumenta eloquentissime demonstrant, nam quaedam bullae metallicae inventae sunt quae pendere ex collariis debebant, et quae eiusmodi inscriptiones prae se ferebant: *Tene me, quia fugi et*

(1) *Orat.* XIX, 37, edit. Förster, II, 402.

(2) *Contra Iudaeos et gent. quod Christus sit Deus*, 10.

(3) *Digest.* XLVIII, 19, 38, 2. — « Che questa sostituzione sistematica risalga soltanto ai tempi di Giustiniano e sia della mano di chi curò l'edizione del Digesto (a. 533), non pare negabile » (Pius Franchi de' Cavalieri, op. cit. p. 78).

(4) Spon, *Misc. erud. antiq.* p. 300. Cf. De Rossi ap. *Bull. d'arch. crist.* a. 1874, pp. 59-60.

(5) Pignorius, *De servis*, p. 21 et sqq.

(6) *Cod. Theod.* IX, 40, 20; *Cod. Iust.* IX, 47, 17.

revoca me in Celimontio ad domum Elpidii viri clarissimi, Bonoso. — Tene me et revoca me in foro Martis ad Maximianum antiquarium. (1) Quin et collaria ferrea cum eiusmodi inscriptionibus inventa sunt.

Miretur aliquis quod in his bullis monogramma Christi conspiciatur, sed immerito. Huiusmodi collaria cum bullis et fugitivi indicationibus locum obtinuerunt notae fronti fugitivi inurendae, proindeque talis erat poenae temperatio, ut magna pro illis temporibus evaderet, humanitatisque plena. Iam religio



Tab. 9. Bullae servorum fugitivorum.

Christiana excluserat nomen *servus* ab epitaphiis, servique saepissime aut libertate donabantur, aut pro filiis vel fratribus a dominis Christianis habebantur: « Apud nos », ait Lactantius, « inter servos et dominos interest nihil, nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares esse nos credimus ». (2) Immo saepe ab aliquo eventu aut funere occasio arripiebatur quemdam servorum numerum manumittendi, idque actus religiosae pietatis putabatur, ut patet ex quadam inscriptione a Boldetti publicata. (3) Verum, servum se fuga obedientiae domini subtrahere etiam apud Christianos

(1) De Rossi, *Bull. d'arch. crist.* a. 1874, p. 40.
(2) *Divin. Inst.* V, 14, 15.
(3) *Osservazioni sui cimiteri*, p. 386.

crimen aestimabatur, et quamvis potuerint Christiani domini fugitivis parcere, nihilominus non posse amplius neque ipsos, neque ethnicos dominos servis fugitivis igne notam imprimere magnum id certo fuit atque extraordinarium beneficium.

Bullas praefatas in usum venisse tempore Constantini certissimum est, utpote vel ad Constantini aetatem vel ad posteriora tempora pertinentes. In usu autem videntur mansisse usque ad Arcadium et Honorium imperatores, nam post illos non amplius inveniuntur. Christiana enim religio et collaria aboleverat, et ad ipsam servitutem tollendam gradatim procedebat.

Crux etiam ad metalla damnatis inurebatur, quod eo respiciebat, ne se damnatos esse abscondere possent. Tam de damnatione in metallum quam de supplicio crucis infra erit singillatim loquendum.

Art. V. — De martyrum suppliciis.

De suppliciis quibus affecti sunt martyres plures iam auctores diffuse tractarunt, plerique tamen Gallonium secuti sunt qui opellam *De cruciatibus martyrum* conscripsit,[1] maximi olim habitam, hodie vero non immerito a criticis reiectam. Quidquid enim in passionibus ad rem conferre hic auctor invenerat, id appositis figuris illustravit; has autem figuras arte accuratiori reproduxit Mamachius.[2]

Historicum agens, non nisi quod documenta et monumenta authentica exhibent exponam, quo nullum vel minimum permaneat dubium de expositorum veritate, etiamsi incredibilia possint aliquando videri.

1. Relegatio. — Minima poena relegatio fuit, cui non pauci Christiani obnoxii fuerunt iique nobilissimi, a primo ad quartum usque saeculum. Poena haec non secum de iure bonorum proscriptionem ferebat, saltem ante persecutionem Decii; nam huius imperatoris tempore scimus relegatos *extorres, ex*

(1) *De Ss. Maryrum cruciatibus*, MDXCIV, Romae.
(2) *Origines et antiquitates Christianae*, t. III.

patria pulsos, et bonis omnibus spoliatos fuisse, [1] et in secundo Valeriani edicto (an. 258) hoc exstitisse inter alia praeceptum: *matronae ademptis bonis in exilium relegentur.* [2] Inter Christianos hac poena plures mulctati fuerunt, scilicet: S. Ioannes Evangelista [3] in insula Patmos relegatus; duae Domitillae, in insulis Pandataria et Pontia sub Domitiano; [4] papa Cornelius, ad Centumcellas, ubi illum mortuum esse Catalogus Liberianus affirmat, et eius successor Lucius I, sub Gallo et Volusiano; [5] S. Cyprianus, relegatus in territorio Curubitano, [6] et Dionysius Alexandrinus, relegatus primum Kephro, deinde apud lacum Mareotim sub Valeriano; [7] Papa Eusebius, sub Maxentio, in Sicilia relegatus, ubi mortuus est, iuxta Damasianum illud:

> Pertulit exilium Domino sub iudice laetus;
> Litore trinacrio mundum vitamque reliquit. [8]

Poena haec fuit causa ut in desertis ac remotissimis orbis regionibus saepe Evangelium Christi propagaretur, sicut de Dionysio Alexandrino legimus, quem primum Christum in Lybia praedicasse testatur Eusebius. [9] Haec poena, denique, aliquam personarum acceptionem in iure supponit, ut patet ex his verbis in sepulcrorum violatores sancitis: *Qui sepulcrum violaverint, aut de sepulcro aliquid detulerint,* PRO PERSONARUM QUALITATE, *aut in metallum dantur, aut in insulam deportantur*; [10] quo in textu *deportatio* pro exilio seu relegatione videtur accipienda.

Praeter insulas nominatas ut loca relegationis personarum illustrium, famosa fuit illa Aegypti regio quam Oasim voca-

(1) CYPRIANUS, *Ep.* 16, *Ep.* 18.
(2) CYPRIANUS, *Ep.* 80.
(3) S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.* V, 30, 3.
(4) DION CASSIUS, LXVII, 13; EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* III, 18.
(5) Cf. DUCHESNE, *Le Liber Pontificalis*, t. I, p. 5.
(6) *Acta S. Cypriani*, 1, 2.
(7) EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* VII, 11, 10.
(8) MAXIMILIANUS IHM. *Dam. Epig.* p. 25, n. 18, vv. 8, 9, MDCCCLXXXXV.
(9) EUSEB. *Hist. Eccl.* VII, 11, 12, 13.
(10) IUL. PAUL. *Sentent.* II, c. 13.

runt: *Est quoddam genus, quasi in insulam, relegationis in provincia Aegypto, in Oasim relegare*;[1] ac notus est antiquitatis cultoribus papyrus ille Musaei Britannici, in quo quidam presbyter Psenosiris presbytero Apolloni mulierem quamdam Alexandrinam in Oasi relegatam commendat:

Ψενόσιρις πρεσ|βύτε|ρος Ἀπολλωνι
πρεσβυτέρῳ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ
ἐν κ[υρί]ῳ χαίρειν.[2]

Hoc documentum non est persecutione Diocletiani anterius, in Oasim enim tempore Valeriani dumtaxat Christiana fides lata videtur, et documentum citatum duorum presbyterorum tranquillam habitationem ibi supponere dixeris. De hac regione, utpote Christianis monumentis locupletissima, pluries redibit sermo.

Deportatio tamen secundus et quidem gravior poenae gradus fuit, eamque civilium iurium amissio comitabatur, neque ab ea custodia, privationes omnimodae, verbera aliaeque saevitiae videntur fuisse alienae. Pontifex Pontianus (230–235), in Sardiniam (*insulam nocivam*)[3] deportatus, ibi legitur *afflictus*, maceratus *fustibus defunctus esse*.[4] Notabilia quoque sunt illa iurisconsulti Modestini verba: *Deportatis vero hae solent insulae assignari, quae sunt asperrimae, quaeque sunt paulominus summo supplicio comparandae*.[5]

2. Damnatio ad metalla. — Damnatio ad metalla crudelissima erat praeter mortem.[6] Damnati enim omni civili

(1) *Digest.* 48, 22, 7. Cf. Deissmann, *Ein Original-Dokument aus der Diocletianischen Christenverfolgung*, Tübingen und Leipzig, 1902, p. 13 sq.

(2) Deissmann, op. cit.; Pio Franchi de' Cavalieri ap. *Nuovo Bull.* a. 1902, p. 17.

(3) *Catalogus Bucherianus* in Duchesne, *Le Liber Pontificalis*, t. I, p. 5.

(4) Mommsen, *Gest. Pont. rom.* p. 24. Cf. De Rossi, *Rom. sott.* t. II, p. 76 sq.

(5) Huschke, *Iurispr. anteiustin.* p. 644. Cf. Tacitus, *Annal.* II, 85.

(6) Hoc ipsum Romanum ius declarat: *Capitalium poenarum isti gradus sunt: summum supplicium ...; deinde proxima morti poena, metalli coercitio* (Callistratus, *De cognitionibus*, lib. VI, in *Digest. Iustin.* XLVIII, 19,

iure destituebantur, ac, post fustigationem, [1] ad ingratissimum applicabantur opus metalla vel marmora effodiendi.[2] Ne autem fugerent, catenae pedibus dabantur, unde illa S. Cypriani verba: « O pedes feliciter vincti, qui non a fabro, sed a Domino resolvuntur! O pedes in saeculo ad praesens ligati, ut sint semper apud Dominum liberi ». Neque aetati, neque sexui erat consideratio: « Cuius numero nec virgines desunt;... in pueris quoque virtus maior aetate;... ut martyrii vestri beatum gregem et sexus et aetas omnis ornaret » (Epist. 54, § 2). Quod autem genus sit poenae haec item Cypriani verba demonstrant: « Non fovetur in metallis lecto et cultrici corpus,... humi iacent fessa laboribus viscera;... squallent sine balneis membra situ et sorde deformia..., panis illis exiguus,... vestis algentibus deest;... Semitonsi capitis capillus horrescit » (l. c.). Sane capillus horrescit vel solum haec legendo!

Oportet vero Eusebii quaedam verba citare, ex quibus hanc damnatorum miserrimam iam conditionem, ab anno 307 recruduisse accipiemus: « Anno sexto, cum persecutionis tempesta contra nos vehementer ingrueret forte in loco quodam Thebaidis, Porphyrita appellato, qui iam ante ex vena lapidis

28). De cruce damnatis inurenda historice liquido constat, cum Constantinus Magnus, anno 315, Vicario Africae provinciae id praeceperit: *Si quis fuerit in metallum damnatus minime in eius facie scribatur* (*Cod. Theod.* IX, 40, 2); et Pontius in vita S. Cypriani haec de *metallicis* confessoribus habeat: *Tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos et ad exemplum martyrii superstites reservatos* (*Vit. Cyprian.* § VII); quarum inscriptionum prima est, ut observat I. B. De Rossi, *signum Christi* in sacramento confirmationis, secunda item *signum Christi*, sed in damnatione ad metalla receptum (cf. *Bull. d'arch. crist.* a. 1968, p. 17 et sqq.).

(1) Quod fuerint prius fustigati etiam ad metallum damnati, non secus atque extremum essent subituri supplicium, iuxta romanum ius, ex his Cypriani verbis indubium apparet: « Fustibus caesi prius graviter et afflicti, per eiusmodi poenas initiastis confessionis vestrae gloriosa primordia »; quae verba, una cum stipe, *in metallum Siguense* damnatis Cyprianus miserat.

(2) Erat tamen differentia inter *damnatos in metallum* et *damnatos in opus metalli*, non quidem in opere, sed in catenis, quae pro prioribus multo quam pro posterioribus erant graviores (cf. Ulpianus, *in Digest. Iust., leg.* 8, § 6).

porphyritae, quae ibi nascitur nomen deduxerat, ingens turba verae in Deum pietatis confessorum versabatur, ex quibus centum viri cum mulieribus, et tenellis admodum liberis (tres solum ab eo numero aberant) ad Praesidem Palestinae Firmilianum scilicet, qui iam locum Urbani in praefectura obtinuerat, mittebantur; quibus, cum Deum omnium creatorem, et Christum confessi fuissent, praecepit, idque de sententia Impera-

Tab. 10. Damnati ad metalla, anaglyptum.
(Ex *Revue archéologique*, 1882, t. I).

toris, non modo sinistrorum pedum commissuras cum ipsis nervis ignito ferro praecidi, sed etiam oculos dexteros primum sicis, cum ipsis pupillis et membranis quibus tegebantur, effodi; deinde cauteriis candentibus omnino ad ipsas intimas fibras et quasi radices labefactari. Ac postea ipsos ad metallorum venas, quae erant in provincia, quo gravi aerumna, et afflictatione torquerentur ablegat ».

Neque de istis tantum ita praescriptum fuit, sed de omnibus in opus eiusmodi damnatis tunc temporis in Orientali Ecclesia.[1]

(1) Eusebius, *De mart. Palest.* 7, 3, 4; 8, 1-3, 13; 10, 1.

Anno autem 309 apud Phaenos, inter damnatos quamplurimos, etiam aliqui erant episcopi. Hinc relaxata aliquantulum custodia, parva oratoria erecta sunt apud puteum, in quibus circa sacerdotem sacra facientem fideles congregabantur, ab eoque Eucharistiam recipiebant. Deinde caecus quidam natus, cui tamen dexter oculus effossus fuerat, prodigiosa praeditus memoria, cum sacra volumina deessent, partem S. Scripturae alta recitabat voce. Hoc gubernatori et imperatori delato, cum inspector missus esset; damnati dispersi sunt, alii Cyprum, alii ad Libanum transvecti; senes vero ad laborem inepti, decollati sunt. (1)

Tab. II.

Tab. II vitrum repraesentans a Boldetti in coemeterio Callisti inventum, imaginem cuiusdam *ad metallum* damnati visa est exhibere. Habetur tonsus iuvenis cum fune collum membraque circumdante signoque crucis in fronte. (2) De Rossi (*Bull.*, an. 1874, p. 40), aliique putarunt damnatum ad metalla ibi repraesentari. Garrucci (*Storia dell'art. crist.*, t. III, Tab. 188, 3, p. 161) eum Papam Liberium

(1) Eusebius, *De mart. Palest.* 11, 20–23; 13, 1–3, 4, 9, 10.

(2) Tonsura videtur revera congruere damnatis in metallum, scimus enim illos semitonsos fuisse; sic, ex. gr. damnati Cypriano responderunt, grates de stipe reddentes: « Fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resolvisti, semitonsi capitis capillaturam adaequasti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantes flores apposuisti et tetrum odorem exclusisti » (Cyprian. *Epist.* LXXVIII, § 2). Item congruit crux, quam tamen Wilpert ob deficientem locum affirmat signatam in fronte fuisse potius quam super caput. De vestimento et funibus vide infra et in textu.

perhibuit, et ita esse legendum : *Liberi nica*, perinde quasi foret allusio ad eius turbatissimum pontificatum. Denique Wilpert, cui assentior libenter, aurigam nomine Liberum vidit, cui acclamatio illa congruit, utpote quae et alibi legitur ubi figura aurigae certissima est. (1) Aliunde enim scimus, procedente circensi pompa, cum spectatores studia, favores, sponsiones declarent, sicuti hodie in eiusmodi spectaculis, victoriae omina voce plausuque fieri solita fuisse. (2)



Tab. 12. Opus musivum.
(Ex Cont. Ersilia Lovatelli, *Antichi monumenti illustrati*, Tab. VI).

Maxima denique difficultas in vestimento consistit, nam si de damnato in metallum revera ageretur, parum *Liber* differre

(1) Wilpert, *Le pitture delle catac. rom.*, tex., pp. 482–483.

(2) Lovatelli, *Antichi monumenti illustrati*, tab. VI. Praestat integrum Wilpert textum citare : « Nel vetro cimiteriale, di cui abbiamo soltanto la copia (fedele secondo ogni apparenza) del Boldetti, l'auriga comparisce nel suo caratteristico costume, ma senza il cappuccio di cuoio. La sua tunica è ornata di un disegno di palme ; sopra di essa scorgonsi le cinghie che si incrociano sul petto » (loc. cit.). Textus citati satis probant catenas sive vincula pedes tantum attigisse, sed H. Leclercq ut de ligaminibus circum collum aurigae pro vinculis habitis rationem aliquam daret, opinatus est catenas nedum usque ad renes, etiam usque ad collum pervenire potuisse (Dom Cabrol, *Dictionnaire d'arch. chrét. et de lturg.* t. I, coll. 426–427).

deberet a ceteris damnatis Tab. 10 repraesentatis. Ad vincula vero quod pertinet, sufficit notare restem circa collum esse signum aurigae proprium, sicut etiam in aurigis sarcophagi fulliniensis conspicimus (V. Grisar, *Roma alla fine del mondo antico*, Tab. 145) et evidentissime patet ex Tab. 12 ubi idem nomen *Liber* recurrit.

Notabo denique, nomen istud fuisse proprium cuiusdam aurigae liberti Marci Aurelii, qui ter in ludis circensibus palmam retulit, ut ex hac inscriptione liquet:

M · AVRELIO · LIBER · PATR · ET · MA
GISTRO · ET · SOCIO · DOMINO · ET · AGI
TATORI · FACTIONIS · PRASINAE · AVRE
LIVS · CAECILIVS · PLANETA · PROTO
GENES · OB · III · PALMAR · HOC · DO
NVM · VOVIT · D · D · (1)

Nolo ex ea quidquam coniicere, sed tantum aequalitatem nominis animadvertere; equidem nomen *Liber* dixerim plurium fuisse fortasse ad eamdem pertinentium familiam; in qua esset veluti paternam traditionem sequi, quod filii factionum circensium agitatores fierent. Hoc etiam Tab. 12 confirmatum videtur; veri est enim simillimum, sicut isti duo, ita etiam Christianum illum ad eamdem familiam pertinuisse. (2)

Ex quibus omnibus illud etiam conficitur, Christianam religionem omnes societatis ordines pervasisse, neque continuam vitae periclitationem factionum, neque honores fere divinos agitatoribus tributos offuisse, quominus ipsi circenses aurigae Christi fierent fideles. Igitur tantum abest ut Christiani essent insociabiles et prorsus ab omni vitae commercio cum ethnicis alieni, ut vel in ludis publicis cum illis certarent, neque se Christianos esse occultarent. In coemeterio sub vinea *Massimo*,

(1) Dempsterus, *Ant Rom.*, lib. V, p. 447.

(2) Quod in aurigarum genere essent Christiani, evidentissime ex eo patet, quod concilium Eliberinum, (an. 401), canone 62, haec praecepit: « Si auriga et pantomimus credere voluerint, placuit ut prius artibus suis renuntient, et tunc demum suscipiantur; ita ut ulterius ad ea non revertantur: qui si facere contra interdictum tentaverint, proiiciantur ab Ecclesia ».

via Salaria Nova iacente, picturae cuiusdam arcisolii, a Garrucci, De Rossi aliisque ethnicae putatae, aurigam repraesentant una cum victoriis, palmis et coronis. Quod sint Christianae non est amplius dubium hodie post Wilpert studia (V. *Le pitt.* etc. Tex. p. 479); aurigae autem imago pectore tenus delineata, nuda veluti herois conspicitur (loc. cit. Tab. 145).

3. DAMNATIO AD BESTIAS. — Reipublicae Romanae temporibus, duplex suppliciorum erat genus, crux servorum propria ac personarum infimae sortis, et decollatio. Ad imperii aetatem pertinent *damnatio ad bestias* et *vivicomburium*[1] quibus tamen, ex instituto, rei tantum civitate non gaudentes obnoxii erant; sed postea Christiani cuiuscumque conditionis his poenis addicti sunt. Primum Christianum civemque romanum anno 177 Lugduni ad belluas expositum fuisse legimus, idque reclamante plebe.[2] Ex scriptis autem Tertulliani aliorumque scriptorum colligitur, a saeculo secundo sub finem, Christianorum supplicia ad arbitrium magistratuum determinari, qui *ius gladii* meliori quo ipsis videretur modo exercebant.

Mos bestiis exponendi reos Romae antiquissimus fuit, non ita vero spectacula venationum, quae tamen non raro eodem desinebant modo, scilicet, morte venatorum ferarum laniatibus obiectorum. Haec primum anno post Urbem conditam 568, a nativitate vero Christi 168, M. Fulvio Nobiliore auctore, locum habuere. Vocabantur *munera* sicuti et ceteri ludi,[3]

(1) CALLISTRATES in *Digest.* XLVIII, XIX, 28; CAIUS, ibid. 29; HER. MODESTINUS, ibid. 31.

(2) *Epistola Eccles. Vienn. et Lugdun.* apud EUSEB. *Hist. Eccl.* V, 1, 47.

(3) « Ita », ait DEMPSTERUS, « ludos accipimus, ut sint publicae celebritates quae vel placandae Deûm irae, vel pro salute populi, vel gratiae populi demerendae causa sunt editae. Finis eorum erat tum religio quaedam, qua antiqui opinabantur, sese diis rem gratam illis ludis tamquam promissam facturos; tum populi voluptas, cui et reges et respublica et imperatores maxime studebant, quo homines voluptate demulsi in officio continerentur. Primus apud Romanos ludos instituit Romulus Rex, Consualibus celebratis: de quibus omnium veterum scriptorum historiae loquuntur. Hunc secuti alii sunt, tum reges, tum consules et praetores, postremum imperatores ...» (*Antiquitatum Romanarum Corpus absolutissimum*, Lugduni, MDCXL).

neque solum ex liberalitate triumphatorum aliorumque reipublicae officialium ad suffragia *mobilis turbae Quiritium* captanda,



Tab. 13. Amphitheatrum Flavium. Status hodiernus.

verum etiam in defunctorum honorem donabantur: « Munus », ait Tertullianus, « dictum est ab officio, quoniam officium

etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur ».[1]

Corruptis moribus, paullatim etiam inter spectacula et munera damnatio ad bestias locum obtinuit, et quidem inter praecipua; nam hoc supplicii genus praebuit ut revera possent tragoediae agi, in quibus rei personati necarentur.

Damnatio ad bestias non videtur fuisse *ultima poena*, idest *ultimum supplicium*, iuxta illa iuris Romani verba: *Quicumque nummos aureos partim raserint, partim tinxerint vel finxerint, si quidem liberi sunt, ad bestias dari, si servi, summo supplicio affici debent.*[2] Locus autem ubi eiusmodi spectacula dabantur



Tab. 14. Theatri Segestae restitutio.

amphitheatrum dicebatur, quasi duplici theatro constans, proindeque formam circularem exhibens: « Amphitheatrum rotundum est, theatrum vero ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens ».[3] Theatrum ludis scenicis inserviebat[4] et

(1) *De spectaculis*, c. 12.

(2) *Digest.* lib. XLVIII, tit. x. De hoc argumento egregie mons. Pillet scripsit in suo opere.

(3) CASSIODORUS, lib. 3, epist. 51.

(4) « Ludos scenicos », ait Vallauri, « in Urbem pestis induxit anno trecentesimo primo et nonagesimo ad deorum iram placandam. Ex Hetruria vero primos histriones Romam accitos fuisse constat, qui saltantes ad tibicinis modos populum oblectarent ...

« Omnium autem primus L. Livius Andronicus, genere graecus, Tarenti natus, et libertus M. Livii Salinatoris, relictis satyris, quae aliquot iam annos Romanorum studia tenuerant, comoedias et tragoedias ex graeco in latinum sermonem versas conscripsit, idemque in scena acti-

famosissimum fuit illud quod construendum Magnus Pompeius curavit atque Veneris templum etiam vocabatur: « Pompeius Magnus », ait Tertullianus, « solo theatro suo minor, cum illam



Tab. 15.

arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem

tavit iam inde ab anno Urbis conditae quingentesimo quartodecimo post Sophoclis et Euripidis mortem fere centesimo et sexagesimo » (VALLAURI, *Historia critica litterarum latinarum*, pp. 31–32).

superposuit, et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum sed Veneris templum nuncupavit ».[1]

Plerumque ad bestias damnatus palo ligabatur in suggesto ut ab omnibus videri, et melius a belluis laniari posset. Scimus S. Polycarpum noluisse in rogo ad palum alligari;[2] et Saturninum *super pulpitum fuisse ab urso vexatum*; item *Saturum... ad ursum substrictum... in ponte.*[3] Hunc autem pon-



Tab. 16. Eros damnatus ad bestias. Vitreum numisma. (Ex J. B. De Rossi, *Melanges*, p. 242).

tem seu pulpitum repraesentatum videmus in pluribus antiquissimis cimeliis, inter quae est quaedam lampas Carthaginiensis quam P. Bruzza in coetu cultorum Christianae archaeologiae veluti specimen huius damnationis exhibentem illustravit:[4]

(1) *De spectaculis*, c. 10.

(2) *Passio S. Pionii*, 21, *Acta sincera*, Ruinart, n. 4, p. 136 sq.

(3) *Passio S. Perpetuae* 19 edit. Arm. Robinson, Cambridge, 1891, pp. 89-90. De S. Blandina etiam legitur: *Blandina vero ad palum suspensa bestiis obiecta est* (Ruinart, *Acta sincera*).

(4) *Bullettino di archeologia crist.* a. 1879, p. 21.

est scilicet in ponte vir palo vinctus et a leone petitus (Tab. 15).

Dressel tamen, quod palus veluti telum desineret, de regis Erotis ad bestias supplicio agi posse affirmavit; esset scilicet palus ipsum Erotis telum. Procul dubio in hanc egregius archaeologus devenit sententiam ob analogiam quae inter lampadem citatam interest atque vitreum quoddam nomisma certissime Erotem ad bestias damnatum prae se ferens [1] (Tab. 16).



Tab. 17. Damnatus ad bestias. Fragmentum vasis testacei. (Ex J. B. De Rossi *Mélanges*, p. 245).

Sitne haec Dressel sententia vera necne parum refert, cimelium aeque extat moris pegmatis et pali testimonium indubium, neque aliae desunt testulae idem referentes.

Ipse Daniel, qui aliquando in parietibus sepulcrorum ut martyris imago depictus fuit, in coemeterio Flaviae Domitillae, orans in quodam suggesto apparet [2] (Tab. 18).

(1) *Bullettino di archeologia crist.* a. 1879, p. 23.

(2) En tamen quid habeat Wilpert de Danielis figura in catacumbis: « La questione se i martirii dei cristiani condannati *ad bestias*, *ad leones*,

Insuper ex monumentis confici videtur, non semper perizomate aliave veste damnatos populo producendos pudenda habuisse cooperta,[1] licet pariter videatur lege praecautum aut consuetudine concessum ne damnati coram populo omnino nudi exponerentur.

Dixi damnationem ad bestias ultimum supplicium non fuisse; patet enim belluas lacessi non raro debuisse ut in reos saevirent, unde ad Romanos S. Ignatius se, scribebat, sperare fore ut bene dispositae belluae sibimet ipsae occurrerent et minime parcerent. Quod innuit, belluas non fuisse famelicas,

abbiano influito sulla struttura formale della composizione, va risolta piuttosto in senso negativo che positivo; ad ogni modo io ritengo troppo poco fondato l'appello che in proposito si fa all'affresco ora ricordato, poichè la piccola elevazione sulla quale è figurato Daniele, trova sufficiente spiegazione in un motivo artistico qual'è quello di dare al gruppo un'altezza proporzionata alla larga base del medesimo. In alcune pitture posteriori sembra scorgersi l'influsso dei martirii dal fatto che in esse Daniele è vestito col perizoma. Chi con De Rossi (*Bullett.* 1884-85, p. 91 sq.) va così avanti da vedere nella figura una reminiscenza del martirio d'Ignazio d'Antiochia, avvenuto a Roma sotto Traiano, commette un anacronismo, perchè l'affresco senza dubbio è del I secolo » (WILPERT, *Le pitture delle catacombe*, text. p. 39).

(1) Sicut monumenta, ita auctores discrepant in hac re; praestat verba quaedam PII FRANCHI DE' CAVALIERI hic subiicere: « Da molti si crede che la nudità imposta ai cruciarii escludesse anche il breve panno onde vediamo coperto N. S. fin già dagli autori della porta di S. Sabina in Roma e del noto avorio del Museo Britannico, d'accordo con quanto riferiscono gli *Acta Pilati*. Ma perchè si sarebbe universalmente negato quel che si pretendeva dagli attori e dai gladiatori, e che si soleva concedere persino ai *damnati ad bestias* come provano gli *Acta S. Theclae*, oltre alcuni monumenti figurati? La cosa non par verosimile, sopratutto poi per il caso che la sentenza non venisse eseguita nel triste campo *servilibus poenis sepositus* (TAC. *Annal.* XV, 60) e al cospetto di poche persone, ma in qualche luogo centrale e con grande concorso di gente (cf. QUINTILIAN. *Declam.* 275, *quoties noxios crucifigimus celeberrimae eliguntur viae*, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint) » (*Bullettino di arch. crist.* a. 1907, pp. 102 sq.). In eamdem sententiam convenit Wilpert qui allusionem quamdam ad damnatos *ad leones* vidit in illis tantum Danielis picturis, ubi propheta succinctorio habet lumbos coopertos (op. cit. p. 308) quod bis tantum notatur et quidem in picturis saeculi quarti.

et ad torquendum vel cruciandum potius quam ad caedem adhibitas.

De S. Marciana haec leguntur: *Multitudo quae ad spectaculum confluxerat, coepit clamare ut Marciana martyr obiiceretur ad feras. Ligatur ad stipitem devota Christi virgo.* (1) Leo ferocissimus dimissus nihil ei mali intulit, (2) taurus deinde eam tantum vulneravit, tandem a leopardo occisa est.



Tab. 18. Daniel inter leones in suggesto.
(Pictura saeculi I, in coemeterio S. Domitillae).

Id clare probat huius poenae crudelitatem; adhibebantur enim animalia non quidem carnivora, sed quae ira excitata multo crudelius quam ipsi leones et tigres saeviebant in damnatos, quos, exempli gratia, cornibus impetitos, in altum iaculabantur. Hoc in Tyri amphitheatro conspectum est, hoc Lugduni de S. Blandina, et Carthagine ubi, inaudito exemplo, Ss. Perpetua et Felicitas vaccae furiosae obiectae sunt. Ne autem cornua animalium damnati declinare possent, aliquando

(1) *Acta S. Marcianae*, § 6, ap. *Actis Sanctorum*, ianuar. t. I, p. 569.

(2) Dimissus est leo ferocissimus qui cum magno impetu veniens erectas manus in puellae pectus; sanctum martyris corpus odoratus, eam ultra non contigit (loc. cit.).

in rete claudebantur, quod bis factum legimus Lugduni et Carthagine de praefatis martyribus.

Ex antiquis auctoribus et Romano iure damnationi ad bestias parricidae, homicidae et seditiosi erant subiiciendi; (1) imperii temporibus etiam aliquando hostes in bello capti.(2) Verum

Tab. 19. Mulier bestiis exposita. Fragmentum vasis musei Turonensis. (Ex *Mém. de la soc. nat. des Antiq. de France*, an. 1892, p. 103).

his in casibus damnatio ad bestias multo evadebat ceteris suppliciis acerbior, si crucem excipias,(3) immo neque inter primas

(1) *Digest.* lib. XLVIII, tit. IX, XIX. Cf. CICERO, *Orat. pro Sexto Roscio*, 26.

(2) TACITUS, *Hist.* lib. II, c. LXI; EUTROPIUS, *Hist.* lib. X, c. III; AMMIANUS MARCELLINUS, *Rer. gestar.* lib. XIV, c. II.

(3) « In realtà », ait PIUS FRANCHI DE' CAVALIERI, « la barbarie del supplicio della croce, il *supplicium crudelissimum teterrimumque* (CIC. *Verr.* V, 165; cf. AUREL. VICT. *Caes.* 41, 4), l'*extremum et pessimum genus mortis* (AUG. in *Ioh. evang.* XXXVI, 8, 4; anche EUSEBIO, *Demonst.* III, 7, 19, la chiama τὴν αἰσχίστην .... τιμωρίαν; in TERTULLIANO, *De praescr.* 2, l'espressione *cruciarios exitus* denota le morti più dolorose e strazianti), consisteva specialmente nella sua lentezza. La vittima vi perdeva la vita

poenas numeranda: *Iudices*, ait Augustinus, *publicis legibus servientes maioris criminis reos bestiis subigi quam gladio percuti iubent.* (1)

Quaestio iam nobis occurrit ubinam tam venationum spectacula quam supplicium ad bestias et gladiatorii ludi locum habuerint. Veteres antiquitatum romanarum periti non videntur satis distinxisse inter *circum* et *amphitheatrum* circa praefata spectacula. Ut sim brevis, Dempsteri dumtaxat verba citabo: « Quamvis autem theatra, circi et alia huiusmodi loca singu-



Tab. 20. Mulier bestiis exposita. Vasis fragmentum.
(Ex Dom. Cabrol, *Dict. d'archeol. chrét. et de liturg.*, Tab. 90).

lares quaeque, ac proprios ludos haberent, et exercitationes cuique loco accommodatas: tamen eadem saepe omnibus in locis peracta sine discrimine fuerunt ».(2) Est scilicet in his verbis cur quaeramus quomodo et ludi circenses in amphitheatro et tragoediae vel gladiatorii ludi in circo fierent. Circus Romuli Maxentii, circo Neronis multo inferior, cuius notabiles adhuc ruinae ad tertium circiter milliarium Viae Appiae conspiciun-

a poco a poco, ciò che Seneca dice (ep. 101, 14) "*per stillicidia* emittere animam"; tanto che schiodata e curata a tempo, poteva riaversi» (*Bullettino di arch. crist.* a. 1907, pp. 81 sq.).

(1) S. August. *Contra Faustum*, lib. XXII, c. LXXIX.

(2) *Corpus antiq. rom. absolutissimum*, p. 440.

tur, satis ad rem nostram conferret. Sed quid dicendum de maioribus circis?

Nemo non videt quam parum eiusmodi hippodromi scenicis spectaculis ludisque gladiatoriis aliisque id genus convenirent, cum exigua tantum pars spectatorum possent ludis gaudere. E contrario in amphitheatris omnes ad unum ludos cernere satis, quocumque in arenae loco agerentur, poterant.

Tab. 21. Damnati ad bestias tauro expositi. Fragmentum vasis.

Quod autem omnem dirimit difficultatem illud est, quod nullibi in ruinis hippodromorum inventae sint *caveae* ubi belluae asservarentur; eas vero in superstitibus amphitheatris recognoscere adhuc aliquando licet.



Tab. 22. Circi maximi restitutio.

Neque opponatur Neronis persecutione in circo bestiis obiectos Christianos fuisse. Non ita legimus apud Tacitum, quasi eiusmodi spectacula ibi acta revera fuerint, sed in hortis Neronis alios *crucibus affixos*, alios *flammandos ferarum tergis contectos* fuisse videmus. Id quidem non impedit, quominus etiam in circo crucibus fuerint non pauci Christiani affixi, vel etiam combusti, tergis ferarum cooperti ut a canibus lania-rentur; verum in hoc nihil ad spectacula solita haberi in amphitheatris attinet. (1)

4. VIVICOMBURIUM. — *Vivicomburium* tardius in usum inductum fuit apud Romanos, (2) licet poena ignis, ut genus torquendi, iam usitata multo ante imperii aetatem inveniatur.

(1) Valde mihi probantur illa quae contra Dufourcq scripsit illustris Dom Lugari, licet de loco S. Petri supplicii aliter ab illo sentiam; ut meus est mos locum magna ex parte citabo: «Ed infatti di tutte quelle rappresentazioni arrecate per esempio dal ch. autore (Dufourcq) nessuna ne fu eseguita nei circhi, ma tutte negli anfiteatri. Tertulliano quando parla dei delinquenti condannati sotto forme mitologiche a chiudere il dramma realmente colla tragica fine dei soggetti che rappresentavano, come quella d'Issione, di Atteone e di Ercole, dice *plane religiosiores estis in cavea* (cf. LUGARI, *L'anfiteatro Flavio rivendicato ai martiri, Atti della Pont. Accad. Rom. di archeologia*, serie II, t. VII, pp. 105 sgg.). Svetonio ci narra che le favole d'Icaro, di Parsifae furono rappresentate nell'anfiteatro ligneo fatto costruire da Nerone nel campo Marzio (SUETONIO in *Nerone*, 12): e da Marziale sappiamo che le azioni di Muzio Scevola, di Parsifae, di Orfeo, di Dedalo e di Laureolo, si svolsero nel Flavio anfiteatro. Con qual ragione adunque si potrà dire che per le favole delle Danaidi e delle Dirci la più bella cornice sarebbe stato il circo di Nerone? (MARZIALE, *De spectaculis*) ...

«Del resto studiando bene il passo di Tacito si raccoglie che quell'ecatombe di condannati non fu mascherata da rappresentazioni drammatiche, ma fu mostrata, *ei spectaculo*, al popolo nella sua nuda atrocità, e che Nerone, per rendere più terribile la punizione, vi aggiunse lo scherno, *addita ludibria*, facendo ricoprire i crocifissi, e i condannati al fuoco, di pelli di fiere, perchè morissero fra i morsi dei cani, servendosi poi dei destinati alle fiamme a rischiarare le tenebre notturne, quasi altrettante fiaccole, ed aurigando egli, nel tempo della ferale esecuzione, allegramente nel circo» (*Il Dufourcq e l'anno della morte di san Pietro*, estratto dal *Bessarione*, a. X, serie 2ª, vol. X, fasc. 88, p. 16).

(2) CALLISTRATES, loc. cit.

Primum exemplum Christianos respiciens in martyrio S. Polycarpi habetur (an. 155);[1] sed frequentissimum evadit saeculo III, praesertim in persecutione Decii,[2] qua inter alios numerantur martyr Pionius, Smyrnae;[3] martyres Lucianus et Marcianus, Nicomediae;[4] martyres Carpos, Papylos et Agathonices, Pergami.[5] In persecutione Valeriani, Fructuosus episcopus, Augurius et Eulogius diaconi, Tarracone;[6] diaconus Laurentius, Romae; et in ultima persecutione prorsus innu-



Tab. 23. Damnati ad bestias. Fragmentum cuppae.
(Ex *Sammlung der röm. Denkmäler in Baiern; Abbild.* Tab. III).

merabiles martyres combusti sunt: *Omnis sexus et aetatis homines*, ait Lactantius, *ad exustionem rapti: nec singuli quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni ambiebantur.*[7]

Mos erat initio ut damnatus expoliaretur, et ligaretur ad palum in suggesto erectum aut etiam clavis configeretur, idque publice, praesertim in circo vel in amphitheatro. Verum, Ter-

(1) *Martyrium Polycarpi* apud RUINART.
(2) EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* VI, 41, 15, 17.
(3) *Passio S. Pionii*, XXI, 2–4, ed. GEBHARDT, p. 113.
(4) *Acta Ss. Luciani et Marciani* apud RUINART, p. 151.
(5) *Martyrium Ss. Carpi, Papyli et Agatonices.*
(6) *Acta Ss. Fructuosi, Augurii et Eulogii.*
(7) *De mort. persec.* c. 15.

tulliani tempore, non amplius elevabatur damnatus super lignorum acervum, sed sarmentis circumdabatur, ita ut *sarmentitii* seu sarmentis digni Christiani vocarentur. (1) Praeterea incredibile est quot sub formis tantum supplicium inflictum fuerit, cum in arbitrio esset magistratus iure gladii pollentis illud quomodo vellet adhibere. Oleum fervens in cacabo paratur in quo Ioannes Evangelista mergitur,(2) vel pix in qua S. Potamiena moritur; (3) in calce viva merguntur Epimachus et Alexander sub Decio; (4)



Tab. 24. Martyrium S. Laurentii, gemma sculpta. (Ex Lupi, *Dissertazioni e lettere*, p. 192).

lectus vel sella ferrea candens non amplius ad quaestionem, sed ad extremum adhibetur supplicium. (5)

Plura cimelia (Tabb. 24 et 25) nobis S. Laurentii supplicii memoriam tradiderunt, sed historice vel maioris apud criticos fit martyrium Petri, Diocletiani imperatoris cubiculo praepositi, qui lente ac membratim in craticula assatus

(1) Tertull. *Apol.* 50: *Licet nunc sarmenticios et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.*

(2) Tertullianus, *De praescrip.* 36.

(3) Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, 5.

(4) Πυρὶ ἀσβέστῳ καὶ οὗτοι διεχύθησα (*Ep. S. Dionysii Alex.* ap. Euseb. *Hist. Eccl.* VI, 41, 17).

(5) Prudentius, *Peri Stephanon*, II.

est.[1] Eodem modo narrat Eusebius plures martyres absumptos fuisse Antiochiae in eadem persecutione,[2] et Timotheum quam lentissime in urbe Gaza crematum.[3] A Lactantio denique scimus, anno 309, Galerium novum lente urendi martyres modum invenisse, nimirum inter ardoris cruciatibus, aspersionibus aquae frigidae aut eiusdem deglutionibus impedire, quominus patientes festinanter expirarent; unde obtinuit ut tantum supplicium per integrum diem aliquando perduraret.[4]

5. Crux. — Crux, uti iam dixi, fuit teterrimum supplicii genus cui servi vel infimae sortis homines subiiciebantur. Post



Tab. 25. Martyrium S. Laurentii. (Saeculi IV numisma).

crucem Domini nobilissima venit crux Petri, cui Origenes affirmat inverso capite fuisse Apostolum affixum.[5] Hoc profecto veri est simillimum, licet antiquiores auctores nihil de hoc innuant, ne Tertullianus quidem, qui Petrum dicit pas-

(1) Euseb. loc. cit. VIII, 6.

(2) Euseb. loc. cit. VIII, 12.

(3) Euseb. *De mart. Palest.* 13.

(4) *De mort. persec.* 21. Notabilia sunt haec Pauli Allard verba: « Deux tendances, à cette époque de guerre à outrance, se partagent l'esprit des persécuteurs: tuer vite, pour tuer beaucoup; tuer lentement, pour faire beaucoup souffrir. La peine du feu se prêtait également à l'une et à l'autre » (*Dix leçons sur le martyre*).

(5) Eusebius, *Hist. Eccl.* III, 1.

sum esse ut Dominus Christus scilicet crucifixum: « Petrus passioni dominicae adaequatur ».[1] Ceterum huiusmodi crucifigendi modi testes sunt luculentissimi Seneca[2] et Iosephus Flavius: ille enim affirmat, se revera vidisse inverso capite crucifixos, idque tempore Neronis, procul dubio anno 64; iste autem narrat a Romanis militibus ita captivos Iudaeos cruci fuisse affiixos ante muros Ierosolymae: προσήλουν ... δι' οργὴν καὶ μῖσος τοὺς ἁλόνται.[3]

Initio saeculi II, Simeonem Ierosolymitanum episcopum sub Traiano legimus crucifixum;[4] deinde initio saeculi III, praeter ea quae Iustinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus passim scripserunt,[5] haec in Minucio Felice invenimus quasi ab ethnico viro in Christianos verba prolata: *iam non sunt adorandae* (vobis) *cruces, sed subeundae* (*Octav.* 12). Cyprianus quoque loquitur de crucifixione veluti de supplicio usitatissimo.[6] Eusebius, denique, enumerans solemnes poenas, quibus mulctati sunt in ultima persecutione Christiani, haec scribit: ἄνδρες ἀνατλάντες πῦρ (vivicomburium) καὶ σίδηρον (animadversio per gladium) καὶ προσηλώσεις (cruci affixio), θῆρας τε ἀγρίους (damnatio ad bestias) καὶ θαλάττης βυθους (submersio).[7] In hac ultima et magna persecutione, memoria certissima ad nos pervenit de pluribus fidelibus hoc supplicio afflictis, inter quos Claudius Asterius et Neon,[8] Timotheus et Maura coniuges, qui, alter versus alterum cum essent crucifixi, se in-

(1) TERTULLIANUS, *De praescr.* 36; *Scorpiace*, 15.

(2) *Consol. ad Marcian.* 20, 3. Male tamen inde quis inferret, S. Petrum anno 64 occisum fuisse quia Seneca anno 65 amplius non viveret. Quod idem esset atque dicere neminem post annum 64 Christianum capite inverso crucifixum fuisse.

(3) *Bellum Iudaicum*, V, 11, 1.

(4) HEGESIPPUS in EUSEB. *Hist. Eccl.* III, 32.

(5) S. IUSTINUS, *Dialog. cum Tryph.* 110; TERTULL. *Apolog.* 31; CLEMENS ALEX. *Strom.* 11.

(6) *De hab.* 6: *Quando ... cruces ... patitur*; *De bono patientiae*, 12: *bestiae, ignes, cruces omnia poenarum genera perferenda.* Cf. *Ep.* 55, 9.

(7) *Hist. Eccl.* VIII, 14, 13.

(8) *Passio Ss. Timothei et Maurae* in *Acta Ss.*, Bollan. 1 maii, p. 376.

vicem sustentando contra sitim, somnum viriumque defectionem, novem dies in vita perdurarunt. (1)

Ut e scriptoribus colligitur, crux non fuit generatim alta ut plerumque repraesentatur : *crux,* ait Tertullianus, *cum antemna... sua et cum illo sedilis excessu*; (2) sedile scilicet qui ad figendum cruci damnatum inserviebat. Hinc est etiam quod in *Actis* Ss. Timothei et Maurae, Mauram legimus ipsammet se ad crucem disposuisse ut ad illam ligaretur: ὀρθία ἔστη ἐπὶ τὸν σταυρόν; idque explicant expressiones: *exsilire, excurrere, inscendere, ascendere crucem,* τὸν σταυρὸν ἐπιβαίνειν. (3) Dixi *ut ligaretur*, nam non erat ordinarius mos ut clavis cruci figeretur

Tab. 26. Gemma sculpta. (Ex Dalton, *Catalogue,* tab. I, n. 43).

Tab. 27. Gemma sculpta. (Ex Garrucci, *Storia,* tab. 479, n. 15).

damnatus, quo in casu parum potuisset vivere, ad summum duos dies. De parva crucis statura illud quoque est argumentum, quod a canibus et lupis cadavera e crucibus pendentia non raro laniabantur. (4)

Crux, denique, suppedaneo videtur instructa fuisse, licet auctores de eo non satis perspicue loquantur. Monumenta par-

(1) *Act. sincera* ap. Ruinart, p. 281.

(2) *Ad nat.* I, 12; Iustin. *Dial. cum Tryph.* 91: τὸ (ξύλον) ἐν μέσῳ πηγνύμενον ... ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. Cf. Iren. *Contra haeres.* II, 24, 4. Sedile igitur sive parvum suggestum, quod in antiquis miniaturis ad pedes crucis vel furcae conspicimus, probabiliter non est, ut recte clar. Pius Franchi observat, mera artificum fictio, idque prorsus erat necessarium si crux defigi debebat antequam damnatus ei alligaretur (v. *Il Menologio di Basilio*, tavv. 84, 427).

(3) Cf. *N. Bull. d'arch. crist.* a. 1907, pp. 97–98.

(4) Apuleius, *Met.* VI, 32: *sustinebit patibuli cruciatum cum canes et vultures intima protrahent viscera.* Cf. Manetho, IV, 197.

vam afferunt huic quaestioni lucem; si duas gemmas excipias (corneolas) crucifixum prae se ferentes, quae tribus primis saeculis a nonnullis auctoribus adscribuntur. Earum altera Christum refert terram pedibus tangentem, altera vero et crucem parum elevatam et subpedaneum exhibet; ambae denique de nuditate damnatorum testantur. Sunt qui dubitent num gemmae istae



Tab. 28. Crucifixum blasphemum. (Saec. II-III).

revera crucifixum Domini repraesentent; sed inconsulto, nam in priori (quae in Tab. duplo maior est) legitur: ΙΧΘΥϹ, et in posteriori: ЄΗϹΟΧΡЄϹΤΟϹ (Ἰησοῦς Χρεστός). De aetate potius esset quaestio instauranda, sed hoc volumen secundum spectat. In ceteris monumentis crucifixum non apparet, nisi saeculo ineunte sexto; sed exempla huius aetatis recentiora sunt quam ut quid certi ex eis coniicere possimus. Restat nihilominus crucifixi contumeliosam et blasphemam imaginem quondam ab illustri P. Garrucci S. I. inter inscriptiones

parietum Palatini stylo descriptas inventam, hodieque in museo Kircheriano positam (Tab. 28). Haud dubium ibi aliquid suppedaneo respondens conspici.

Non semper qui cruci affixus erat lanceae ictu conficiebatur, rarissime vero crura frangebantur.(1)

6. DECOLLATIO. — Decollationis seu detruncandi capitis supplicium non uno infligebatur modo apud antiquos, eratque supplicium nobilium Romanorumque civium.

Tab. 29. Gemma sculpta. (Ex W. KING, *Antique gems*, p. 352).

More maiorum, Romae decollationem verberatio praecedebat et quae plerumque non fiebat publice, in qua damnatus aut pendens, aut ita alligatus erat ut minime pedibus consisteret corpusque liber esset; secus ad primos verberum ictus cecidisset. Variis ceterum modis, in Oriente haec verberatio adhibebatur, semper tamen ita, ut corpus rei percutiendi prorsus esset suspensum neque se vertere posset.(2)

(1) ORIG. in *Matth.* ser. 140 (MIGNE, *P. G.* XIII, 1793): *Non iussit ... percuti sub alas corporis ... quod faciunt aliquando qui condemnant eos qui in maioribus sceleribus sunt inventi.* Plura de hac re habentur in *N. Bull.* loc. cit. ad quod brevitati consulens remitto studiosos.

(2) Temperare nequeo quominus huc transferam doctissimam Pii Franchi notam quamdam (in *N. Bull.* loc. cit. p. 81) mire argumentum illustrantem, atque ab his Lactantii verbis incipientem: «*si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quattuor stabant ad quos nullus unquam servus distendi solebat* (*De mort. pers.* 21). L'uso dei quattro pali o piuoli è d'origine orientale (cf. e. g. MASPERO, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique, Les empires*, Paris, 1899, pp. 411, 415). I Greci e i Romani solevano legare ad una colonna chi doveva essere flagellato (HYPERID. ap. *Poll.* 3, 79: κρεμάσας ἐκ τοῦ κίονος [cf. PHILEAS ap. EUS. *H. E.* VIII, 10, 5] ἐξέδειρεν; ARTEMIDOR. *Oneirocrit.* 1, 78: προσδεθεῖς κίονι πολλὰς ἔλαβε πληγάς; PLAUT. *Bacch.* 4, 7, 25: *astringite ad columnam fortiter*). Nè occorre ricordare la colonna alla quale sarebbe stato flagellato N. S. e che già nel IV secolo mostravasi ai pellegrini in Gerusalemme (HIERON. ep. 108: *columna ecclesiae porticum sustinens ... ad quam vinctus dicitur flagellatus* [*Christus*]; PRUD. *Ditt.* 161: *columnae* [*annexus*] *tergum dedit flagellis ... Perstat adhuc templumque gerit veneranda columna*). Alcuni itine-

Decollatio fiebat per gladium (honoris causa?); ascia, ex praescripto legis, non poterat adhiberi neque ullum aliud instrumentum.[1] Reus aut flexis genibus, aut ad palum columnamve applicatum percutiebatur. Extant aliqua monumenta hoc commemorantia supplicium, nempe pictura quaedam in domo Caelimontana a P. Germano inventa, ubi decollatio Crispi, Crispiniani et Benedictae exhibetur (Tab. 30).

Ex non paucis picturis coemeterialibus adhuc extantibus illud certo conficitur: Christianos de industria martyrii repraesentationes pro viribus vitasse, neque ideo quidquam eiusmodi apparere ante saeculum quartum. Cuius rei ratio non est hic

Tab. 30. Martyrium Crispi, Crispiniani et Benedictae. (Ex P. Germano, *La casa Celimontana*, p. 326).

rarî (Theodosius, p. 141, 14; Antoninus Plac. p. 174, 6, ed. Geyer) dicono che il marmo conservava l'impressione del petto e delle braccia del Salvatore. Di qui si vede quanto si allontanino dalla tradizione antica quegli studiosi, anche moderni, i quali (tratti in inganno dalla reliquia che si conserva nella chiesa di S. Prassede) si rappresentano il Salvatore avvinto ad una colonnetta di pochi palmi (Rohault de Fleury, *Mémoire sur les instruments de la passion*, Paris, 1870, pp. 264-267; E. Beurlier in Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible*, s. v. *flagellation*, col. 2282). La vittima legata così sarebbe caduta a terra sotto i primi colpi ». Hucusque praelaudatus auctor.

(1) Ulpian. in *Digest.* XLVIII, xix, 8.

aperienda, sufficiat in praesenti notare Tab. 30 esse primam martyrii repraesentationem in arte Christiana et ad tempora Iuliani imperatoris (361–363), vel paulo posteriora pertinere.[1]

Aliud monumentum Damasianae fortasse aetatis alium praebet modum decollandi: nempe reus erectus, manibus retro in vinculis, ad columnam applicatus cernitur, ictum expectans (Tab. 32).

Cum ibi de martyrio S. Achillei agatur, pronum est supponere aliam adfuisse columnam ciborium sustinentem quae

Tab. 31. Decollatio S. Menae. Anaglyptum eburneum musei Britannici. (Ex Dom Cabrol, *Dict. d'arch. chrét. et de liturg.*, vol. I, col. 426, tab. 72).

martyrium Nerei (illius in vita et in morte comitis) effictum prae se ferret.

Multi Christiani hoc decollationis subierunt supplicium iam inde a saeculo I, quo Apostoli Gentium primum memoria occurrit, deinde autem recensentur Flavius Clemens consul, omnesque viri illi nobiles in quos Domitianus crudelissime animadvertit;[2] saeculo autem secundo Iustinus eiusque socii et discipuli, plures martyres Lugdunenses, martyres Scillitani,

(1) Cf. Leclercq, *Dict. d'arch. chrét. et de lit.*

(2) Dion Cass. LXVII, 13. Ad hos martyres Apocalypsis illa videntur alludere: *Vidi subtus altare animas interfectorum*, in textu graeco: *animas decollatorum*, ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων (VI, 9). Cf. Suetonius, *Domit.* 15

senator Apollonius aliique; saeculo tertio inter innumeros pariter miles Besa, foeminae Amonnarium, Mercuria et Dionysia, Alexandriae; pontifex Syxtus II cum quattuor diaconis, Felicissimus et Agapitus item diaconi, Romae; S. Cyprianus episcopus, Montanus et Lucius, Carthagine; Marianus eiusque innumerabiles comites. (1) Innumeri etiam decollati fuerunt in ultima persecutione, in qua magistratus ad hoc supplicium videntur recurrisse non propter qualitatem personarum, sed quia expeditius agebatur, praesertim cum multi necandi essent; (2) itaque flagellatio tunc omittebatur, quippe quae in Actis authenticis minime commemoratur, et saeculo III obsolevisse videtur. Demum in Aegypto, iure non obstante contrario, etiam securis ad decollandum adhibita est, (3) qui quidem supplicii modus non ita ab illo differebat more qui medii aevi tempore, nec non ultimis ante Gallicarum rerum turbationem saeculis, apud fere omnes Europae populos viguit.

Tab. 32. Martyrium S. Achillei. Fragmentum columnae in basilica S. Petronillae inventum.

Circa decollationem S. Syxti II eiusque diaconorum aliqua notanda veniunt. Decollatio quoque *animadversio* vocabatur, ac

(1) Vide eorum *Acta* ap. RUINART.
(2) EUSEB. *De mart. Pal.* 9.
(3) EUSEB., *Hist. Eccl.* VIII, 12, 1.

proinde animadvertere etiam capite damnare significavit, unde decollatio a Pontio diacono *ictus solitae animadversionis* nominatur. De huiusmodi significatione nullum esse potest dubium si verbis quibus S. Cyprianus mortem Syxti II nuntiavit (Ep. 80) attendatur: *Xystum autem in cimiterio animadversum sciatis VIII id. august. die, et cum eo diaconos quattuor.* Cum autem certissime constet de S. Syxti II morte per decollationem, verba etiam edicti Valeriani clarescunt ab ipso S. Cypriano relata (loc. cit.): *Episcopi, presbyteri et diaconi incontinenti animadvertuntur.* (1)

7. Demersio aliaque suppliciorum genera. — Restat ut de *demersione* loquar, supplicio ex Romano antiquo iure parricidis reservato, (2) quodque imperatorum tempore non amplius vigebat. (3) Arbitraria igitur sententia et contempto iure Christiani ita sunt occisi; nulla enim lex nullumque edictum eiusmodi praecepit supplicium. Narrat Eusebius, anno 303, innumerabiles Christianos compeditos, scaphis impositos mediosque in fluctus perductos, submersos fuisse. (4) Romae, anno 304, duo martyres e Tiberino quodam ponte praecipites dati sunt. (5) In Aegypto non pauci eodem fere tempore in mare deiecti; (6) neque defuerunt qui eodem modo atque olim parricidae necati fuerint. (7)

In ultimis persecutionibus, sub Diocletiano scilicet, Maximiano, Galerio, Maximino Licinioque, omnes excogitati sunt excruciandi necandique modi; quin et antiqua strangulandi con-

(1) Hoc idem et ius romanum habet ut patet ex illo Ulpiani (*Digest.* XLVIII, 19, 8, 1): *animadverti gladio oportet, non securi.*

(2) Modestinus in *Digest.* XLVIII, IX, 9. Cf. *Cod. Iustin.* IX, XVII, 1.

(3) Paulus, *Sentent.* V, XXV.

(4) Euseb. *Hist. Eccl.* VIII, 8.

(5) *Acta Ss. Beatricis, Simplicii, Faustini* in *Act. Sanct., Iulius*, t. VII, p. 47.

(6) Euseb. loc. cit.

(7) Euseb. *De mart. Pal.* 5, 1; S. Ioh. Chrysos. ap. *S. Iulianum*, 3, ap. Migne, 50, 671. Cf. *Pass. S. Vincentii*, 11, ap. Ruinart, p. 328: *iusti cadaver insuitur ... cervice tenus constipatum*; *Act. Asterii* etc. 5 ap. Ruinart, p. 235.

suetudo,[1] quae omnino imperii temporibus obsoleverat, cuique servi tantum manserant obnoxii;[2] et *horribilis de saxo iactus deorsum,* ut verbis utar Lucretii,[3] quod quidem supplicium, post Claudium, expressis verbis in iure vetabatur: *non potest quis sic damnari ut de saxo praecipitetur.*[4] Denique, quidquid apud Orientales vigeret ad reos puniendos aptum, id a Romanis magistratibus adhibitum legimus; et incredibile prorsus videtur quod in sua *Ecclesiastica Historia* de hoc argumento narrat Eusebius. Iam Cyprianus cuidam Africae magistratui crudelitatem exprobrabat, quod usitatis torquendi modis minime contentus, novas exquisitasque poenas effingeret;[5] sed Eusebius ad exempla descendit. Antiochiae, Romanus diaconus, post linguae obscissionem, laqueo conficitur; item Nicomediae Dorothea et Gorgonius; in Arabia fideles securis ictibus necantur; in Cappadocia, iis crura franguntur; in Mesopotamia suspenduntur, capite super lentissimum ignem inverso; Alexandriae, naso, auribus et manibus decurtantur; in Ponto, fidelibus frustula harundinea inter ungues et carnem immittuntur, plumbum liquidum tergis perfunditur, interiora laniantur; in Thebaide testulis vitreis excoriantur; mulieres nudatae atque capite inverso machinis appensae in aerem elevantur; viri, pedibus ad ramos violenter invicem approximatos alligati, per medium corpus dividuntur,[6] atque haec speciminis causa. Hinc patet quod nequeat ad parvam

(1) SALL. *De coni. Cat.* 55; LIV. I, 26; CIC. *pro Rabirio*; VALER. MAX. V, 4; VI, 3. Loci Livii et Ciceronis ab aliquibus de cruce intelliguntur. Cf. MOMMSEN, *Römisch. Strafrecht,* p. 918, not. 6; p. 921, not. 1.

(2) *Cod. Theod.* IX, 12, 1: *si servum (dominus) suspendi laqueo praeceperit.* Hoc supplicium privatim infligebatur.

(3) LUCRET. 3, 1016.

(4) MODEST. *Digest.* XLVIII, 15, 25, 1. Hoc supplicium in Oriente tantum revivixit, ubi βάραθρον vocabatur quod Romae Tarpea Rupes erat. Vox tamen *barathrum* prout in Damasiano quodam carmine nominatur, *mittitur* (Eutychius) *in barathrum* (IHM. ep. 27, p. 32) pro *mare* fortasse aut *flumen* putatur a criticis esse accipienda.

(5) CYPR. ep. *ad Demetrianum,* 12.

(6) EUSEB. *De mart. Palest.* 11, 4; *Hist. Eccl.* VIII, 6, 5, 8, 9, 12; VI, 41.

nullamve authentiam documentorum dignoscendam veluti canon stabiliri narratio de inauditis et illegalibus suppliciis quibus addicti fuerint martyres, nisi sedulo tempora omniaque adiuncta expendantur.

Tab. 33. Quadraginta martyres Samariae. Tabella eburnea. (Ex Bode von Tschudi, *Beschreibung*, tab. 57, n. 440).

Tab. 33 quadraginta milites Samariae exhibet martyres, qui, ut notum est, post ora saxo contusa, per integram noctem in stagno congelato expositi sunt, anno circiter 320 in persecutione Licinii. Cuius repraesentationis imago parvae tabulae inest eburneae quae ad aevum Iustiniani pertinere potest.

CAPUT III.

De Sepulcris.

Art. I. — De sepulcris generatim, et praesertim de Romanis sepulcris.

Nemini dubium est, usum cadavera sepeliendi integra communem apud antiquissimos quosque populos fuisse, atque ritum quemdam sacrum extitisse.

Aegyptii et plerique Orientales populi cum defunctis quasi vivere consueverant,[1] atque parentum cadavera in domibus religiose asservabant. Statim atque aliquis e vita excederat, coniuncti ei oculos claudebant, inertia osculantes labia quasi animam excipere vellent; deinde lotum corpus et aromatibus pretiosisque oleis perfusum linteis candidis involvebant, aliquando pannis auro intextis et acu pictis: brevi, nihil negligebatur ut aut naturalis corruptio quam longissime retardaretur, aut omnino impediretur.

Mores isti in vitae futurae desiderio et fide radicem habebant. Picturae enim sepulcrales Aegypti, sicuti ars funerea Etrusca, et lateres efficti destructarum Assyriae urbium, in fide humani generis confirmanda circa hoc universale dogma mire concordant. Neque ab eo alieni Romani fuere; immo apud eos, sicut apud Carthaginienses, nihil poterat cuiquam gravius contingere quam sepultura privari, propterea quod id, iuxta religiosam il-

(1) Servius in 5° lib. *Aeneid.* affirmat, morem Romae fuisse, antequam lex XII tabularum promulgaretur, defunctos in ipsa sepeliendi domo ubi vitam degerant; cui consonat versus ille Vergilii:

Sedibus hunc refer, et conde sepulcro.

lius temporis doctrinam, aut semper, aut longum ad tempus a beatorum consortio excludebat. Quapropter saepe antiqui etiam erga hostem hoc obibant officium: sic, exempli gratia, legimus fecisse Annibalem erga Flaminii cadaver,(1) et consulem L. Cornelium erga Carthaginiensem ducem Annonem;(2) et licet servi, secundum *ius gentium* ut intelligebatur illis temporibus, nullam habere sepulcri communionem cum liberis civibus possent aut privatam sepulturam, sacer nihilominus sepulturae eorum locus habebatur:(3) ex quo obvius fit sensus illorum verborum Quintiliani in sua quinta *Declamatione*: « Hinc ille venit effectus quod ignotis cadaveribus humum congerimus ». Neque admittendum quod Senecae tributum legimus: « Non defunctorum caussa, sed vivorum inventa est sepultura, ut corpora et visu et odore foeda submoverentur ».(4) Certe sunt hominis stoici verba ista, unius scilicet illorum qui satis tunc cadavera cooperta putabant, cum erant sub dio, neque Senecae incongrua dici queunt; at omnes norunt quam parum in hoc sibi Stoici constiterint.

Sub finem Reipublicae, Romae fere universalis usus cremandi corpora defunctorum evasit. Verum si id ex temporum philosophicis doctrinis iudicare velimus, nullam impietatis cogitationem potuisse hunc inducere aut suggerere usum concludamus oportet; quamquam impietas multorum animos iam tunc pervaserat Romae. Animus enim a multis eiusdem naturae atque ignis putabatur,(5) qui illum facilius vi flammae de corpore

(1) Titus Livius, *Liber III Decad.*

(2) Valerius Maximus, lib. 5, c. I.

(3) Aristo apud Ulpianum, *Lege* 2, *ff. de religione et sumpt. funer.*

(4) *Lib. de remed. fortuitorum.*

(5) « Heraclitus », ait Servius (in 11° *Aeneid.*), « qui omnia vult ex igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi ». « Romani », teste eodem Servio (in 3° *Aeneid.*), « contrafaciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, idest in suam rediret naturam » (cf. Ovidium, lib. I *Trist. Eleg.* 4; Lactantium, lib. 2, c. 10; Quintilianum, *Declamat.* 10). Plinius autem, qui Epicuri de grege fuisse videtur, sic *ista puerilium*, ut eius verbis utar, *deliramentorum commenta* explicabat: « Post sepulturam variae manium ambages. Eadem enim vanitas in futurum etiam

exire pro certo habebant. Quamobrem in Plinio legimus rogi honorem non nisi ratione usis concessum, infantes vero noctu sepultos fuisse. Ceterum ipse Plinius parum antiquum morem cremandi cadavera Romae suo tempore fuisse, eumque a bellis in longinquis regionibus gestis initium habuisse affirmat. « Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti; terra condebantur... At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multae familiae priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus ». (1) Atque haec fuit extrema ipsius Syllae voluntas, legem talionis, quod Marii cadaver e sepulcro erui iussisset, timentis, ut a Plinio item scimus.

Quomodocumque sit, hic usus, in XII Tabularum lege inclusus, si initio quidem imperii invaluit ac poene dominatus est, parum tamen fuit duraturus; neque unquam in Gallo–Romanis regionibus et alibi praevalere potuit. (2) Praeterea, in ipsa Urbe, Marco Aurelio imperante, arcae marmoreae seu sarcophagi coepti

se propagat, et in mortis quoque tempora ipse sibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae; alias transfigurationem; alias sensum inferis dando, et manes colendo deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit » (lib. 7, c. 56). Postremo pyra obsequium redditum defuncto habebatur honorque non mediocris; quapropter talis negabatur honor sibi mortem irrogantibus, quippe qui, cum impii essent in semetipsos, scelestissimi inter omnes existimarentur: *Sepelierunt Aiacem*, narrat Philostratus in *Heroicis*, *corpus eius in terram ponentes, cum Calchas censuisset, fas non esse eos igne comburi qui se interfecissent.* Idemque de cadavere Meonis regis actum est, qui animam sibi ademit:

> Vetat igne rapi, pacemque sepulcri
> Impius ignaris nequicquam manibus arcet.
> (Statius, lib. 3 *Thebaid.*).

Sed vel apud infimos homines hoc vigebat, nam in statutis cuiusdam funerarii collegii Lanuvii constituti inter servos, hoc praescriptum legitur: *Item placuit quisquis ex quacumque causa mortem sibi adsciverit eius ratio funeris non habebitur.* (Inscriptio haec integra infra reproducetur). Mirum nostrae aetati exemplum: sentit homo se scelus committere sibi letum inferens!

(1) Plin. *Hist.* lib. 7, c. 54.

(2) *Hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito.*

sunt adhiberi non solum ad ossa igne arefacta, sed etiam ad cadavera integra recondenda; (hoc alterum praesertim propter Christianorum exemplum), atque exinde passim ita hic usus increvit, ut cremationem prorsus duo post saecula submoveret.[1] Quare Macrobius, qui saeculo v floruit, scribere potuit: *Urendi corpora defunctorum usus nostro saeculo nullus est* (*Saturn.* VII, 7).

Crematio in Oriente parum usitata fuit, apud populos autem Phoenicios nefandum crimen habebatur.



Tabb. 34-35. Tumuli.

Prisca sepulcri forma, apud populos Japheticos, erat simplex terrae aut lapidum acervus cadaver obruens, qui tumulus vocabatur: *Terrae congestio super ossa tumulus dicitur.*[2] Hic modus ad aevum attinet heroicum nec videtur apud Romanos regum aetatis in more fuisse. Tardius ingentes tumuli Horatiorum Curiatiorumque fratrum prope Urbem apparent, iique

(1) Egomet notare potui in quibusdam columbariis aevi Antonini, paucis abhinc mensibus inventis apud Romam, loculos pro integris corporibus alternatim dispositos cum urnis cinerariis.

(2) SERVIUS, *Aeneid.* III, 22.

ab antiquissimis tumulis Etruscae Ceretanae necropolis fere nihil differunt. Figurae hic propositae me omni descriptione facienda eximunt; notandum tamen ipsas ideam innuere Aepiti tumuli (apud Pheneam), secundum illa Pausaniae verba: γῆς χώρα..... λίθου κρηπῖδι ἐν κύκλῳ περιεχόμενον. (1)

Conus naturalem exhibet transitum ad pyramidem, de quo non sunt verba Servii omittenda: « Apud maiores nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur. Unde



Tab. 36. Sepulcra Horatiorum fratrum. (Status hodiernus).

natum est ut super cadavera pyramides fierent »; (2) hoc autem auctor dicebat de illis agens Vergilianis versibus:

> Fuit ingens monte sub alto
> Regis Dercenis terreno ex aggere bustum
> Antiqui Laurentis opacaque ilice tectum.
> (*Aeneid.* lib. XI, 849-50-51).

Illi igitur petrarum montes, hominum labore aedificati, quas pyramides dicimus Aegyptias, non sunt aliud nisi sepulcra,

(1) VIII, 16, 2.
(2) *Aeneid.* 846.



Tab. 37. Tumuli Ceretani.

quorum C. Cestii marmorea pyramis quae apud Romam, extra S. Pauli portam statim occurrit oculis, minuscula est imitatio, nobiliori tamen extructa materia.



Tab. 38. Sectio pyramidis Cheopsis.

Talis etiam multorum sepulcrorum, iuxta Appiam viam, forma fuit. Ista insuper alium immutationis gradum prae se ferunt; in eis scilicet pyramis cum mausoleo coniungitur. (1) Mausoleum autem dicitur immane quoddam sepulcrum cilindraceum ac in conum desinens, nomen autem a Mausolo rege Orientali sortitum, eo quod, ut Strabo testatur (V, III, 8), regi illi

(1) Homerus, *Iliad.* VI, 419.

ab amatissima eius sponsa Artemisia splendidum et ingens constructum est sepulcrum, quod posteri ab eius nomine mausoleum vocarunt. Augustus primo, posteaque Hadrianus Mausolum imitati sunt, eorumque moles adhuc admirantur visitatores Urbis. Prioris quidem sepulcrum in plebeium deformeque theatrum conversum est; posterioris autem monumentum, multis iam abhinc saeculis, in propugnaculum sta-



Tab. 39. Mausolei Hadriani restitutio. (Hodie *Castel Sant'Angelo*).

tivumque praesidium mutatum, Sancti Angeli Castellum, ut apprime notum est, nuncupatur.

Mausoleum generatim gradatae pyramidis formam reddit, quae forma pegmatis funebris propria erat: hoc saepe phari adspectum quoque habebat, ut indicaretur, fortasse, defuncti gloria hac in vita resplenduisse sicuti pharus in tenebrosa nocte. Pharus ergo gloriae symbolum in quibusdam numismatibus consecrationis imperialis conspicitur, praecipue ad veros ac pseudo-Antoninos pertinentibus. Denique pharus non deest in Christianis titulis, at aliud tunc significat alio loco explicandum.

Sane in hoc consistit potissimum inter Etrusca et Romana sepulcra discrimen; quod in istis omnes exterius sumebantur formae, in illis nihil renidebat foris, intus vero monilia deponebantur cum corporibus, arma, vasa pretiosa, omnia denique quibus solito ac libenter in vita mortui utebantur. Praeterea statuae, epitaphia, picturae intus tantum positae:



Tab. 40. Sepulcrum Priscillae. Sepulcrum Getae in via Appia Antiqua formam phari referens. (Restitutio architecti Canina).

perinde ac si defuncti adhuc viverent deque illis ornamentis gaudere possent.

Haec denique omnia semel clausa numquam oculus humanus conspicere poterat; proindeque illius temporis artifices aliquando longum insumebant tempus in sepulcris exornandis benignam impendentes ingenii venam qua praestabant, quin unquam eorum opus a posteris posset laudari. Ars autem plerumque defunctum respiciebat, pictura praesertim et sculptura. Apud Etruscos et Aegyptios nova describebatur penicillo vita defuncti apud inferos, casibus varia, in quibus et extremum iudicium et ad beatitudinem ingressus aliquando apparent.

Conceptus denique huius secundae existentiae effecit ut sepulcra formam vivorum habitationis assumerent quae vel ad sarcophagos, ad urnas cinerarias et reliquiarum capsellas se extendit.

Augusti Mausoleum populi procerae ipso in tumulo plantatae dominabant; ulmi Eetionis regis Thebarum inumbrabant monumentum,[1] cuius speciem oleae e sepulcro Messalae



Tab. 41. Internus Etrusci sepulcri adspectus.

Cottae aut cypressus in tumulis Horatiorum (Tab. 36) iuxta viam Appiam exurgentes praebent. In Arcadia cypressi Alcmeonis poetae tumulum ornabant; Romae Diti, seu Plutoni, sacra erat cypressus, quia semel obtruncata non amplius germinat, reddens ita veram mortis imaginem; funebris igitur arbor erat, atque ante domum defuncti, vel ipso in vestibulo figebatur si defunctus expositus in atrio locuples fuerat, iuxta illud Lucani:

Et non plebeios luctus testata cupressus.

(1) Pausanias, VIII, 24, 4.

Atque haec de sepultura divitum et heroum.

In Aegypto cadaver pollinctum et aromatibus conditum (vulgari lingua *mumia*) in capsa asservabatur plerumque lignea, aliquando saxea, quasi ad formam cadaveris involuti efficta.

Tab. 42. Picturae sepulcrales Etruscae funera repraesentantes.

Aliter vero in ceteris regionibus. Apud populos Phoenicios etiam vasa, exempli gratia amphorae, ut sarcophagi et capsae adhibita sunt, quae quidem amphorae illis forma similes erant amphoris quae apud Romanos cuniculis thermarum efficiendis inserviebant aliisque eiusmodi usibus.[1]



Tab. 43. Sarcophagus Aegyptius domus figuram referens.

Neque defuerunt simpliciores sepulturae formae: scilicet *dolmen*, ut vocant, seu saxea tabula duobus aut pluribus erectis lapidibus imposita; *menhirs*, seu longum sursumque subrectum saxum; *cromlechs*, seu lapis praegrandis aliis minoribus circumdatus lapidibus. Haec ubique in Palestina inveniuntur praesertim in regionibus montanis; sed dolmen etiam in Gal-

(1) CARUANA, *Ancient pottery from the ancient pagan tombs and christian cemeteries in the islands of Malta*, Malta, 1899.



Tab. 44. Sarcophagus saxeus Aegyptius cadaver pollinctum (mummia) continens.

liis reperitur et in aliis tum Europae tum Africae regionibus. Hodie titulo generico sepulcra huiusmodi *megalithica* appellantur.

Necropoles praeterea institutae sunt, numquam longe ab urbibus: in Aegypto, in Oriente, in Europa, ubique denique gentium, prope civitates urbs mortuorum sita. Quod si montana regio esset, tum montium in visceribus cadavera condebantur, unde mores ambo, nempe tum subdialibus in monumentis tum et in subterraneis cadavera deponendi eiusdem prorsus aetatis habendi sunt; sicuti utriusque generis sepulcrorum superstites ruinae atque historia luculenter demonstrant. Subterranea sepulcra hodieque in Aegypto, in Palestina, in Chersoneso Taurica, in Asia Minore, in Phoeniciorum coloniis, Melitae, Carthagine, in Sicilia, in Sardinia conspiciuntur: neque in Gallo-Romanis regionibus desunt, neque in Etruria praesertim maritima; nec denique apud ipsam Urbem. Sepulcrum, exempli gratia, Scipionum verus cryptarum labyrinthus est, cuius ingressus, eximio opere exornatus, iuxta viam publicam patebat.



Tab. 45. Capsa lignea Aegyptia cadaver pollinctum (mummia) continens.

I. B. De Rossi multa affirmat huiusmodi fuisse circum Romam sepulcra, quorum certissima vestigia ipse aliique superioris aetatis archaeologi notarunt. Ampère autem opinatur Iudaeorum catacumbas (nedum Christianorum) nonnisi illius modi



Tab. 46. Amphora-sepulcrum.

sepulturae fuisse incrementa.[1] Quantum veritatis huic insit illustris historici opinioni infra videbimus.

Partium sepulcri dispositio nimis varia non erat apud Romanos: conclave, vulgo solarium, intus vel supra patebat ubi parentabatur defunctis, quorum cineres vel relliquiae subter (perraro quidem supra) iacebant. Fistulae autem ita erant



Tab. 47. Amphora-sepulcrum (sepulcrum Phoenicio-Africanum).

dispositae, ut per eas vinum et lac libaminum ad ollam vel sarcophagum usque pervenirent. Ara ante monumentum erigebatur, non secus atque in fronte templorum; stela autem antiquitus in summo tumulo, postea intus est posita.

Stela, vel cippus, triplicis erat generis, nimirum funeraria, commemorativa et votiva. Prima plerumque etiam commemorativa erat, nam monumentum, quod ipsa saepe est stela,

(1) AMPÈRE, *L'histoire romaine à Rome*, vol. V, p. 142.

monet mentem, ut ait Augustinus, vel simpliciter *monet*. Corpus quidem abscondebatur ne profanaretur; supra illud vero aliquid

Tab. 48. Dolmen Palestinense.

viventes monere de eo debebat, quod innumerabiles inscriptiones Phoeniciae testantur et Sacra Scriptura confirmat. Stela



Tab. 49.

Tab. 50. Arae Romanae.



Tab. 51.

non raro in Graecis Romanisque sepulcris invenitur, numquam autem in sepulcris Aegyptiis deerat. In qua non solum epita-

phium incidebatur, sed saepe etiam defuncti figura divinitati obsequium praestans.

Stelae Assyro-Babylonicae innumerabiles prorsus supersunt atque commemorativae plerumque videntur.

Apud Cananeos, stelae commemorativae una et votivae fuere, sive in deorum sive in hominum honorem erectae essent. Ipsae maximo sunt historiae auxilio, atque in eiusmodi monumentis posterorum memoriae talia quandoque tradita inveniuntur, quae frustra in auctoribus quaererentur. Eiusmodi est obeliscus in quo victoriae Salmanasar describuntur, columna quoque Antonini, columna Hadrianea; nam et istae ut stelae haberi possunt, praesertim quod eorum forma non fuit exclusive propria stelae commemorativae, cum, tam in Oriente quam in Occidente, sepulcra Romana reperta sunt ad hanc efficta formam: in quibus scilicet basis tetragona locum sarcophagi vel ostothecae vel urnae cinerariae teneret, columna vero simul et operculum et stela foret.

Tab. 52. Stela funeraria Hegesiae.

Stela tabula 53 repraesentata formam coni refert, qui non est cum idea tumuli confundendus. Cono enim consimilis putabatur esse terra, idest quasi mons vertice ad coelum usque pertingens. Hinc sacra coni figura quae universam terram repraesentabat ad cuius verticem in praefata tabula stellae conspiciuntur ad coelum significandum.

Christianae stelae exemplum sit famosus cippus Abercii, cuius titulus christiana inscriptio omnium nobilissima est, quam-

Tab. 53. Stela triumphalis « Naram-Sin ».
(Ex M. de Morgan et P. Scheil, *Comptes rendus de l'Acad. des Inscriptions*, 1898, p. 677).



Tab. 54. Columna Hadrianea.

que I. B. De Rossi *reginam* inscriptionum Christianarum merito vocavit.

Denique stelae votivae in signum beneficii accepti erigebantur, unde non raro imaginem divinitatis faventis, praesertim in Oriente, ostendebant. Hinc patet stelam diversissimas formas sumpsisse.[1] Romae famosissima illa est

(1) Cf. P. Lagrange ap. *Revue biblique*, 1901, *Études sur les religions sémitiques*, p. 232. Ad originem stelae quod spectat eiusque characterem religiosum in quo determinando auctores insigniter dissentiunt, en quid illustris P. Lagrange loco citato habet:

« S'il est difficile de comprendre comment la pierre a pu devenir l'objet d'un culte, elle est comme désignée par la nature pour servir de point de repère et d'appui soit pour les conventions humaines, soit pour les souvenirs. Elle est aussi apparente, plus apparente que les arbres, elle demeure immuable et se trouve toujours à portée. Tel pic d'une forme caractéristique a dû souvent guider le nomade dans ses courses et, par une transition naturelle, marquer la limite entre les campements des tribus. Aujourd'hui encore ce sont des pierres non façonnées qui séparent le Djébâl du Chéra. Il était facile d'ailleurs de rouler une grosse pierre ou d'entasser des cailloux au lieu qu'on voulait déterminer. Et en même temps qu'une marque, c'était le souvenir d'un accord. De sorte que, si l'on n'est pas résolu d'avance à refuser aux hommes anciens d'autres concepts que ceux que domineraient l'idée religieuse, on peut voir dans la stèle une institution toute rationnelle. La pierre est naturellement commémorative, elle est votive en même temps, comme l'attestation d'un vœux accompli après qu'on a été exaucé; c'est le témoignage d'une grâce obtenue et du sacrifice promis qu'on a fidèlement exécuté ».

quae, paucis abhinc annis, in Foro Romano reperta est, de regum aetate testimonium praebens. Probabile est ipsam funerariam pariter atque votivam et commemorativam esse, sed



Tab. 55. Stelae Christianae Abercii restitutio
(Ex Wilpert, *Fractio panis*).

cum non amplius alphabetum, quo est redacta inscriptio eius satis intelligatur hodie, utpote quod in nullo alio monumento reperiri possit, eius interpretatio acriori et perpetuae controversiae obnoxia est.

De iis quae monumentum circumdabant infra redibit sermo.

Si defuncti vere heroes extiterant vel putabantur, divino veluti honorabantur cultu; monumentum vero, nihil fere a templo differens, *Heroon* vocabatur; unde columnarum usus in frontibus sepulcrorum construendis exornandisque non aliter ac templorum. Exinde patet ratio cur aliqua antiqua Romana sepulcra pro templis habita fuerint, immo hodieque a non paucis habeantur. Sic, exempli gratia, a quibusdam vanae et inconditae eruditionis ostentatoribus (nec sunt pauci) se archaeologos iactantibus, tamquam *fanum Rediculi* (post Hannibalis ad Capuam secessum in dextra viae Appiae erectum),(1) incolis et advenis sepulcrum quoddam Hadriani circiter aetatis digito designatur, nec prope viam situm, et in sinistra erectum.

Tandem quo magis relligio imminuta fuerat Romae, eo magis fastus monumentorum creverat. Cum Lege XII Tabularum cautum esset ne cum mortuis thesauri aut nimis pretiosa conderentur, omnes impeditas expensas Romani ad exteriorem et adspectabilem sepulcri partem addixere. Hinc sepulcra iuxta vias frequentiores exposita, mole, magnificentia, signis marmorumque splendoribus quasi defuncti gloriam, virtutem aut divitias viatoribus narrantia; quin et ipsa inscriptio veluti defuncti ore prolata, vel proferenda, ad transeuntem convertebatur: *Sta viator*. En typica huius rei exempla adhuc in via Appia extantia.

(1) In *Campo Rediculi* crematus est famosus ille corvus qui Tiberium, Germanicum, Drusum et populum ex rostris salutabat. Campus autem a Plinio situs dicitur: *Dextra viae Appiae ad secundum lapidem* (*Hist. nat.* X, 43 [60], ed. Lipsiana). Ceterum vox *templi* etiam sepulcrum significabat, nata inde superstitione, quod a veteribus cippi et tumuli amicorum defunctorum et parentum, pro templis religiose colerentur, ut ex Clemente Alexandrino in *Protreptico* patet (cf. GYRALDUS, *De diis gentibus syntagma*, 17; *Nonius Marcellus*, c. 6, n. 92). Hoc sensu fortasse intelligendum est Vergilianum illud:

> Praeterea fuit antiquo de marmore templum
> Coniugis antiqui.
> (*Aeneid.* lib. 4, v. 457).

HOC · EST · FACTVM · MONVMENTVM
MAARCO · CAECILIO
HOSPES · GRATVM · EST · QVOM · APVD
MEAS · RESTITISTEI · SEEDES
BENE · REM · GERAS · ET · VALEAS
DORMIAS · SINE · QVRA(1)

Antiquissima est haec inscriptio, quod patet ex geminatis vocalibus longis MAARCO et SEEDES(2) ex diphthongo EI in RESTITISTEI et ex littera O loco V in QVOM. Constat tribus versibus Saturniis. Alia inscriptio dicit:

Hospes · resiste · et · Hoc · ad grumum · ad laevam · aspice · ubei · continentur · ossa · hominis · boni · misericordis · amantis · pauperis · rogo · te · viator · monumento · huic · nil · male · feceris C · Ateilius · Serrani · L · Euhodus · margaritarius · de · Sacra via · in · hoc · monumento · conditus · est · viator · vale ex · testamento · in · hoc · monumento · neminem · inferri · neque condi · licet · nisei · eos · lib · quibus · hoc testamento · dedi · tribuique.

Hic notatu digna est perstans praesentia diphthongi *ei* in VBEI, et NISEI, ATEILIVS dum geminatio non apparet amplius.

Urgens Cicero in *Disputationibus Tusculanis* adversarium suum: *An tu,* aiebat, *egressus Porta Capena, quum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?* Argumentum ad hominem est istud in ore Ciceronis, sed perspicue qualis esset in Romanis illius aetatis conceptus vitae futurae patefacit (lib. I, c. VII). Ipso illo tempore, uti ferunt, mirabatur Cato quod non rideret aruspex aruspicem cum vidisset. Caesar, inter alia argumenta, quibus non esse

(1) « Le mort, dans une épitaphe qui est souvent une allocution adressée au voyageur, dit ce qu'il a fait dans cette vie, et parle très-peu de l'autre. Du reste, il veut être vu; on dirait presque qu'il veut voir encore. Son buste regarde les passants; sa statue, quelquefois couchée, plus souvent debout et drapée fièrement, les domine » (AMPÈRE, *L'histoire romaine à Rome,* vol. 4, *Les tombeaux romains,* p. 144).

(2) Cf. QUINTILIANUS, *Institutiones oratoriae,* I, 7.

morte plectendos Catilinae socios Patribus Conscriptis persuadere conabatur, hoc etiam tulit: *In luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse.*(1) Ipse Vergilius, qui tam pie, tamque suavi musa Troiani principis casus posteris tradidit, Lucretio, impii *De Rerum Natura* poematis auctori, ausus est his versibus congratulari:

> Felix qui potuit rerum cognoscere causas
> Atque metus omnes et inexorabile fatum
> Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Nec, praeter famam imperituram, aliam Horatius immortalitatem cupivit, Attica cum venustate canendo:

> Exegi monumentum aere perennius,
> Regalique situ pyramidum altius;
> Quod non imber edax, non Aquilo impotens
> Possit diruere, aut innumerabilis
> Annorum series et fuga temporum.
> Non omnis moriar, multaque pars mei
> Vitabit Libitinam: usque ego postera
> Crescam laude recens, dum Capitolium
> Scandet cum tacita virgine pontifex.

Hoc idem, mutatis verbis, Ovidius in *Metamorphoseon* libro exprimit.

Art. II. — De Romani soli natura et formatione.

Paucis circa ethnica sepulcra praemissis, ultro mihi exponendae occurrunt Christiani sepulcri notiones; quae nihilominus praevium quemdam requirunt conceptum de Romani soli natura. Id ergo statim quam brevissime absolvam.

Duplex Romani soli apparet natura: est videlicet antiquior pars marinis constans sediminibus ad *aetatem tertiariam* (quam vocant) pertinentibus. Cum enim mare Latialem regionem occuparet, undae quae in montes Sabinos ignivoma vi emersos

(1) Cr. Sallustius, *De coniuratione Catilinae*, 51.

illidebantur, secum revertentes non parvam trahebant materiam, lente in profundo depositurae. Ex quo factum est ut passim diversa formarentur strata sive sedimina; unde diversae etiam constitere rupes quas antiqui *sabulum, glaream, margam, argillam* vocarunt, quibusque usi sunt ad opera doliaria conficienda, vias solidandas aliaque plurima efficienda.

Ita iacentia sedimina, cum altera tertiaria periodus, pliocenica etiam vocata et vulcanica, adventaret, exturbata sunt, hac illacque rupta terraemotibus, obtruncata, commixta; saepe in cumulos redacta separatos et informes. His aquarum addita est actio iisdem caussis procellosa, quae spargere coepit quidquid Sabinorum, Vulsiniensium aliorumque ignifluorum montium crateres eructarent; quapropter, margosi illi cumuli, vulcanicis stratis cooperti, collium nuclei facti sunt quorum vertices tandem ex undis emerserunt. At paullatim etiam marinus fundus nova congesta materia ita excrevit, ut aquae in Tyrrhenum mare secederent, montiumque radices paterent; unde Romanum solum apparuit eodem fere modo montanum et sinuosum quale hodie conspicitur; solum, inquam, in superficie quidem vulcanicum, sed priscam suam revelans in visceribus naturam marinam.

Non est cur in intima rupium efformatarum compositione examinanda consistamus; earum status physicus dumtaxat instituto nostro inservit; is ergo considerandus. Tres praecipuae distinguuntur petrarum species, non tamen inter se praecisae, sed gradatione seu speciebus intermediis cuniunctae quae quidem sunt: 1° *lapis ruber* vel *saxum quadratum*, ita dictus ab antiquis causa eius coloris in rubrum vergentis et formae sub qua construendis aedificiis adhibebatur; hodie tophus lithoides (tufo litoide, tuf lithoïde) vocatur: 2° *arena*, quae partes supponit minime aut levissime inter se cohaerentes, quaeque optima ad calcem pro aedificiis parandam habebatur, unde ipsa calx ita confecta *arenati* nomen nacta est. De arena ait Vitruvius: « Ut ea sit idonea neque habeat terram commixtam;..... et quae manu confricata fecerit stridorem erit optima..... item, si in vestimentum candidum ea coniecta fuerit, postea excussa vel icta non inquinaverit neque ibi terra subsiderit, erit idonea ».

Haec proprie vocatur hodie *pozzolana*, sicut olim quae ex puteolanis proveniebat cavernis *arena puteolana* vel proprius *pulvis puteolanus* appellabatur. Improprie tamen etiam ab antiquis vocata est *sabulum*, quae denominatio fluvialem marinamque arenam potius significavit. Ceterum *arena* dicta fuit quaedam soluta terra, immo et quicumque lapis asperum et arenosum prae se ferens adspectum; unde nomina: *arenosus ager, arenosum solum, arenosae solitudines, arenosus lapis*; non semper tamquam vocabulo communi quamlibet arenae speciem apud antiquos designabant; nam non raro occurrunt denominationes istae: *arena marina, arena fluviatilis, arena fossicia.* Haec denique ultima colore item distinguebatur in *nigram, canam* et *rufam*; 3° *lapis arenarius* iuxta Servium,(1) *lapis bibulus* iuxta Vergilium, *lapis tophaceus* vel simpliciter *tophus* iuxta alios vocabatur, qui hodie *semi-lithoides* vel *tophus granularis* dicitur.(2) Hic lapis, licet minus, utilis quoque erat; nam quamvis legamus in Plinio: *Tophus aedificiis inutilis est mortalitate materiae,*(3) tamen his verbis Isidorus addit: *fundamentis tamen aptus..... ex aestu enim et habitu maris feritur, et verberatur imbribus.*

Iam vero, nullum, ait M. S. Rossi (magni archaeologi frater), nomen inveniri fas est quod tophum terrosum in quo catacumbae effossae sunt designet; atque hic, si cum tertia descripta specie recenseri debet, nihilominus longe alius ab illa apparet.

Christiani autem ad coemeteria excavanda omnium aptissimum tophum terrosum iudicarunt, quippe qui nullo periculo effodi poterat, et modico labore. Facile autem intelligitur duriorem lapidem rubrum se praebuisse quam ut fossores Christiani ad coemeteria paranda illum eligerent, cuius nempe excisio temporis viriumque plurimum requisiisset. Ex adverso arena vel *puteolana*, quae parvo labore fodiebatur, nisi hoc fieret sub dio, vel parietes fossionum tabulis murove munirentur, sine maximo perennique periculo excavari nequiverat.(4)

(1) VERG. *Georgicon*, lib. II, v. 348; S. ISIDORUS, *Etymolog.* lib. XIX, 9.

(2) BROCCHI, *Stato fisico del suolo di Roma*, p. 112.

(3) *Hist. nat.* 36, 22, 48.

(4) Verum quod de Romanis coemeteriis dicitur, non idem de ceteris

Quidquid insuper vel leviter usui esset, id multifariam apud Romanos nominatum, quod autem prorsus ad nihilum aptum esset in genere petrarum, nomine quoque destitutum evasit. Quae igitur sit educenda ex his conclusio videbimus postea; nunc de alia soli perturbatione loquendum est quae diversi petrarum generis fuit formationis caussa, quod quidem nedum fuerit olim, et hodie perutile est.

Constat inter geologos, post tertiariam periodum, vim frigoris terram operuisse nostram immensis glacierum crustis. Multa animalium genera loca calidiora petierunt, pluraque etiam migrando perierunt. Subsecuto deinde suo tempore aestu, vehemens glacierum fusio immensis fluminibus ortum et incrementum dedit quorum furiosissimi fluctus multis in locis soli figuram mutarunt, colles saepe aequando, aut dividendo, aliquando etiam ex parte transferendo. Sic formatae sunt valles quae aliud non sunt nisi fluminum alvei; quod si vero aquarum illius temporis copiae maximos etiam torrentes fluviosque qui adhuc in istiusmodi serpunt vallibus comparaveris, hos recte parvulos rivulos appellare poteris. Hac turbatione autem geologica formatae sunt variae concretiones calcariae plus minusve ceteris vulcanicis organicisque elementis commixtae. Hae in graduato secundum duritiem ordine dispositae, a *lapide tiburtino* (hodie *travertino* vocato) durissimo, denso, cuius usus non paulum Romanorum architectorum ingenia exercuit, Reipublicae praesertim temporibus, nec non nostris: ad quamdam transeunt desinuntque congeriem omnium petrarum, calcaria conglutinatam materia, quam *tophum scabrum* alii, *lapidem bibulum*, atque etiam *lapidem arenarium* alii vocarunt.(1)

dicendum. Non enim raro, neque solum ita inveniebatur aptum, neque necessitas excavandi parandique sepulcra tam urgebat sicuti Romae, ubi et plebs et Christiana Ecclesia numero ceteras ecclesias et plebes Christicolas superabat. Hinc est quod plerumque extra Romam coemeteria subterranea non solum in durioribus rupibus, sed etiam multo ampliora effossa sunt, licet longe minus extensa. Sed de hoc redibit sermo.

(1) Cf. M. S. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. I. *Appendice.*

ART. III. — **Origo Coemeteriorum Christianorum, Coemeterii vocabulum Christianum est.**

« Christiani sepultura, a priscis iam temporibus ipsisque persecutionum saeculis, actio fuit religiosa quam Ecclesiae preces comitabantur. Ut unum citem testimonium antiquissimum, usum hunc constantem solemnemque fuisse demonstrans, aliqua Tertulliani verba hic transcribam, quae hac in re commemorari non solent. Tertullianus enim capite vigesimo nono libri *De Anima* narrationem refert vulgo, illa aetate, probe cognitam: *scio foeminam quamdam vernaculam Ecclesiae forma et aetate integra functam post unicum et breve matrimonium cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque condita pace situi suo reddidisse.* Neque sepulturae dumtaxat adstabat orans sacerdos: etiam anniversario depositionis die preces et sacrificia renovabantur, cuius anniversarii solemnitas erat omnium maxima ad martyrum sepulcra; idque quam explicita atque vetusta testimonia doceant in certissimis ecclesiasticae historiae documentis nemo ignorat. Martyrum fideliumque sepulturae officium maximi in primitiva Ecclesia habebatur idemque carissimum; adeo ut Romani presbyteri, Sede vacante post S. Fabiani martyrium, scribentes Carthaginiensi clero pastore destituto propter absentiam S. Cypriani, maxima inter monita hoc posuerunt: *et quod maximum est, corpora martyrum aut ceterorum si non sepeliantur, grave periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus.*[1] Praeterea notum est, pecuniam in arca ecclesiae collectam ex ultroneis fidelium largitionibus, pauperibus, viduis, pupillis subveniendis, eisque post mortem convenienti sepulturae dandis erogatam fuisse;[2] atque ita religiosus et sacer huiusmodi Ecclesiae thesauri usus putabatur, ut saeculo quarto S. Ambrosius doceret: *humandis fidelium reliquiis...*

(1) V. S. CYPRIANI *opp. ed. Balut. Epist.* II (aliis III et IV).
(2) V. TERTULL. *Apolog.* c. 39.

vasa ecclesiae etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. (1) Pauca haec de priscis Christianorum ritibus ac legibus, etiamsi ipsa antiquitatis documenta muta essent, sufficerent ut intelligeretur Christianorum sepulcra ab ethnicis monumentis alia et separata fuisse; sancta habita, praesertim si essent martyrum; curis ac patrocinio sacrorum ministrorum concredita, necnon liberalibus piisque ecclesiae benefactoribus. Quod autem revera ita se habeant res, facta, documenta, monumenta, quorum historia plena est, confirmant». (2)

Iam inde ab Evangelii praedicationis initio, Apostolis curae fuit coemeteria instituere ubi Christianam fundassent communitatem, ut fidelium cadavera loco conveniente conderentur. Tacet de hoc Scriptura, sed antiquissima documenta, ubi Christianorum coemeteria urbis Romae recensentur, de quodam coemeterio ad *nymphas S. Petri*, ad *fontem S. Petri*, ad *sedem ubi prius sedit S. Petrus* mentionem faciunt quod in Actis Liberii Papae vocatur Ostrianum, ubi Petrus *Apostolus baptizaverat.* (3)

In Asia sepulcra Christiana plerumque familiaria fuere, in rupe durissima effossa, neque, saltem saeculo primo, ab Hebraicis sepulcris distincta, quod Romae fieri non potuisse videtur, cum iam a Neronis persecutione Christiani a Iudaeis modo decretorio secernerentur. Petrum autem sepultum dicere in gentilicio ethnicoque hypogeo, ut quidam volunt, meram est hypothesim enunciare. Etenim non deerant Christiani *de domo Caesaris* qui apud ipsas Neronianas possessiones et iuxta viam Aureliam sepulcrum haberent. Patet vero non potuisse Christianis commune esse cum ethnicis coemeterium, cum isti in defunctis honorandis ritus complerent Christianis sepulcris prorsus incongruentes, Christianique talibus prosequi

(1) *De Officiis*, lib. II, § 142, Venetiis, t. III, p. 124.

(2) *Roma sotterranea*, t. I, pp. 83–84.

(3) *Acta Liberii et Damasi*; CONSTANT, *Epist. rom. pont.* p. LXXXVI; *Append.* col. 87, MIGNE, *Patrol. lat.* VIII, p. 1888–83 (cf. col. 92); DE ROSSI, *Roma sotterranea*, t. I, pp. 133 sqq.; *Acta Sanctorum*, 16 ianuar. (*Passio Marcelli*).

defunctos obsequiis deberent, quibus ethnici adsistere nequirent. Evidens quoque est, modum defunctos sepeliendi fidei de corporum resurrectione congruentem nonnisi in Hebraica sepultura inveniri: quod scilicet cadaver, intactum, in virgine terra,[1] veluti in lectulo, ubi beatam resurrectionem expectaret, sollicite deponeretur. « Quae resurrectionis fides », ait I. B. De Rossi, « cum esset commune spei vinculum universae Christianae fraternitatis, atque martyrum sepulcra orantes sibi attraherent fideles, fierentque veluti centrum sacrorum conventuum ad divina mysteria celebranda; natura factum est ut et fidelium sepulcra pedetentim circa fidei heroum sepulcra congregarentur. Itaque, licet nulla videatur viguisse lex adigens Christianos ut in communi fratrum loco sepulcrum haberent, immo quamvis certum sit, sepulturam in privatis locis et monumentis gentiliciis, dummodo nulla fieret cum ethnicorum sepulcris mixtio, fuisse Christianis permissam, tamen cum communia coemeteria invenimus ab Ecclesia generatim adoptata ab immemorabili, tum vero pleraque videmus privata vel haereditaria sepulcra ampliata atque usui omnis fidelium coetus erogata fuisse et cum maioribus Christianis necropolibus coniuncta ».[2]

Verum enim huiusmodi necropolium proprium nomen non

(1) Ethnici quoque eiusmodi cura sollicitabantur, sed aliis de causis. Praestat verba eruditissimi LECLERCQ citare qui optime hoc argumentum tractavit (*Dictionnaire d'arch. chrét. et de liturgie*, art. *Ascia*, col. 2950): « L'importance qu'on attachait au tombeau avait introduit des raffinements, des délicatesses où se révèle toute la finesse des anciens, toute leur insurmontable répugnance pour la promiscuité qui souille les corps, même au-delà de la mort. Afin de n'être pas exposé à recevoir dans son sarcophage les ossements d'un intrus, il n'est pas d'imprécations, d'anathèmes, d'amendes, de menaces qu'on ne prodigue; mais on ne s'arrête pas là. On veut reposer dans un sarcophage ou sous un cippe que nul n'a possédé auparavant; on en fait choix dans les entrepôts des marchands, ou même dans les carrières, et le bloc rendu à destination, on le confie à l'*Ascia* du polisseur et au ciseau du graveur. C'est donc une pierre vierge que le travail de l'ouvrier va transformer en un monument inviolable; on le marque du symbole de l'*Ascia* indiquant qu'elle a reçu dès sa destination primitive une consécration éternelle ».

(2) *Roma sotterranea*, t. I, p. 5.

est illud, quo vulgo hodie appellantur, scilicet *catacumbae*; sed *coemeterium*, ex graeco vocabulo κοιμητήριον quod omnibus, ethnicis non exclusis, *dormitorium* significabat. (1) Fidelis corpus, ut dixi, deponebatur in sepulcro veluti in lectulo, nec levitas terrae ei poterat augurari, quippe qui ea minime premeretur, omnesque Christianae epigraphicae formulae in hoc maxime



Tab. 56. Sepulcrum in saxo excisum, El-Bared (Arabia).
(Ex *Revue biblique*, an. 1905, p. 588).

conveniebant, ut *dormitionem, depositionem,* (2) *somnum pacis*, etc. sepulturam vocarent. Quamobrem etiam conclavia hac illac in

(1) RENIER, *Inscriptions de l'Algérie*, n. 2031. Vox ista etiam in iudaicis epitaphiis legitur quae graece plerumque sunt conscripta. Ceterum hic usus ex eo profluisse videtur, quod verbum κοιμάω eiusque varia tempora in libris Novi Testamenti usurpatum fuerit ad ultimum somnum significandum: *Matth.* XXVII, 52; XXVIII, 13; *Luc.* XXI, 45; *Iohn.* XI, 11; et in ceteris passim (cf. *Thesaur. graec. ling.* vocab. κοιμητήριον).

(2) *Depositio* vox tam Christianorum sepulturae congruens, quippe quae temporanea esset et veluti somnus; apud ethnicos, praeterquam rarissima foret, longe aliud significabat. Fiebat enim, ut aliquando non sta-

coemeteriis effossa, cum aeque ac ceterae cryptarum partes sepulturis deservirent, *cubicula* vel *cubiculi* dicebantur, quamquam hoc ultimum vocabulum pagana quoque sepulcra designabat.

Romae vocabulo *coemeterium* integra cryptarum series inter se communicantium indicabatur; in Graecia vero atque in Graecis epitaphiis Magnae Graeciae etiam unicum sepulcrum hoc titulo saepe appellabatur. Aringhi quamdam evulgavit sarcophagi inscriptionem quae sarcophagum KOIMHTHPION vocabat, (1) item in altera inscriptione Narbone inventa simplex sepulcrum hoc insignitur titulo: KYMETERION. (2)

In uno ethnico sepulcro dumtaxat, in Africa invento, vocabulum *coemeteria* legitur, indicans varias ac gentilicias tumbas unius hypogei:

COEMETERIA · MEMORIAE · GENTIS · LEPIDIORUM ·
L · LEPIDI · NAMPVLI · ET · STENNIAE · POLITAE
ET · HEREDVM · HEREDVMVE · EORUM · VIVVNT · IN
DIEM · SVVM · ISTANTIVS · FEC · (3)

Verum quod inscriptio haec sit ethnica ultimo non apparet; praeterea, si Instantius iste idololatra dicendus est, potuit tamen, hoc vocabulo COEMETERIA utens, Christianos imitari. Coemeterii ergo nomen Christianis dumtaxat sepulcris historice convenit, atque a Christianis hanc novam habuit acceptionem.

tim posset corpus aliquod in proprium sepulcrum efferri, aut quia monumentum esset adhuc perficiendum, aut alia de causa. Tunc vero corpus deponebatur, scilicet condebatur ad tempus, ut postea in proprium religiosum locum transferretur. Huc facit illud legis praescriptum: *Si quis eo animo corpus intulerit, quod cogitabat inde alio postea transferre, magisque temporis gratia* DEPONERE *quam quod ibi sepeliret mortuum, et quasi aeterna sede dare destinaverat, manebit locus profanus* (IULIUS PAULUS, *De religios. et sumptibus funer.* IC, l. 40).

(1) *Roma subterranea*, t. I, p. 5.

(2) *Corp. inscrip. gr.* t. IV, nn. 9228, 9304, 9305, 9306, 9310 sqq. Cf. BAYET, *De titulis Atticae christianis*, Lutetiae Parisiorum, 1878, p. 130, vocab. κοιμητήριον; W. M. RAMSAY, *The cities and bishoprics of Phrygia*, Oxford, 1897, t. I, part. II, pp. 530, 539, 559 sqq. 719 sqq. 733.

(3) RENIER, *Inscriptions de l'Algérie*, n. 2031.

Catacumbae vero nomen, praeterquam quod solum S. Sebastiani coemeterii saeculo III proprium fuit, minime antea (et post saeculum X tantum omnibus subterraneis Romae coemeteriis designandis conversum est), tot, tamque diversas sortitum est interpretationes apud Christianae vetustatis cultores, ut hodie nihil magis in controversiam veniat. Omnes quidem uno ore primam vocabuli partem praepositionem esse graecam κατά affirmant; sed in secunda parte declaranda insigniter discrepant. P. Marchi eam putavit latinam, a *cubando* derivatam, propterea quod vox *cumbo*, cum ei praepositio aliqua praefigatur, ex. gr. *ad*, *cum*, *de*, iacendi significationem sumit. I. B. De Rossi vertit: *ad accubitoria*, proindeque in idem recidit atque eius magister.[1] Industriosa est Du-Cange explicatio: « Cum martyrum corpora deferrent Christiani, et



Tab. 57. Catacumbae Hadrumeti (Africa). (Ex *Nuovo Bull. di archeol. crist.*, an. 1905).

(1) Cf. I. B. Lugari, *Le Catacombe ossia il Sepolcro apostolico dell'Appia*, Roma, 1888, pp. 7–10; et eiusdem, *S. Sebastiano*, Roma, 1889, pp. 52–54, in nota. Clarissimus hic auctor, Hesychium Graecum grammaticum secutus, putat totum esse graecum vocabulum *Catacumbas*, ex κατὰ κύμβος quod vertit *in cavo recessu, in cavitate.* « È chiaro », ait, « che quel se-

rogarentur, ubinam iacerent: respondebant *Cata Cumbas*, seu ad cumbas, idest cryptas, vel ad valles aliquot ab Urbe milliariis ». (1)

Nihil dicendum puto de lectione *Catatumbas*, quae in *Libro pontificali* ter occurrit; videlicet in Pontianum, qui falso ab auctore *Epitomae Cononianae* dicitur in *cimiterio Catatumbas* sepultus. Deinde in Cornelium: *Hic... corpora apostolorum Petri et Pauli de Catatumbas levavit noctu;* et in Damasum: *Hic fecit basilicas duas, una beato Laurentio iuxta theatrum et alia via Ardiatina, ubi requiescit, et in catatymbas,...* (2) Haec lectio hodie ab omnibus reiicitur.

Christiana igitur coemeteria non fuerunt Romae inventum quoddam vovum, sed hypogea ampliata; neque gentilibus deerant coemeteria eiusmodi, quorum unum ad quartum viae Flaminiae milliarium conspectum est a Fabretti, qui in *Inscrip. Domest.* p. 55 haec habet: *Necdum crematione instituta, in topho indigena excavatum sepulcrum... qualia in nostris christianorum coemeteriis visuntur.*

Quod autem de Roma dicitur, etiam de ceteris Christiani orbis partibus affirmandum est, ut in decursu huius libri demonstrabitur. Insuper, antequam Christiana fides Romae nunciata est, ibi iam pergrandis Iudaeorum colonia exstabat coemeteria propria atque a gentilibus sepulcris omnino separata possidens in communi, cum et Iudaei aeque ac Christiani fidem in finali corporum resurrectione profiterentur, timerentque per

polcro è precisamente in *cavo recessu*, non solo in una convalle, in una gola di colline, ma è propriamente situato in una cavità di questa convalle e la cella sepolcrale costruita, come poi dimostrerò, nel terzo secolo è per due terzi fabbricata sotterra e per un terzo sopraterra; ne segue quindi che, se la voce *catacumbas* si supponga composta dal greco κατά (*in*) e dal greco κύμβος (*cavus recessus*), serva assai giustamente ad indicare il sepolcro Apostolico dell'Appia il quale è veramente in una cavità, ossia grecamente ὁ τάφος κατὰ κύμβος (loc. cit. p. 9).

(1) *Glossarium ad script. mediae et infimae latinitatis*, t. II, art. *Catacumba* et *Cumba*.

(2) Mommsen, *Mon. Germ. hist., Gest. pont. Rom.* 25, 4; 29, 5; 83, 8, 11, 22.

commixtionem sepulturarum cum ethnicis, sanctorum sepulcra, idest suorum, maculari. In via Portuensi quoddam venit in lucem Iudaicum coemeterium fere penitus deletum, quod Bosius iam descripserat,[1] et Christiano aevo anterius affirmaverat; merito quidem, nam et hodie eadem antiquitatis indicia in his sepulturis facile recognoscuntur, ita ut verisimiliter Magni Pompei aetati tribuendae videantur. P. Marchi prototypon Christiani coemeterii coemeterium illud putavit;[2] at I. B. De Rossi opinatus est, fortasse melius, Christiana et Iudaica coemeteria commune archetypon habuisse in Palestinensibus sepulcris. Ista enim, « et usus eorum, generalis apud populos Semiticos, bene potuerunt prototypon suggerere, cui tamen defuerunt et multiplices anfractus et viarum intextus quae, inter plura hypogea seu cubicula effossae, cadavera in parietibus servarent. Speciale igitur religiosae ac civilis communitatis vinculum quod Hebraeos in metropoli paganismi degentes coniungebat et ecclesiastica communio qua Christiani cor unum et animam unam constituebant; postremo vulcanicae rupes Romani soli ad necropolim subterraneam excavandam aptissimae effecerunt ut, utrique, Christiani et Iudaei, vias funebres coemeteriaque illa sponte excavarent, quin alteros imitarentur ».[3]

ART. IV. — 1. **Verborum, quibus praecipue Christianorum coemeteria designantur, explicatio ; 2. Christiani hypogei nomenclatura.**

Variis Christiana coemeteria vocabulis indicantur tum in epitaphiis, tum praesertim in auctoribus; quorum cognitio admodum studiosis necessaria est. Haec frequentius occurrentia : *Area, crypta, crypta arenaria, arenarium.*

AREAE. — Ita vocata coemeteria Christiana in Africa fuisse Tertullianus est testis : *Sub Hilariano praeside de areis*

(1) *Roma sotterranea*, Opera postuma, lib. II, c. XXII, pp. 186 sqq.

(2) *Monumenti primitivi*, pp. 20, 21. Huius coemeterii illustrationem Müller Berolinensis professor assumpsit, eaque egregia ab omnibus expectatur pro viri doctrina singularique sedulitate.

(3) *Roma sotterranea*, t. I, p. 90.

sepulturarum nostrarum acclamatum est: areae non sint:[1] atque in actis S. Cypriani legitur, eius corpus *in areis Candidiani Procuratoris* depositum fuisse.[2] Hac in provincia, Christiana coemeteria plerumque subdialia erant, quare ibi voce *areae* raro coemeterium subterraneum intelligitur in antiquis documentis: dixi raro, nam inceptae iam pluribus abhinc annis fossiones aliqua subterranea coemeteria eiusdemque generis ac Romana coemeteria revelarunt.

Pretiosissima quaedam inscriptio inter urbis Caesareae ruinas inventa sic habet: *Aream ad sepulcra cultor Verbi contulit* (Tab. 58).[3] Quamobrem evidens apparet *areae* vocem non semper, sicut in Africa, accipiendam esse ut idem ac *coemeterium* significantem; sed veluti partem soli designantem quae sepulcrum circumstet atque ad illud pertineat; quod indicatur verbo *cedere: Huic monumento cedit area*..... ut si scriptum esset: *Ad hoc monumentum pertinet fundus* (*vinea*, *hortulus*, etc.).[4]

(1) TERTULL. *Ad Scapulam*, c. 3.

(2) *Acta sincera* apud RUINART, p. 219.

(3) RÉNIER, *Inscrip. d'Algérie*, n. 4025.

(4) De area postea loquendum. Notandum hic venit, aream sepulcralem vocatam etiam fuisse *hortum*, cuius nominis rationem dat Armellini in suo pretioso opere: *Gli antichi cimiteri di Roma e d'Italia*, pp. 50–51; en eius verba: «Se i cimiteri alla superficie del suolo costituiti in Roma avessero un nome generico diverso dal sotterraneo, l'ignoro, è probabile di no; in Africa però dove i cimiteri erano soltanto alla superficie del suolo presero il nome più volte ricordato di *areae Christianorum*».

«Ma sì le *areae* d'Africa, che i cimiteri all'aperto cielo di Roma e d'Italia erano come gli odierni campisanti, ombreggiati da piantagioni ed allietati da fiori, trasformati cioè in giardini. Di qui ebbe origine la parola *hortus* (giardino) dato ai cimiteri suddetti, e della quale abbiamo fatto menzione. Questi orti erano secondo l'uso sepolcrale giudaico-cristiano, e certamente ai fedeli carissimi perchè ricordavano l'*hortus* che era presso il luogo della crocifissione e nel quale fu sepolto il divin Redentore; *et in horto monumentum novum* (*Ioann.* XIX, 41)».

«Allorquando presso le superiori basiliche cimiteriali, negli atri cioè delle medesime si cominciò a seppellire, quella denominazione non fu dimenticata, ma alla medesima dato anzi un senso spirituale, relativo al giardino celeste in cui si deliziano le anime dei beati. Ed è perciò che *paradisus* si chiamava l'area cinta di portici dinanzi la basilica vaticana,

Crypta. — Vocabulum hoc idem sonat atque *subterraneum*, quicumque fuerit finis propter quem effossum est. Ut terminus epigraphicus Christianus coemeterium subterraneum significat: « Solebam, ait S. Hieronymus, cum ceteris eiusdem aetatis,.... crebro cryptas ingredi, quae..... per parietes habent corpora sepultorum ».(1) Et in *Libro pontificali* legimus de Caio pontifice: *Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis confessor quievit.* Altera vero minus antiqua eiusdem libri recensio habet: *In cryptis habitando martyrio coronatur post annus* (sic) *VIII.*(2)



Tab. 58. Evelpii inscriptio Caesareae in Mauritania inventa.

Cryptae vocabulo integra subterranea via saepius intelligenda est quo in sensu scriptum videmus in calce commissuras cuiusdam loculi claudente in coemeterio Priscillae:

Undecima cripta secunda pila Gregori.
(Vide Tab. 79).(3)

Alterum autem epitaphium a Marini excriptum, quod is vidit *apud Sacristam Pontificis* dicebat:

Locus trisonus (*sic*) Victori in cruta (*sic*) Damasi.

ove si soleva seppellire ». De sepulcris in area ante antiquam basilicam Vaticanam sitam egregiam invenies illustrationem in periodica ephemeride *Civiltà cattolica*, aa. 1903–1904.

(1) *In Exech.* c. 40.

(2) Mommsen, *Gesta pont. Rom.* p. 39.

(3) Marucchi ap. *N. Bull. d'arch. crist.* an. 1904, pp. 207, 437.

Ad hoc quod pertinet illud notandum, quod, si S. Damasi corpus in subterraneo positum erat, nomen *Damasi crypta* (cruta) pro cubiculo vel potius subterranea basilica accipiendum est, cum legamus in *Libro pontificali* de Damaso pontifice: *Qui etiam sepultus est via Ardeatina in basilica sua III id. Decemb. iuxta matrem suam et germanam suam.*[1] At si basilica illa, quam ipse Damasus construendam curavit,[2] sub dio constructa erat, tunc nomen *cryptae* in Victoris inscriptione subterraneum coemeterium indicat, de quo *Index coemeteriorum* e *Notitia regionum* excerptus mentionem facit.[3]

Curiositati quam quaedam forsan relatarum inscriptionum verba in animo excitaverint lectori infra satisfaciam.

Crypta arenaria. — *Cryptae* vero titulo non raro *arenaria* verbum adiicitur. Quapropter in Actis Ss. Marci et Marcelliani, hos legimus sepultos *in loco qui dicitur ad arenas;.... quia cryptae arenarum illic erant, ex quibus Urbis moenia aedificabantur.*

Porro M. S. De Rossi notat *cryptae arenarum* non esse vocabulum, ut nostri dicunt, technicum, apud Romanos antiquos *arenae fodinas* significantem; istae enim, praeterquam hac denominatione, *arenaria* vocatae sunt, neque aliter unquam appellatae fuerunt, ne infimae quidem latinitatis temporibus. Suetonius unus poetica et inusitata formula *specus egestae arenae*, arenae fodinam appellavit. Quamobrem videtur certum το *cryptae arenarum* locutionem esse ab auctore Actorum Ss. Marci et Marcelliani inventam, ut locum sepulturae prope *arenaria* esse indicaret.

Non est huius voluminis quaestionem de situ disserere, ubi praefati martyres et pontifex Damasus depositi sint,[4] cui

(1) Mommsen, op. et loc. citt. p. 84.

(2) Mommsen, op. et loc. citt. p. 83.

(3) De Rossi, *Roma sotterranea*, t. I, p. 180. Cf. *Itineraria* ad calcem libri.

(4) Quae iam sextum ante annum coeptae sunt fossiones P. P. Cisterciensium Ref. cura, et ab Archaeologiae Sacrae Commissione directae, ubi coemeterium S. Damasi fuisse putabatur; hae in lucem posuerunt, praeter

alioquin quaestioni eruditissimi viri Wilpert et Marucchi magistri mei, animum adiecerunt; hoc unum declarabo, quod ad rem praesentem facit, nempe, cum non longe a loco, ubi inscriptionis *Hic Damasi mater* impressio inventa est eiusque originale fragmentum, extent immanes optimae arenae fodinae antiquitus excavatae, S. Damasi basilicam, si non, ut Wilpert opinatus est, illa ipsa fuit crypta quae iam vocabatur *duodecim Apostolorum*, apud quam iacebat impressio, hinc tamen non esse procul quaerendam, atque potius viam Ardeatinam versus, propterea quod post visa S. Damasi et martyrum Marci et Marcelliani sepulcra, peregrinantes saeculi septimi viam hanc transibant Nerei et Achillei sepulcra visuri, aut viceversa.(1) Sed de hoc in praesenti satis multa.

Vox *crypta* in tribus Romae subterraneae punctis reperitur adiectitio *arenaria* cognomento coniuncta, scilicet in sepulcro Ss. Nerei et Achillei, in sepulcro S. Laurentii via Tiburtina, et in sepulcro Tertullini via Latina. Horum igitur examen necessario difficultatem solvere debet. Porro ad S. Laurentii sepulcrum quod pertinet, liquido patet *basilicam super arenariam cryptam* ibi iussu Constantini Magni constructam, neque super neque prope arenarium sitam esse. Immo solum circumstans terrosum valde est, friabile et quod hodie vulgo *cappellaccio*

plures regiones coemeteriales initii saeculi quarti, etiam cuiusdam *domus rusticae* ruinas thermarum adspectum habentis, quae hodie, excavationibus procedentibus, magis in dies nobiles ingentesque apparent: praeterea valde videtur adhuc effodiendum ut integre detegantur. Verum hucusque incassum aliqua vel minima indicatio sive vestigium speratum est, quod adminiculum praeberet archaeologis ad cryptas subsistentes determinandas. Isti quidem in unum conveniunt, esse scilicet effodiendum amplius; at in ceteris mire dissentiunt. Non unius tantum coemeterii nomen inferioribus cryptis indi potest, nam eas quidem I. B. De Rossi Balbinae coemeterium vocavit; sed tria saltem hodie coemeteria ibi conterminare dicenda sunt, videlicet Damasi, Marci et Marcelliani, Marci et Balbinae, vel Basilei. Cryptae coeptae videntur Diocletiani temporibus, ampliatae autem a pontificibus primae IV saeculi partis, fortasse etiam posterioris aetatis. Sed quid de ruinis dicendum? Spero clariores notitias referre hoc ipso in opere, cum ad singulorum coemeteriorum descriptionem pervenerim.

(1) Cf. tabellam *Itinerariorum, Via Ardeatina* ad calcem libri.

Itali vocant, ad nihil prorsus aptum, proindeque ab antiquis Romanis nullo insignitum nomine.

Idem omnino dicendum de sepulcro Ss. Nerei et Achillei via Ardeatina, quod etiam dicitur esse *in crypta arenaria*. Etenim ibi nobilissimae amplissimaeque regiones sepulcrales extenduntur, eaeque multiplicis ordinis; at nihil occurrit aliud nisi tophus niger, terrosus, omnium denique ineptissimus. Sepulcrum autem viae Latinae, nondum inventum est; sed ex sepulcrorum iam repertorum examine satis colligitur, ut affirmari possit: hoc *cryptae arenariae* vocabulum iuxta Christianam saltem significationem, synonymom arenarii non fuisse.(1)

ARENARIUM. — Quod dictum est de *crypta arenaria*, idem non convenit vocabulo *arenarium* quod semper *arenae fodinam* designavit. Quinque in locis ista denominatio invenitur, quorum duo pertinent ad sepulcrum S. Cornelii qui dicitur via Appia *iuxta coemeterium S. Callisti in arenario depositus*, et ad sepulcrum S. Hippolyti item via Appia sepulti *in arenario ubi* cum sociis *consueverat convenire*. Alii duo ad Salariam Novam spectant, atque indicantur in Actis Ss. Chrysanthi et Dariae, qui clausi in *arenario, illic terra et lapidibus obruti sunt*, et in Actis S. Marcelli, ubi S. Crescentionis sepulcrum situm dicitur *in arenario, in coemeterio Priscillae*. Denique de Ss. Quattuor Coronatis legimus, *via Lavicana, milliario plus minus tertio in arenario* sepultos fuisse.

Ad S. Cornelium quod spectat, parum accurate scriptum in posterioribus recensionibus *Libri pontificalis* videtur *in arenario*; nam rupes ibi tota alia est quam arenaria. Hic fortasse scribendum fuisset ut M. S. De Rossi opinatus est, *supra* vel *iuxta arenarium*, quia in inferiori ordine cryptarum arenarium extat pergrande. Ceterum aliud tantae incuriositatis in *Libro pontificali* exemplum conspicitur, martyres enim Primus et Fe-

(1) Id fit evidentius ex eo quod, ut M. S. De Rossi demonstrat, «il vocabolo *arena* benchè antonomastico della pozzolana, non è esclusivamente proprio di essa, e che l'aggettivo *arenarius* si dava alle rocce anche calcari o silicee e perfino lapidee, purchè avessero le esterne apparenze dello stato arenoso» (*Roma sotterranea*, t. I, p. 25, *appendice*).

licianus inventi leguntur *in arenario sepulti*; cum in eorum Actis sepulti *iuxta arenarium* dicantur.

De ceteris testimoniis, nempe de S. Hippolyto eiusque sociis sepultis *in arenario ubi consueverant convenire*, necnon de Ss. Chrysantho et Daria et Crescentione, soli examen indicationes illas veras esse demonstrat.(1) De quattuor denique



Tab. 59. Oratorium Ss. Syxti et Caeciliae sicut inventum fuit saeculo ultimo, cum ruinis coemeterii circumstantis. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. II).

Ss. Coronatis, via Lavicana, nihil affirmari potest, nisi et ibi adesse arenarium unde cuniculi coemeteriales effodi fortasse coepti sunt.

Visus sum forte prolixior in his explicandis, et tamen ad minimum reduxi quod M. S. De Rossi fuse in primo et tertio

(1) Verum enim hoc arenarium S. Hippolyti ubi situm sit nemo certo cognoscit. I. B. De Rossi illud quidem perhibuit se invenisse, sed ulteriores fossiones ordinem topographicum coemeteriorum circa Callistianam necropolim valde turbarunt. Quocumque tamen loco inveniatur, semper arenarii titulum sibi poterit vindicare, cum arenaria omni ex parte Callisti coemeterium circumdent.

Romae Subterraneae volumine exposuit. Haec nihilominus viam nobis sternunt ad alteram quaestionem, utrum scilicet catacumbae Romanae unum et idem sint cum arenariis, proindeque magna ex parte ante Christum extiterint; an, uti iam ut probatum admisimus, a Christianis unice fuerint effossae. Iam problematis terminos saltem perspectos habemus.

Neque ista quaestio ad Romana coemeteria tantum contrahitur: catacumbae enim Neapolitanae, Syracusanae, Melitanae aliaeque in rupibus effossae sunt multo solidioribus, ac proinde multo minus ineptis ad muros construendos. Haec, ut videbimus, est ratio, cur ampliores actae fuerint fossiones, ita ut sub hoc respectu multo Romanis nobiliores catacumbae illae videantur.

Sed adhuc de nomenclatura loquendum est ex qua melius demonstranda clarescent, et primum quidem alia vocabula coemeterii synonima promenda.

Atrium. — Coemeterium ita vocatum est, eo quod moris esset in atriis ecclesiarum sub pavimento sepeliri mortuos. Hic usus invaluit post pacem Ecclesiae, cum scilicet, circa basilicas super martyrum sepulcra constructas, coemeteria stabilita sunt. Paullatim enim sepulcra, devotionis erga martyres caussa, circuitum et atrium ecclesiae euiuslibet, denique ipsam ecclesiam occuparunt.

Concilia Martyrum. — Legitur in *Martyrologio Romano* (1) de S. Iohanne, martyre sub Iuliano Apostata: « Corpus eius a B. Concordio presbytero *iuxta martyrum concilia* sepultum est ». Cui subiungit cardinalis Baronius: « Huius vocis interpretationem Molanus mihi videtur feliciter assecutus ut concilia martyrum nomine locus ille intelligatur, ubi multorum martyrum corpora requiescant: quemadmodum, et Ecclesiae nomen, quae sui natura importat conventum fidelium, pro loco ipso, quo iidem conveniunt, accipi consuevit..... Sic et locus, ubi multi collecti sunt martyres, merito martyrum concilium sit appellatum ». Ceterum in Actis S. Stephani I Papae, licet

(1) *Martyr. Rom.* Baronii notis illustratum, n. 123, mense Iun.

immerito huic pontifici tribuentibus quae ad Syxtum II spectant, tamen satis fideliter factorum tempora referentibus, legitur: « Nemesius autem gratia Christi roboratus, circuibat cryptas, et concilia martyrum ». Item, in *Libro pontificali* de S. Damaso dicitur: « Hic multa corpora Ss. Martyrum requisivit, quorum etiam concilia versibus decoravit ».[1] Verum huius vocabuli antiquissimus testis videtur S. Hieronymus, qui haec de Nepotiano scripsit: *Qui basilicas Ecclesiae, et martyrum conciliabula diversis floribus, et arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit.*[2]

Latebrae. — Damasus in epitaphio martyris Eutychii in coemeterio S. Sebastiani sepulti scripsit:

> Ostendit latebra insontis, quae membra tenerent.
> Quaeritur, inventus colitur, fovet, omnia praestat.

Inde hoc videtur nomen deductum, quod catacumbae ut verbis Baronii utar, erratis omissis, « non modo inserviebant humandis defunctorum corporibus, ex quo et nomen est inditum, sed et persecutionis tempore ad latebras Christianorum ».[3] Sic in Actis S. Sebastiani legitur: *Quia tutus nullus inveniri poterat locus, ad latebram confugiendum.*

Polyandria. — Vox *polyandrium* (*polyandron*) proprie sepulcro uni convenit, ut videbimus postea, capaci tamen ad plura recipienda cadavera; sed aliquando coemeterium significavit apud quosdam auctores; ut in *Capitulari* (c. 9) Theodulphi episcopi: « Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, et plerumque loca divino cultui mancipata, et ad offerendas Deo hostias praeparata, coemeteria, sive polyandria facta sunt ».

Limina. — Vox est ex graeco Λιμήν derivata quae idem sonat atque *portus*; et ex eo ita tam apostolorum quam marty-

(1) Mommsen, op. cit. p. 83.
(2) *Ep. ad Eliod.*
(3) Baronius, *Ann.* an. 286, II.

rum sepulcra vocata sunt, quod essent peregrinantium veluti meta et portus; unde Prudentius :

Apostolorum et martyrum
Exosculantur limina. (1)

In coemeterio S. Priscillae prope S. Crescentionis cubiculum, ubi, aut apud quod et pontifex Marcellinus martyr requievit, in corio parietis stilo incisum legitur : *limina Sanctorum.*

Sedes ossium. — Sic vocata a Prudentio fuere martyrum sepulcra. (2)

Hypogeum. — Nuncupatio illa quoad genus, fuit inferioris ac subterraneae monumenti alicuius partis, ubi erant sepulcra. Plerumque haec vox *cubiculum* innuit ut in hac inscriptione in Domitillae coemeterio inventa : M·ANTONIUS·RESTITVTVS·FECIT·YPOGEV·SIBI·ET·SVIS·FIDENTIBVS·IN. DOMINO. Synonymom autem huius vocis est ΚΑΤΑΓΑΙΟΝ ; et ritus dedicandae ad sepulcra inferioris hypogei vel catagaei partis effecit ut, in ecclesiis et basilicis sub altari, *crypta* sive *cubiculum* construeretur vocatum *confessio*, μαρτύριον, quia ibi depositae erant martyrum et confessorum Christi relliquiae, cuius accessus, cum scala consisteret sive descensu, κατάβασις, dictus est. (3) Tardius in usum venit vocabulum *catabassis*, quodcumque generatim coemeterium subterraneum designans.

Casa. — Casae aliquando vocatae sunt cellae sive monumenta in areis Africanis erecta. Sic in *area martyrum* Cirtae casa maior commemoratur, quae procul dubio *minores casas* supponit. Exemplum unicum Romanum extat huius nominationis in quo legitur : *casa perpetua*, atque in unico quoque exemplo Romano, sed ethnico, diminutivum invenitur *casulae* quasi parvum monumentum designaret : HANC·CASVLAM. IN·PARVO·FECI·MAIORI·CVRA·QVAM·IMPENSA.

(1) *Peristeph.*, Hymn. de S. Laur.

(2) *Peristeph.*, Hymn. de S. Laur.

(3) Sozomenus, *Hist. Eccl.* IX, 2; Theophanes, *Chron.* an. 752, ed. Bonn. t. I, p. 665. Cf. De Rossi, *Roma sott.* t. III, pp. 423-426, ex quibus has notiones excerpsi.

Quod autem in quibusdam Christianis inscriptionibus a Boldetti evulgatis atque in sarcophagis aliquando tugurium vel casula repraesentata conspiceretur, vel etiam quod non pauca aedificia fune-raria tam Christiana quam ethnica illam prae se ferrent formam, idcirco videtur factum ut monumenta *casae* et casulae vocarentur. (1)

Alia sunt praeterea vocabula coemeteria indicantia, quae facile per se intelliguntur.

2. — Nomenclatura.

Certum est priscos Christianos plures coemeterii partes, sepulcrorum formas viarumque propriis et variis appellasse nominibus. Haec tamen ad nos usque non pervenerunt nisi ex parte; ac non omnia nomina, quibus utuntur hodie archaeologi Christiani, in partibus cryptarum designandis, ad antiquam nomenclaturam spectant. Ut varia nomina melius intelligantur, hic prius tabulas opportunas rerum vocandarum consulamus oportet.

Cava tetragona (Tab. 60) *loci* vocabantur, tam in Graecis quam in Latinis epitaphiis, hodie vero diminutivum verbum *loculi* invaluit inter archaeologiae non solum sacrae sed etiam ethnicae cultores:

ΤΟΠΟC ΑΝΑΠΑΥCΑΙΟC
ΑΜΜΟΝΙΟΥ ΚΑΙ ΕΥΤΥΧΕΙΟΥ
ΘΡΕΠΤΟΥ

Idest:

Locus quietis Ammonii, et Eutychetis nutricis. (2)

LOCVS BENEDICTI
QVI VIXIT AN
PM XXX BENEME
RENTI IN PACE (3)

(PM, idest *plus minusve*).

(1) *Acta purgationis Caeciliani*, post Optati opera, edit. Dupin, pp. 170 et 171.

(2) Bosio, *Roma sotterranea*, lib. III, c. LXI, p. 486, ed. MDCL.

(3) Bosio, *Roma sotterranea*, lib. III, c. LXI, p. 484, ed. MDCL.

Nomen hoc etiam in Oriente, licet rarius, invenitur :

ΤΟΠΟC ΘΕΟΔΟΤΟΥΓΕΙΟΥ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛ
ΕΩCCΕΛΗΥΚΙΑCΤ
ΗCICΑΥΡΙΑC

Locus (quietis) Theodoti, Alexandri filii ex Seleucia Isaurica (apud Ierusalem inventa).

Verum neque est dicendum hoc vocabulum exclusive Christianum; nam ethnici quoque sepulcrum *locum* appellabant. Hinc nominationes istae: *locus sacer*, *locus religiosus*. (4)

Huiusmodi autem cava, ubi corporum capita declinanda essent, largiora effodiebantur. Quod quidem plerumque, non tamen semper notari potest. Neque unquam norma aliqua extitit, secundum quam in eodem loco capita defunctorum etiam in eumdem conversa essent situm. Insuper saepe locus poterat duo recipere cadavera, et tunc *bisomus*, ex latino *bis*, et graeco ΣΩΜΑ corpus, dictus erat.

Quod autem singulae bisomorum inscriptiones plerumque prae se ferunt ambos sexus, perspicuum est, ibi saepe coniuges esse sepultos, ex. gr.:

CVMPARAVI SATVRNINVS A
SVSTO LOCVM VISOMVM SOLI
DOS DVO IN LVMINARE
MAIORE QVE POSITA EST IBI
QVE FVIT CVM MARITO AN XL

Ego Saturninus emi a Syxto duobus auri solidis locum bisomum sub maiori luminari. Illa quae hic est deposita vixit cum marito suo annos quadraginta.

ΓΕΝΕCΙ
..... CΤΙΝΑΗΕΝ ΘΕΩ ΚΑΙ ΧΡΙCΤΩ ΠΙCΤΕΥCΑCΑ
..... C ΤΟΙC ΑΓΓΕΛΟΙC

Genesius et ... Christina (?) quae cum in Deo et Christo credidisset ... inter angelos (?).

(4) *Locus sacer* quid sit, et *locus religiosus* postea explicabitur.



Tab. 60. Cubiculum S. Emerentianae « Coem. S. Agnetis ».
(Ex *Bull. di archeol. crist*).

Item notandum, ut alioqui ex ipsa delineatione apparet, quando duo corpora in bisomo recondenda eiusdem essent plus minusve staturae, saepe modo inverso invicem disposita fuisse, cuius rei opportunitas facile intelligitur.

Si autem tophus satis esset solidus, etiam ad tria, quattuor et amplius recipienda cadavera loculi parabantur; unde nomina *trisomus*, *quadrisomus*, *polysomus*, hoc ultimum totum ex Graeco derivatum ΠΟΛΛΑ ΣΩΜΑΤΑ:

SE BIBA (*sic*) EMIT DOMINA
LOCVM A SVCCESSVM
TRISOMVM VBI POSITI
. . . . . ET
. . . . . (1)

DEPOSITVS P . . . . . FIECT
DN VALENTINIANO AVG
IN PACE ETC VIXIT ANNVS XXV
FECIT LOCVM QVADRISOMVM (2)

Saeculo secundo, usuvenerat ita aliquando claudere sepulcra ut lapides claudentes non erectae secundum parietes sed veluti opercula sarcophagorum in plano essent: sursum vero spatium effodiebatur satis ut operculum tamquam mensa inserviret (Tab. 61). I. B. De Rossi *sepolcri a mensa* hoc sepulcrorum genus vocavit, quod praesertim in regionibus saeculi secundi coemeterii S. Callisti conspicitur; ibique et in coemeterio Ss. Petri et Marcellini nota chronologica certissima est.



Tab. 61. Sepulcrum mensa instructum.

(1) P. MARCHI, *Monumenti delle arti cristiane primitive, Architettura*, p. 115; ARINGHIUS, *Roma sub.* t. I, p. 14.

(2) P. MARCHI, op. cit. p. 116; ARINGHIUS, op. et loc. citt.



Tab. 62. Hypogeum ethnicum cum urnis cinerariis et sepulcris mensa instructis.

Equidem ab ethnicis sepulcris Christianos illam formam mutuasse dixerim, et exemplum nuperrime inventum apud S. Callisti coemeterium proferre possum.

A sepulcro mensa instructo parum differt *Arcosolium* cuius nomen, ut facile videtur, ex *arcu* et *solio* derivatum est (Tab. 60 Y). Prima vocabuli pars evidens est, arcus enim dominat sepulcrum; at secunda non ita. Solium apud Romanos antiquos videtur significasse idem atque hodie in Italico sublimiori stylo *thronum* significat, sive *sella honorifica*, unde sella curulis et solium vocata fuit. Cum autem pegma erectum ad cadaver viri illustris sustinendum in sublimi esset veluti solium regale elatum, huic quoque nomen solii inditum est. Item, solium appellarunt Romani labrum sive alveum ad corpora abluenda.[1] Hoc autem cum eamdem prae se formam atque sarcophagus ferret, et istud et omne urnarum pro defunctorum cineribus aut ossibus genus nomen solii nactum est.[2]

Huius nominationis certissima documenta extant, et aliquando, in epithaphiis apud arcosolia positis, utpote apud nobiliora sepulcra, et in ipsis arcosoliorum epitaphiis alia aliqua addebatur localis indicatio, hodie archaeologis pretiosissima, praesertim si inscriptio suo inveniatur loco, aut unde veniat cognoscatur. En quoddam exemplum:



Tab. 63. « Coem. S. Callisti ». (Ex *Nuovo Bull. di archcol. crist.* an. 1907).

(1) Celsus videtur ipsam ablutionem solium vocasse: *Solium aquae calidae.*

(2) *Septimus dies erat, ex quo corpus regis iacebat in solio* (Quintus Curtius, lib. X, c. x); *Quin et defunctos sese multi fictilibus soliis condi maluere* (Plinius, *Hist. nat.* lib. XXXV, c. xxii).

Idest:

Benemerenti Iovinae quae cum coniuge suo habuit annos V, et decessit annorum XXII, quae comparavit sibi arcosolium in (coemeterio) Callisti, ad Domnum Gaium, fecit (maritus superstes) coniugi suae merenti in pace. Deposita die III idus februarias.(1)

Huius fragmenta non eodem in loco reperta sunt, licet omnia in coemeterio Callisti iacerent; ex parte igitur tantum inscriptio ista pretium suum retinet; sed de hoc fuse alibi redibit sermo.

DRACONTIVS · PELAGIVS · ET IVLIA ET ELIA
ANTONINA · PARAVERVNT · SIBI · LOCV ☧
AT IPPOLITV · SVPER · ARCOSOLIV · PROPTER · VNA · FILIA

Ad Hippolytum, idest: apud sepulcrum Hippolyti martyris. Pretiosa sane indicatio, si notum esset unde veniat inscriptio.(2)

Nunc ultimam citabo inscriptionem, *parieticulum* vocabulum aliquando usitatum fortasse explicantem:

DOMVS ETERNALIS
AVR · CELSI ET AVR · ILAR
ITATIS CONPA M
EES FECIMVS NOBIS
ET NOSTRIS ET AMIC
IS ARCOSOLIO CVM PA
RETICVLO SVO IN PACEM

Domus aeterna Aurelii Celsi et Aureliae Hilaritatis meae sponsae. Fecimus nobis et nostris et amicis arcosolium cum suo parieticulo. In pace.

Docuit P. Marchi,(3) *parieticulum* (ad litteram *parvus paries*) pro parietibus, quibus diversae sepulcri partes distinguerentur, accipiendum esse, praesertim in exemplo praefato, nam sepulcrum coniugum debuit pariete a ceteris separari; licet in eodem

(1) I. B. De Rossi, *Rom. sott.* t. III, p. 263. Nota temporis, lapicidae ignorantia, vel imperitia, inter quartam et ultimam lineam interposita ets.

(2) P. Marchi, op. cit. p. 150.

(3) Op. cit. p. 98; to DOMVS ETERNALIS alibi explicabitur.

solio essent deponendi Celsi parentes et amici. (Vide Tab. 64 lit. X exemplum parieticuli exhibentem).

Arcosolia, quae etiam *arcusolia*, *arcisolia* vocabantur, saeculo tertio excidi generatim coepta sunt, sed etiam saeculo primo



Tab. 64. Catacumbae Siculae. (Ex *Atti della R. Accad. dei Lincei*, an. 1902).

inveniuntur; at in coemeterio Callisti numquam ante saeculum tertium, quo tempore alterum sepulcri cum mensa genus submoverunt. De usu liturgico mensae super sepulcrum positae erit alio loco dicendum. Hodie paries semicircularis in arcosolio



Tab. 65. Planum cuiusdam catacumbae Neapolitanae cum sepulcris baldachino instructis.

dicitur ab archaeologis *lunetta*; eam nos *lunam* vocabimus in praesenti opere.

Tabula 64, lit. A, insuper formam talem sepulcri praebet, quae frustra quaereretur in Romanis coemeteriis: e contrario

non desunt eiusmodi sepulcra Melitae et in Neapolitanis catacumbis: scilicet est quoddam tegmen in forma conopei (gallice *baldaquin*), supereminens sepulcro, quod etiam in mediis cryptis excidi poterat. Tabula 65 *formas* sive *planum* commonstrat cuiusdam Neapolitani coemeterii, et simul delineationem sepulcrorum B C D etc., tegmine eiusmodi praeditorum.[1]

Erat quoddam etiam arcosolii genus, in quo ita arcus est demissus, ut ad sepulcrum mensa instructum potius accederet. Id, praeterquam Romae in coemeterio Callisti et in aliis regionibus coemeterialibus saeculi secundi, etiam in Cyrenaica invenitur eidem aetati respondens. Est igitur pretiosum indicium chronologicum, non tamen ex se solo sufficiens. Arcosolia proprie dicta in Cappadocia apud Surp-Garabed cernuntur;[2] Ie-

(1) De forma Christiani sepulcri primum adoptata haec habet I. B. De Rossi, indagines narrans quibus aetatem coemeterii S. Domitillae dignoscere potuit: «Fin qui non abbiamo veduto altra maniera di sepolcri, che sarcofagi marmorei o fittili. Di nicchie sia quadrilunghe (loculi), sia arcuate (arcosolii) scavate nelle pareti ho ricordato soltanto quelle che in posteriore età furono fatte guastando gli antichi ornati e le primitive forme dell'ipogeo. Ed invero uno dei caratteri dei sepolcreti cristiani antichissimi e contemporanei alle origini dei nostri cimiteri m'è sembrato l'uso frequente de' sarcofagi e raro de' loculi, che divennero poi il sistema normale della sepoltura sotterranea. Del qual canone archeologico le nuove scoperte del primitivo ipogeo di Domitilla mi hanno dato una bellissima ed inaspettata conferma. Quivi ho trovato non solo il grande ambulacro tutto destinato ai sarcofagi, ma un esempio fino ad ora singolare del passaggio dal sarcofago al loculo, della trasformazione del primo nel secondo, imperocchè l'architetto del nostro ipogeo nelle pareti del maggiore ambulacro oltre le quattro grandi nicchie per i sarcofagi, aprì quattro imbocchi *c*, *d*, *e*, *f* per quattro vie nelle quali potessero essere costruiti o scavati più modesti ed umili sepolcri. Or nella via *c* i primi sepolcri che incontriamo sono due loculi, ai quali nella fronte esteriore con fino stucco bianco fu data la forma e l'aspetto di due sarcofagi. Ecco adunque, se così m'è lecito dire, il loculo-sarcofago ... questo parmi veramente scoprire gli esordii e la genesi dell'escavazione cemeteriale cristiana» (*Bull. di arch. crist.* 1865, p. 38).

(2) CH. TEXIER, *Recueil de monuments des premiers temps du Christianisme en Orient*, Londres, 1864, pp. 39 sqq.

rusalem [1]; Zephyriae (Melos, in insula Aegei maris); [2] Clusii (Etruria) in coemeteriis S. Mustiolae et S. Catharinae; [3] Volsinii; [4] Melitae, ubi numerosa inveniuntur, [5] et quam rarissime in Africa. Denique in Syracusanis catacumbis apparent



Tab. 66. Catacumbae Syracusanae « Rotonda delle sette vergini » (Ex *Abhandlungen der philosoph-philologisch. Classe der königlich bayerischen Akademie der Wissenschaften*, an. 1897, t. XX, Tab. VII, n. 1).

etiam sarcophagi in rupe excisi, sed quasi e solo emergentes cui naturaliter adhaerent, ut in Tab. 66 videre licet. Ut indicium

(1) P. LAGRANGE, *Revue biblique*, an. I, p. 448 sqq.

(2) CH. BAYET, *La nécropole chrétienne de Milo* ap. *Bull. de corresp. hellén.* 1878, t. II, pp. 347–359, tab. XX.

(3) C. CAVEDONI, *Ragguaglio istorico archeologico di due antichi cimiteri cristiani della città di Chiusi*, Modena, 1853, p. 60.

(4) E. STEVENSON, *Intorno alle scavazioni fatte in un ipogeo cristiano di Bolsena*, ap. *Notizia degli scavi*, 1880–1881, pp. 30–51.

(5) A. A. CARUANA, *Ancient pagan tombs and christian cemeteries in the island of Malta*, Malta, 1898.

cronologicum, ipsa tempora saeculo II posteriora plerumque respiciunt, in Italia autem maxime in usu fuerunt saeculo IV.

Sepulcra hactenus recensita, ubique catacumbarum reperiuntur, tam in ambulacris quam in cubiculis. In cubiculis vero, quasi semper unum saltem adest arcosolium in loco honoratiore, idest in pariete contra ingressum, cuius ad alterutrum latus, excisa in topho, aut lateribus constructa, non nunquam est trunca columna ad aliquid sustinendum destinata, et videtur eodem fungi officio atque tripus ante deorum simulacra. Certum est, ad martyrum sepulcra saepe olea pretiosa accensa et adusta, nec non in praecipuis subterraneis sanctuariis; unde, licet nulla ex antiquis lampadibus id genus inventa fuerit, tamen nemo inficiabitur, mensas oleorum rite posse eiusmodi truncatas columnas vocari; immo earum aliquae in superiori parte integre erant disco vitreo vel lapideo coopertae, tamquam patina ad vasa, aut aliud quid pretiosi sustinendum vel continendum, cuius rei notabilia manent adhuc vestigia. Parvae lampades fictiles non raro sepulcris appositae erant; in foraminibus, unde ablatae sunt, levis fumi nigredo earum situs revelat: foramina vero quae hoc vestigio carentia hodie conspiciuntur ampullas vel vasa continebant balsamis repleta. Tabula 60, lit. Z, ad dextram, mensam oleorum exhibet.

Salebrosa sane est quaestio de ampulla cruenta tamquam de martyrii signo, de ea vide sub finem huius libri.

Aliud sepulcri genus *formae* sunt, scilicet loculi in pavimento effossi, ut moris adhuc erat apud nos paucis abhinc annis in pavimentis templorum. Utrum humilitatis caussa, aut quia non amplius in parietibus maneret spatium sepeliendi, novus hic usus inductus fuerit, non satis constat. Plerumque tamen a saeculo tertio exeunte hoc factum est, proindeque cum nullus amplius patebat locus in iam existentibus catacumbis, ad quas fideles attrahebantur propter martyrum sepulcra. Quando autem coeperunt Christiani coemeteria subdialia circa basilicas instituere, tunc generalis et communis tumuli modus fuit *forma*, quae plerumque ad plura cadavera recipienda parabatur, et vocabatur ex horum numero: *biscandens*, *terscandens* vel *tercan-*



Tab. 67.

Tab. 68.



Tab. 69.



Tab. 70.

Lampades in coemeterio S. Callisti inventae.
(N. 67 praeconstantiniana; N. 68, 69, 70 postconstantiniana).

Tab. 71.

Tab. 72.

Ampullae ad balsama et olea servanda in Christianis sepulcris.

dens, etc.; candere enim, in infima latinitate, dividere significat; verbum autem *scandere* notum est:

S
LVCILLVS PELIO E VIVV COMPARAB(*it*)
LOCVM VESCANDTE IN BASILCA
MAIORE AD DOMNV LAVRENTIVM
IN MESV ET SITV PRSBITERIV

Idest:

Lucillus Pelio se vivo comparavit locum biscandentem in basilica maiore ad Domnum Laurentium in medio et situ presbyterii.(1)

(1) Evidens est *biscandentem* significare *bipartitum*. Basilica hic designata non est, ut quidam putarunt, S. Laurentii ecclesia, a Damaso constructa *ad theatrum Pompei*, ut habet Liber pontificalis; sed illa quam Syxtus III construendam curavit, ut item in Libro pontificali legitur: *fecit quoque basilicam alteram beato Laurentio*. Post Syxtum III dumtaxat, notat I. B. De Rossi, incipit inveniri in Libro pontificali mentio de *Basilica S. Laurentii maiore* (cf. *Bull. d'arch. crist.* 1876, pp. 22–23).



Tab. 73. Sectio formae polyscadentis. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. I).

Tabula 73 formam octopartitam refert, ut adhuc videre licet circa antiquissimum oratorium Ss. Syxti et Caeciliae super coemeterium Callisti (V. Tab. 59).

Sequens inscriptio, quam Boldetti in Domitillae coemeterio invenit, de usu vocabuli testatur. (1)

(1) Semel tantum nomen *cupella* pro *loculus* invenitur, diminutivum scilicet *cupae*, quod raro in ethnicis sepulcris legitur, tamquam diminutivum *ollae*.

ANNIBONIVS FECIT SIBI ETSVIS
LOCVM HOMIBVS N VIII INTRO FORMAS
EC TON EMON PANTON TVTO EMON (1)

Annibonius fecit sibi et suis locum numero VIII hominum capacem intro formas.

Omnium quae possideo hoc (solum) meum est.



Tab. 74. Planum hypogei Iudaici apud Ierosolymas inventum. (Ex *Revue bibl.* an. 1899, p. 207).

Denique sepulcrum, cuiuscumque esset formae, appellatum invenimus etiam DOMUS, exempli gratia: *Domus Amarati*; et MEMORIA, sic: *Quintiliani memoria.*

(1) P. Marchi putavit quidem hanc inscriptionem alicuius fuisse sepulcri quod esset sub aquae cuniculo; cuniculus enim eiusmodi *forma* vocabatur (*Monum. prim.* pp. 116–117). Sed I. B. De Rossi partem huius tabulae repperit cum fere integra secunda linea, in qua legit INTRO, non autem INFRO ut Boldetti legerat (*Osservaz. sopra i cim.* p. 650); inde igitur coniecit, sepulcra sub pavimentis ideo formas vocatas fuisse, quod speciem cuniculorum aquaeductus exhiberent, quibus cuniculis *formae* erat nomen. Licet hoc sensu generatim nomen illud accipiatur, exponam quid de re sen-



Tab. 75. Sectio A-B. Tabulae 74.

Apud Iudaeos diversa plerumque erat loculorum dispositio, nimirum in pariete secundum crassitudinem inciso. Sepulcra Tabulae 74, anno 1898 inventa, iudicata sunt non posteriora Ierosolymae excidio, idest aetati Herodianae adscribenda. Loculi ita dispositi hebraice *Kokim* vocantur.

Verum haec eadem dispositio non prorsus deest apud Christianos, praesertim in Africa. Fere enim omnes catacumbae Alexandrinae eiusmodi sepulcrorum typum proferunt, ut apparet ex Tab. 76; aliquid simile est in coemeterio Callisti (in regione S. Eusebii); nuperrime autem non pauca sepulcra illis prorsus similia in coemeterio Commodillae et in anonymo quodam coemeterio viae Latinae reperta sunt.

Tabulam vocarunt antiqui inscriptionem sepulcralem, quae simul claudendo sepulcro inserviebat:

POSVIT TABVLA MA
GISTER DISCENTI
PAMPINO BENE
MERENTI

tiam. *Formae* vocantur etiam delineationes alicuius loci in unum complexae, quod Itali *pianta*, Galli *plan* appellant. Si igitur de formis aedificiorum agatur. tunc delineationes ita longitudinem crassitudinemque murorum repraesentant, quasi muri ad solum secati sint atque ex alto loco observentur, itemque reddunt quidquid e solo emergit una cum pavimentis solo aequalibus. Hinc verisimile mihi videtur, formula *intro formas* (fortasse *infro formas* iuxta P. Marchi legenda) idem sonare ac *sub formas*, seu *sub pavimento*, *sub plano*; at istud coniectura tantum assequor.

.....LIAPA PARENTIBVS SVIS TABVLAM POSVIT BE
.....BVS IN P AD SANCTA MARTVRA

.....liapa parentibus suis tabulam posuit Benemerentibus in pace apud martyres. (Ex coem. S. Agnetis).

BINCENTIVS KARO FILIO KA
RISSIMO BENEMEREN ΓΙ POSVIT
TABVLA QVI BIXIT ANNOS III
ET DIES XXII

(Effossa ex coemeterio S. Cyriacae, et a Buonarroti evulgata [*Vetri*, pp. XX et XXIV]).



Tab. 76. Sectio partialis catacumbarum Abou-el-Achem. « Alexandria ». (Ex *Bull. de la Soc. arch. d'Alexandrie,* an. 1898, n. 1, Tab. B).

Nihilominus non deerant sepulcra tegulis clausa, et quidem in Christianae relligionis primordiis.

Conclavia, quae omnibus temporibus in usu fuisse iam vidimus et nomen habuisse commune quoque ethnicis, *cubiculi*,

cubicula, aliquando voce *cryptae* indicantur; quae vox, ut iam dixi, subterraneum in universum acceptum significat, ac proinde non solum ad ambulacrum, sed etiam ad cubiculum aut seriem cubiculorum designandam usurpari potuit. (1) Sic legimus: *Cry-*



Tab. 77. Sepulcrum tegulis clausum. In coem. Priscillae.

pta nova retro sanctos, idest novum conclave retro sepulcra martyrum effossum.

Cubiculum vocatum est etiam *antrum*, *spelunca*, *ecclesia*, praesertim a peregrinis saeculi septimi et octavi. (2) En exemplum cubiculi denominationis, unum multorum:

CUBICULUM DUPLEX CUM ARCISOLIIS ET LUMINARE.

Tria ibi nominantur, cubiculum, arcisolia et luminare, quibus ad unguem locus, ubi inscriptio fracta iacebat, respondet. Luminare vero hic ultimo designatum est quoddam immane in fornice foramen ad superficiem soli usque pertingens, per

(1) De cryptae vocabulo valde disceptatum est, meo quidem iudicio frustra; nam, si ipsum naturali acceptione accipiatur, diversas significationes habebit prout ad diversas subterranei cuiuscumque partes designandas fuerit usurpatum. Clarissimo Marucchi in votis est, ut deinceps nomine cryptae ambulacrum coemeteriale tantum vocetur. Verum non satis constat ex monumentis epigraphicis et aliis Christianis documentis ad solum ambulacrum significandum cryptae nomen contractum apud fideles primaevos fuisse, nedum haec quaestio de ethnicis monumentis institui possit (cf. *N. Bull. d'arch. crist.* an. 1901, p. 215). Etenim illud: *crypta nova retro sanctos*, intelligi de ambulacro nequit omnino, neque hactenus quidquam ex fossionibus prodiit quod contrarium innueret; *retro sanctos* semper cubiculum significat.

(2) Vide in operis appendice: *Itineraria*.

quod cubicula diurna luce irradiantur. In epigraphis autem et antiquis documentis huiuscemodi luminaria persaepe dicuntur: « Sanctam vero Candidam atque Virginem Paulinam per praecipitium, id est, per luminare cryptae iactantes, lapidibus obruerunt », legimus in Actis Ss. Marcellini et Petri. Verum in auctoribus circumlocutionibus potius designantur: « Et raro, ait S. Hieronymus, desuper lumen admissum horrorem temperet



Tab. 78. Cubiculum cum luminari et loculis pluribus integris. (Coem. Ss. Petri et Marcellini).

tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes ». (1) Eodem fere modo Prudentius:

Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum,
Occurrunt caesis immensa foramina tectis,
Quae iaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus;
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat. (2

(1) *In Ezech.* c. 40.
(2) *Peristeph.* hymn. II.

Quaeret forsitan aliquis, an quibusdam nominibus prisci fideles ordines ambulacrorum distinxerint et, cum ambulacra ambulacris praesertim superposita essent, vocabula *tabulata*, *contignationes*, ut nonnullis probabile visum est, usurpaverint. Cui interrogationi facile non est accurate respondere. Ad dexteram quidem viae Labicanae, in quodam coemeterio a Mabillon visitato, Fabretti hanc invenit inscriptionem:

QVORO SVN NOMI
NAE MASIME
CATIBATICV
I SECVNJV ☧
MARTVRE
DOMINV
CASTVLV ISCALA

Inscriptionis interpretatio quam difficillima est, propterea quod et mutila videtur inscriptio, et mendosa non parum. Ipsa Fabretti loculum putavit clausum fuisse S. Castuli.(1) De Vit in suo *Lexico totius latinitatis*, vocabulum *catabaticum* (ex graeco κατάβασις) idem ac *tabulatum* significare docuit.(2) P. Marchi arbitratus est inscriptionem accipiendam de duobus martyribus Maxima et Castulo; Maxima in *secundo tabulato sepulta*, *Castulo in scala*. Etenim, ait, si *catibaticu* idem atque *descensus* vel *scala* esset, repetitio haberetur eiusdem vocabuli, sc.: κατάβασις, *scala*.(3) I. B. De Rossi ita inscriptionem explicavit: *Quorum sunt nomine Maximae catibatico I, secundo Marturae* (ad) *dominum Castulum in scala*, praemissis nihilominus quae fortasse desunt, nempe: *Hic requiescunt quorum*... etc., aut aliud eius-

(1) *Inscr.* p. 556, XXVI.

(2) Idem non pauci alii ut CORSINI, *Notae Graec. Dissert.* p. XXVIII; ZACCARIA, *Storia lett.* t. I, p. 232; REISKIUS, *Comm. ad Constantini Porphyrogeniti de caerem. aulae Byzant.* p. 68; MAZOCHI, *Kalend. eccl. Neap.* p. 103; BORGIA, *Vaticana conf.* p. XXX; P. E. VISCONTI ap. *Atti della pont. accad. di arch.* t. X, p. 58.

(3) *Mon. prim.* pp. 120–121, et pp. 76–77, loc. cit.

modi. (1) Marucchi de duobus fidelibus, Maximis vocatis, interpretatus est, qui fuissent sepulti in secundo descensu non longe a S. Castuli sepulcro; idest *ad martyrem domnum Castulum in scala.* (2) Ex quibus omnibus nihil certi, mea sententia, eruere fas est.

Nuper, in S. Priscillae coemeterio, haec inscriptio stilo in calce ducta detecta est, quam paullo ante citavi:



Tab. 79. (Ex *Nuovo Bull. di archeol. crist.* an. 1903).

Undecima crypta secunda pila Gregori (Tab. 79).

Boldetti eam vidit atque excripsit, omissis vero, nescio quare, secunda et tertia linea; unde et P. Marchi et I. B. De Rossi eam semper ita mutilam citarunt: *Undecima crypta Gregori.* Haud dubitandum, verbum *crypta* hic viam subterraneam significare; nam inscriptio suo loco conspicitur, qui est in undecimo cuniculo maximum ambulacrum pertranseunte secundi tabulati. Sed quid de *pila*? Prof. Marucchi et alii, quod voca-

(1) *Rom. sott.* t. III, p. 421.
(2) *Eléments d'archéologie chrétienne*, vol. II, pp. 206–207.

bulum *pila* aliquid sustinens instar columnae significet, tribus explicarunt modis; ut ex Tab. sequenti apparet.



Tab. 80.

Scilicet, si duo parietes dumtaxat numerandi sunt, omnes parietes ad sinistram, si a sinistra incipitur, primae pilae dicentur, omnesque ad dexteram, secundae, ut in schemate indicatum est a secunda ad sextam cryptam. Sin considerantur parietes ambulacri maximi, cum parietibus cryptarum in angulum convenientes, ita erit pilarum computatio, ut indicatur ad undecimam cryptam, quo in casu distinguenda est insuper *pila destrorsa* a *pila sinistrorsa* seu *in parte sinisteriore*, cuius denominationis iam aliquid simile in epigraphia ethnica invenitur.

Denique possunt pilae computari, ut apparet ad cryptam octavam, ordine etiam diverso ab indicato: « Perspicuum est », ait clarissimus Marucchi, « huiusmodi indicationes in usu fuisse apud cuiuslibet Christiani coemeterii administratorem, ut quodcumque sepulcrum facile inveniri posset, sicuti et hodie moris est. Re enim vera, in quadam inscriptione ad chirographum sepulcri emptionis innuitur; in quo, procul dubio, indicationes eiusmodi descriptae habebantur. Praeterea fossorum nomina, qui testes fuerant emptionis, aut ipsi venditores extiterant, in chirographo nequibant deesse, sicut etiam in epigraphis quibusdam legitur ». (1)

(1) Cf. *N. Bull. di arch. crist.* an. 1904, p. 214. Pergit ibi egregius auctor: « Ed al *chirografo* senza dubbio alludono due altre iscrizioni ove

Cuius rei non desunt indicia, ex quibus tamen nihil certi deduci potest. En duae inscriptiones mentionem de sepulcri contractu facientes:

CONSTANTIVS ET SOSANNA (*sic*)
SE VIVI LOCVM SIBI EMERVNT
PRAESENTIS A ☧ Ω OMNIS EOS
SORES (*sic*) (1)

COSTATINOS·EMIS
SEI·ANVARIVM·ET·BRI
TIAM LOCVM ANTE DO
MA EMERITA AEOSSO
RIBVS BVRDONE ET MICI
NVM ET MVSCO RVTIONE AVRISOLI
ONVM VN SEMES·CONS·D·D·N·N·THAE
ODOSIO·ET·VALENTINIANO·II

Constat nos emisse Ianuarium et Britiam locum ante Domnam Emeritam a fossoribus Burbone et Micino et Musco ratione auri solidorum unius (et) semis Consulibus DD (dominis) NN (nostris) Theodosio et Valentiniano II. (2)

Alia vocabula in progressu operis explicabuntur.

si adopera la parola *constare* per l'acquisto di quel sepolcro. Una di queste proviene dal cimitero di Ciriaca sulla via Tiburtina e vi si dice: CONSTAT·ME·EMISSE·A·FOSSORIS·DISCINDENTIB(*us*) ... È chiaro che per indicare un sepolcro, bastava il chirografo depositato nell'ufficio del cimitero e che nelle iscrizioni stesse non era necessario mettere tali indicazioni, perchè chi leggeva l'iscrizione non avea più bisogno di ciò; ed è per questo che esse si riscontrano raramente. Non credo però che tali indicazioni quando furono poste lo fossero per puro capriccio; ma penso piuttosto che vi fosse almeno talvolta qualche ragione speciale di metterle. E si potrebbe supporre che con quelle indicazioni si volesse affermare più chiaramente la proprietà del sepolcro, rinviando, chi il volesse, al registro del cimitero dove appunto quel sepolcro doveva essere segnato con quelle stesse indicazioni topografiche».

(1) *N. Bull. di arch. crist.* an. 1904, p. 106: MARUCCHI, *Il Cimitero di Commodilla.*

(2) DE ROSSI, *Inscrip.* I, n. 653, p. 281.

ART. V. — **Catacumbae Romanae opus Christianorum sunt – Eas inter et latomias arenariaque discrimen – Quid de origine ceterorum orbis coemeteriorum?**

Quaestio nunc attingenda de Christiana catacumbarum Romanarum origine, post praebitas notiones, facilis solutionis evadit. In coemeteriis effodiendis, circum Romam, non omnia plana et facilia fossoribus contingebant; quod statim intelligitur si in aliquod suburbanum coemeterium descendatur. Saepe enim stratorum geologicorum varia natura et cohaesio, eorum inclinatio quae plerumque collium declivitatem sequitur, eorum cessatio ac proinde novi strati friabilioris duriorisve successio ad mutationem directionis, vel fossionum altitudinis et modi adegit fossores ut novis exortis difficultatibus occurrerent. Ista omnia veluti in libro legenda tibi in catacumbis examinanti apparent, eaque saepissime; ita ut, si in pluries centum millibus passuum, prout catacumbae Romanae se porrigunt, centum aut ut summum bis centum passus inveniantur in topho paulo fragiliore excavati, hoc profecto exceptionem constituet illam, quae, ut dicitur, regulam firmiorem efficit. Item, si verum esset, ut ante clarissimi P. Marchi elucubrationes vulgo credebatur, Christianos primaevos ad recondenda cadavera antiquas latomias et arenaria adoptasse, debuissent fossores, aut cum maxima temporis iactura in durissimo topho rubro loculos effodere, aut cadentes parietes arenariorum muris convestire et sustinere, ibique magno dispendio sepulcra fabricare, quae facili negotio poterant in topho terroso excavari.

Posito igitur, quod maxima ex parte catacumbae in topho ad nihilum apto excavatae sint, sponte quaestio ista occurrit: quisnam et curnam ante aut paulo post Christianismi ortum tam immanes excavationes capessendi cogitationem habuisset, aut quid de materia hinc effossa utilitatis sperasset; nam, ut dixi, tophus terrosus in quo catacumbae sunt excavatae, est prorsus inutilis et eo ipso nullum nactus est apud antiquos nomen. Praeterea circum Urbem, per plura milliaria, ac saepe iuxta et subter Christiana coemeteria, immensae latomiae et

arenae fodinae se porrigunt, ex quibus optima ad construendum materia eruta est, tum antiquis, tum nostris temporibus; at



Tab. 81. Via in arenario S. Hippolyti vocato. (Coem. S. Callisti).

quantum a catacumbis et forma et dimensionibus differant, quilibet ictu oculi videre potest in tabula 81.

Atque imprimis dimensionibus differunt: viae enim coe-

meteriales metri unius cum quinquaginta centesimis partibus (1^{m},50) latitudinem raro pertingunt, et quam rarissime paullulo largiores inveniuntur; arenaria per contrarium quinque usque metra latas habent vias et aliquando ampliores. Illae ad architectonicas redactae sunt formas, cum angulis plerumque rectis aut fere rectis in anfractibus; istae ad nullam instructae formam, ipsa natura potius paratae quam humano effossae labore videntur. Quod si evenit ut fossores, propter diversas quas nunc amplius non intelligimus causas, coacti fuerint quaedam arenaria in coemeteria mutare, tunc omnia construere debuere, parietes et loculos, ut in tabulis 82, 83 apparet.



Tab. 82. Sectio ambulacri arenarii in coemeterium mutati.

Ut patet, haec agendi ratio magnas requirebat expensas, neque exiguum temporis spatium; hinc procul dubio est quod ex quingentis fere millibus viarum coemeterialium passibus, in suburbano Romano (tantum enim catacumbarum hactenus visitari potest), ne ducenti quidem passus in arenariis percurri possint; licet arenaria non solum obvia, parata, sed etiam tutiora essent quia ethnicis formidolosa proindeque deserta. Immo ita se coemeteria porrexerunt circa vel iuxta arenaria, ut ista appendices coemeteriorum fere videantur; quantum autem haec qualiscumque dependentia arenariorum a catacumbis fuerit utilis atque etiam forsitan necessaria, videndum erit postea.

Notamus interim, hanc esse rationem cur in martyrologiis saepe arenariorum mentio fiat veluti locorum ubi martyres fuerint sepulti, et cur archaeologi Antonio Marchi anteriores,

maiori ex parte, catacumbas putaverint nihil esse aliud quam antiquas arenae fodinas condendis cadaveribus adhibitas, religionique Christianae praeexistentes.

Ad quaedam vero quorumdam scriptorum quod pertinet loca in quibus arenaria indicantur non quidem ut sepulturis, sed ut loca congregationibus Christianorum addicta, explicatio obvia est et naturalis, si difficultatem frequenter et diu permanendi in catacumbis consideremus. Quantumvis enim clausa essent sepulcra, putor cadaverum, deinde unguentorum balsamorumque odor, fumus lampadarum et hominum respiratio ita aerem corrupissent, ut non parum requisitum fuisset virtutis in eis qui plurimas horas voluissent in subterraneis coemeteriis manere. Praeterea notandum est, lucem non parvam historiae priscorum Christianorum communicatione inter arenaria et coemeteria afferri, cum sciamus, praesertim sub Valeriano et sub Diocletiano, coemeteriis ad fiscum vindicatis, fideles secreta refugia quaesiisse, ut liturgici conventus haberentur qui sub divo amplius fieri nequirent; item cum notum sit arenaria usui tunc adhibita fuisse ut ex catacumbis evasionis modus fidelibus pateret, aut trames in illas ingrediendi, nempe quod facile milites qui ingressus et areas coemeteriales custodiebant in coemeteria irrumpere possent.



Tab. 83. Sectio ambulacri arenarii in cometerium mutati.

Denique non raro fossores vetera ambulacra humo ex novis fossionibus extracta refercire malebant quam eam asportare; idque tum temporis viriumque defectu, quod facile intelligitur, tum maxime si, persecutione grassante, nova parari sepulcra secreto oporteret.

Iam a Bosii tempore observatum est, partem primi tabulati coemeterii Priscillae in strato arenario fuisse effossam. J. B. De Rossi autem arenarium notavit item veluti partem coemeterii S. Saturnini. Haec unice extant exempla in universa subterranea Urbe. Ceterum arenaria ubique sunt circa Romam, et aliquando coemeteria Christiana in arenariis initium fecerunt, cum antiquiora ambulacra ex iis videantur incepta.

Ut dicta paucis resumam: ex praefatis rationibus, et ex ceteris minutioribus observationibus, quas fratres I. B. et M. S. De Rossi peregerunt, qui P. Marchi studia hac in re perfecerunt,[1] evidentissime patet ideoque concludendum: 1° *cryptas arenarias* aliud non esse quam ambulacra coemeterialia in topho effossa adspectu arenoso, seu natura aliquantulum arenoso; 2° in his autem locutionibus: *In coemeterio Priscillae in arenario, – iuxta corpus Ss. Chrysanthi et Dariae via Salaria in arenario, – iussit in arenario deponi, et illuc vivos terra et lapidibus obrui, – portaverunt ad arcus Numentanos intra arenarium, et iuxta arenarium sepelierunt, – corpora, quae erant in arenario sepulta, – in arenario ubi frequenter conveniebant*; indicationem arenarii, ut ait M. S. De Rossi non ad genus attinere, nec idem ac *cryptas* vel *coemeterium* sonare, sed specialem omnino atque notabilem loci declarare conditionem,[2] nimirum cryptam vel coemeterium proximum vel superpositum esse arenario, non autem ipsum esse arenarium.

Quod de Romanis catacumbis dictum est, plerumque affirmare possumus de aliis subterraneis Italiae coemeteriis.

Ceteras quidem regiones Sicilia insula catacumbis suis superat. Egregius porro Fr. F. S. Cavallari iampridem contra atque non pauci saeculo ultimo opinati erant, Christianam originem coemeteriorum insulae sagacibus minutisque observationibus recognovit et copia argumentorum demonstravit. Idque potissimum confecit collatione monumentorum, eligens veluti comparationis terminum Syracusanas necropoles; unde

(1) *Roma sotterranea*, t. I, append.; P. Marchi, *Mon. prim.*
(2) *Roma sott.* t. I, p. 37.



Tab. 84. Catacumbae Syracusanae sub vinea Cassia. (Ex *Abhandlungen der philosoph-philologisch. Classe der Königl. bayerisch. Akademie der Wissenschaften*, 1897, t. XX).

facile illi fuit dignoscere Acrienses, Pantelicenses catacumbas, licet sub ethnica sepulcra effossas, sicuti etiam Agrigentinas, quas quidam cryptas esse Graecis anteriores et a Christianis

adoptatas putarunt, eo quod ipsos sub muros urbis serperent; istas, inquam, aliasque, tum forma et dispositione sepulcrorum, tum humationis modo, tum denique funeraria supellectile, cum Syracusanis catacumbis perfecte convenire. Subterraneae namque habitationes troglodyticae (ut dicebantur a quibusdam), quas a Sicanis fuisse habitatas egregius Cavallari perhibet,



Tab. 85. Catacumbae Africanae. (Arch-Zara).

nihil habent commune cum famosa illa crypta *Grotta delle Meraviglie* nuncupata, non longe ab Agrigento sita, ubi non minus atque in ceteris catacumbis loculos, ambulacra, altaria videre licet.(1)

Christianae quoque originis apparent ceterae non paucae catacumbae in Italica peninsula; certissime vero a Christianis effossae sunt catacumbae Melitenses, quae potius congeries quaedam dici debent cubiculorum, sed non desunt ibi cryptae

(1) CAVALLARI, *Appendice della topografia archeologica di Siracusa*, 1891.

naturales a Christianis adhibitae ut coemeteria. Ibi insuper, propter rupium duritiem, sepulcra tegmine instructa (baldachino) numerosissima sunt.

In Africa, uti iam innui, coemeteria generatim erant sub divo (*areae sepulturarum*); at catacumbae omnino non defuere, inter quas mentione dignae sunt quae in Lybiphoenicia (Tunisi, *Arch–Zara*) extant, quaeque sepulcra fuisse videntur Punicae aetatis, in Christianum deinde coemeterium conversa (Tab. 85).

In Asia, et praesertim in Palestina, sepulcrum familiare praevaluit, idque tamen subterraneum, seu potius in rupibus montium excisum; in quo fortasse imitationem sepulcri Domini agnoscere debemus.

In Hispania coemeteria subdialia fuerunt, et ita plerumque in ceteris Europae regionibus. (Vide elenchum catacumbarum in secunda voluminis parte).

Sed etsi alibi extra Romam extiterunt catacumbae, etsi modus et distributio loculorum plus minusve semper consimilia inveniantur, non tamen utrinque dimensiones concordant. Romae labyrinthus habetur pluribus constans contabulationibus, cuius viae perraro metrum unum latitudine superant; idque quia tophus non satis cohaerentiae habet. At ubi solidiores rupes sunt, ambulacra quinque et nonnunquam decem metrorum latitudine effossa naturales specus potius quam hominis manu fabricata opera videntur.

Neque desunt parvae coemeteriales ecclesiae sive ampliora cubicula, ubi martyrum ac defunctorum anniversaria celebrarentur. Haec ordinario non habebant in parietibus sepulcra, si arcosolium unum aut triplex quasi crucem delineans excipias, plerumque etiam luminari instructa sunt atque disposita ut plura aere et luce eiusdem luminaris simul illustrata sint.

Post pacem autem Ecclesiae, cubicula pleraque magnifice exornata sunt, musivis ac marmoribus convestita, quorum adhuc notabilia remanent vestigia; nonnumquam autem ita cubicula affabre in topho excisa sunt, ut formas architectonicas prae se ferant, perinde ac si essent constructa.

Art. VI. — Errores circa existentiam et situm catacumbarum Romanarum.

Inter plurimos errores, alios archaeologorum genus professum est, alios vulgus indoctum, alios utrumque. Dicam breviter de praecipuis.

Prima notitia nobis ideam praebens catacumbarum extensionis ea est quae in recentioribus compilationibus itinerarii *Mirabilium urbis Romae* dicti (saec. XIV) reperitur, nempe: catacumbae *extendebantur per tria milliaria*. Expressio ambigua videtur, et mirum est Bosio, Boldetti, Marangoni et Lupi noluisse intimius hoc persequi argumentum, atque Christianorum coemeteriorum Urbis nobis determinatiorem conceptum tradere. Acu, ut dicitur, rem tetigisse videtur Ennius Quirinus Visconti, qui in catacumbis sepulcro Scipionum comparandis, eas provinciarum instar sub solo longe lateque iacere affirmet.(1) Ceterum id cum facile erat notatu, nam ubique Romam circum catacumbae inveniebantur, tum effecit ut vulgus sibi immensos inextricabilesque fingeret sub terra viarum labyrinthos, universum Romanum agrum omni ex parte pervadentes. Cum autem archaeologi nihil his opinionibus moverentur, neque quid determinatius hac de re proferrent, catacumbas ipsos sub Tiberis et Anienis alveos transire, sub Urbem, Vaticanum, aliaque penetrare creditum et traditum est.

Raoul-Rochette, qui non pauca ad catacumbas pertinentia, praesertim Christianam artem, perperam iudicavit, loquens de Esquilinis areis, eas seriem hypogeorum constituere cum catacumbis viae Nomentanae, Tiburtinae, Praenestinae et Labicanae communicantium affirmavit. Item de famosis Esquilini montis puticulis disserens, hos non dubitat SS. Petri et Marcellini catacumbis, et ideo etiam iis quae modo commemoravi coemeteriis, adiunctos affirmare. Id, a tam erudito antiquitatis cultore, tamque solemniter affirmatum, utpote Bottarii aucto-

(1) Toulotte, *Géographie de l'Afrique chrétienne: Byzacene*, Rennes, 1891, p. 181.

ritate fretum (qui tamen Bottarius male ab auctore intellectus est, cum nihil habeat huiusmodi), id, inquam, quorumdam excogitationibus facillime viam praebuit. Videlicet fingebatur Christianis in promptu fuisse ubique sub Urbem pervagari, puticulos penetrare et ab istis infamibus foveis Christianorum corpora auferre ut sepultura honorarentur.

Id autem falsum prorsus dicendum est; nam ubi puticuli fuisse perhibentur, nullum catacumbarum apparet vestigium, quod ipse Raoul-Rochette fatetur.(1) Nec possibile quis credat coemeterialia ambulacra interdum in puteos illos incidisse. Etenim fossae Esquilinae puticulorum (id est putentium locorum) nomen nactae sunt, eo quod, teste Horatio,(2) veri putei non essent, sed verius amplae fossae minime impedientes quominus situs ille area vocaretur, et cadavera ibi lupis aquilisque exposita forent. Praeterea huiusmodi catacumbarum puticulorumque coniunctionis nullum unquam exemplum visum est, immo nec proprie videri potuit, quia fossae altae non erant satis. Ne dicam quam sit incertum ubinam, increscentis Christianismi temporibus, extiterint fossae illae, nempe postquam Maecenas, Augusti amicus, non parvam Esquilini partem ubi antea erant puticuli occupavit, ibique magnificam curavit domum construendam.

Neque minus falsum est et anile commentum, uti hodieque pars vulgi asserit, catacumbas sub Romam ingredi, atque pluribus in ecclesiis coniungi, veluti in communia capita concurrentes. Notum est *XII Tabularum Legis* praescriptum, vetans ne ullum cadaver sepeliatur in Urbe neve uratur,(3)

(1) *Le Catacombe di Roma*, pp. 23-29.

(2) *Epod.* V. Cf. *Satyr.* I, 8.

(3) « Lege XII Tabularum cautum: ne hominem mortuum in Urbe sepelirent neve urerent. ... Verumtamen etiam post latas XII Tabulas fuerunt quidam in ipsa Urbe sepulti: quos legibus solutos, virtutis causa id consecutos fuisse Cicero existimat, ut Valerio Publicolae, et P. Posthumio Tuberto contigit, de quibus Cicero lib. II *de Legib.* C. quoque Fabricius iuxta Veliam in foro sepulcrum habuit, de quo Plutarchus. C. Poplicius sub Capitolio, de quo eodem loco lapis Tiburtinus. Claudia familia sub eodem Capitolio, de qua Suetonius; Servius Sulpitius in campo Esqui-

quod Hadrianus rescriptis, fortasseque etiam Antoninus Pius, confirmavit severiusque reddidit.[1] Quin, cum abusus et huius legis transgressiones frequentissime evenirent, eam novo decreto Diocletianus et Maximianus anno 290 in vigorem revocantes, severissime sanxerunt;[2] quam denique aliquantum dilabentem et Christiani imperatores Theodosius et Iustinianus anno 381 in pristinum restituere.[3]

Coemeteria urbana non nisi tempore Ioannis III coepta sunt, scilicet anno circiter 560, ad quem annum respicit recentissima omnium catacumbarum inscriptionum nota temporis instructarum.

Ex quibus liquido patet, sepulturas in Urbe, si quae habitae sint, numquam coemeterium proprie constituisse; ac si, ut evidentissime fratres I. B. et M. S. De Rossi demonstrarunt, Christianos quosdam in Urbe fuisse conditos negare nequimus, ut ex. gr. Ss. Ioannem et Paulum propria in domo Coelimontana; nihilominus ne una quidem coemeterialis via reperta est his consimilis ambulacris, quibus immensas extra muros videmus coaluisse necropoles.

lino, de quo in *Philippicis* Cicero. Quin etiam Imperatores et virgines Vestales, quia legibus non tenebantur, in Urbe sepulcra habebant» (THOMA DEMPSTERUS, *Antiquitatum Romanarum corpus absolutissimum*, p. 265, an. MDCXL. Cf. GIRAUD, *Histoire du droit romain ou introduction historique à l'étude de cette legislation*, Paris, 1842).

(1) *Digest.* lib. XLVII, tit. XII, § 5: *De sepulcris violatis, Corpus iuris*, Berolini, 1877; GOTHOFREDUS, *Ad Cod. Theod.* t. III, p. 160.

(2) *Cod. Iust.* lib. III, tit. XLIV, l. 12.

(3) «Omnia quae supra terram urnis clausa vel sarcophagis corpora detinentur, extra Urbem delata ponantur, ut humanitatis instar exhibeant, et relinquant incolarum domicilio sanctitatem» (*Cod. Theod.* lib. IX, tit. XVII, 6, ed. RITTER, t. III, p. 159). Recte egregius Dom Leclercq notat (*Diction. d'archéolog. chrèt. et de lit., Ad Sanctos*, col. 480, fasc. II) hanc legem, cuius causa ex toto Ecclesiae doctrinae adversabatur, a tribus fuisse Christianis imperatoribus subscriptam, quod satis legislatorum mentem in lege ferenda eamdem permansisse testatur apud legis huiusmodi restitutores.

ART. VII. — **In quo differant et in quo conveniant Christiana et ethnica sepulcra.**

Quaestionem hic aggredior non facile simplici solvenda comparatione; nam si ita esset, quod dixi satis abunde sufficeret. Res vero valde complexa videtur, propterea quod utrique sepulcrorum generi quaedam sunt omnino communia, licet non semper appareant similia; ubi autem revera discrimen inest, id saepe diversissimis ex caussis pendet, inter quas, praeter novam Iesu Christi doctrinam, etiam temporis adiuncta, scilicet legalis plus minusve erga Christianos tolerantia, conditioque illis facta per diversa imperatorum edicta, necnon Ecclesiae respectu legum vigentium repentinae mutationes praesertim recensenda sunt. Neque alienum fuit ab illo discrimine quod Christiani omni debuerint industria caussas persecutionum arcere, earumque effectus, quantum Christiana professio patiebatur, minuere; in quo probe ipsa persecutionum crebritate instruebantur.

Considerandum igitur nobis est quibus conditionibus Christianus civis Romanus constituebatur, antequam persecutionis turbo irrumperet, sive dives sive pauper esset, idque praesertim circa iura et privilegia Romanae civitatis. Testamentum quoddam in bibliotheca Basileensi inventum saeculo elapso,(1) maximo erit nobis auxilio in hac historica restitutione. Integre pretiosissimum citabo documentum, ut descriptum est apud *Bullettino di archeologia cristiana* anni 1863, cum primum apparuit:

Cellam quam] aedificavi memoriae, perfici volo ad exemplar quod dedi ita, ut exedra sit eo, in qua (2) statua sedens ponatur marmorea ex lapide quam optumo transmarino, item (3) aenea ex aere tabulari quam

(1) Haud dubium hoc documentum descriptum fuisse in tabula marmorea aut in stela; pars vero inventa nonnisi dimidium testamentum continet. Patet autem integre ab Alcuini schola documentum exscriptum fuisse in membranaceis foliis, operculis librorum postea addictis. Re enim vera cuiusdam libri folia consuta erant in hac pretiosissima membrana.

(2) Manuscriptum habet: *in quo*. Textus est qualis in editione Kiessling reperitur, ab hoc clarissimo auctore emendatus.

(3) Man. hab.: *ubi* loco *item*.

optumo, alta ne minus p. V. Lectica fiat sub exedra et II subsellia ad duo latera ex lapide transmarino. Stratui ibi sit quod sternatur per eos dies, quibus cella memoriae aperietur, et (?) II lodices et cervicalia duo paria cenatoria et abollae II et II tunicae (1). Araque ponatur ante id aedificium ex lapide lunensi quam optumo sculpta quam optume, in qua ossa mea reponantur. Claudaturque id aedificium lapide lunensi ita, ut facile aperiri et denuo cludi possit.

Colaturque id aedificium et ea pomaria et lacus (2) arbitratu Philadelphi et Veri libertorum meorum, inpensaque praestetur [ad] reficiendum [et] restituendum, si quid ex iis vitiatum corruptumque fuerit colaturque a tribus topiariis et discentibus eorum, et si qui ex iis decesserit decesserintve subtractusve erit, in vicem eius eorumve alius alive substituantur, accipiantque singuli ex tribus tritici modios LX in annos singulos et vestiari nomine XXX. Aquila autem nepos meus et h(eredes) eius haec praestare debeto debento. III (3). Scribanturque in aedificio extrinsecus nomina mag(istratuum), quibus coeptum erit id aedificium et quotannis vixero.

Si quis aliave unquam in iis pomariis, quemadmodum eos [locos det]erm[inavi, extr]a eum ip[se quem] induxi (4), combustus, sepultusve confossusve conditusve consitusve (?) propiusve iis pomaris aliquid adversus ea facturus fuerit, quae s(upra) s(cripta) s(unt), id h(eres) h(eredes)que mei d(amnas) [(damnates)] esto sunto ea omnia ita fieri neque aliter fieri.

Loco autem huic lex haec in perpetuum dicitur. Ne quisquam post me dominium potestatemve eorum locorum habeto nisi in hoc, [ut] melius colantur et conserantur perficianturque. Aditum [itum actum ad id aedificium habeant quicumque] ad id colendum pedibus et vehiculis et staticulis [adibunt.....

Ubi veroquis] combustus suffossusve monimentumve factum illatave ossa propius imposita qui[dve] a quibus factum fuerit ibi (5) iis pomariis et locis et septis eorum que[m]admodum supra scripsi, Sex. Iulus Sex. Iulii Aquilini filius Aquila et h(eres)que eius, [si] s(icut) s(upra) [s(cripsi)] ita factum non fuerit adversusque aliquit factum fuerit, aut non caver[int]

(1) Man. hab.: *et abollet, II tunica.*

(2) Putat editor, hic non *lacus*, sed *loca* legi posse, nam infra legitur: *iis pomariis et locis.*

(3) Hic primum scriptum erat IIII, deinde quarta unitatum deleta est. I. B. De Rossi opinatus est το III initium esse aut tertiae tabulae marmoreae aut tertiae paginae testamenti.

(4) Manuscriptum hoc in loco valde est attritum. Textus a Mommsenio hic et infra ad locum sequentis notae restitutus est.

(5) Hic textus originalis corruptus est ..... *combustus suffossusve monumentive factum illatave ossa propius imponi ..... queant quibus factum fuerit ibi.*

ab herede heredibusque suis, ut ita omnia serventur quemadmodum (supra) [s(ripsi), d(are) d(amnas)] d(amnates) e(sto) s(unto) reipublicae (1) civitatis Ling(onum) sestertium n(ummum) C. [millia]. Haec poena omnibus domini[s] huius possessionis in perpetum inferatur (?).

Omnes autem liberti mei et liber[tae], quos et vivos et quos hoc testamento manumisi, stipem conferant quotannis singul[i nummos sing(ulos) et] Aquila nepos meus et [heredes eius] praestet (?) quotanni[s n.....], ex quibus edulia [quisque sibi] paret et potui, quod profanetur infra ante cel[l]am memoriae quae est Litavicrari, et ibi consumant [die natali meo] morenturque ibi donec eam summam consumant.

Vicibus ex se curatores ad hoc officium nominent, qui id officium annuum habeant habeantque potestatem exigendi hos nummos, mandoque hanc curam Prisco, Phoebo, Philadelpho, Vero, pos..... curatoresque ita nominati [sacrificent] quotannis in ara quae s(upra) s(cripta) est Kalendis Aprilibus Maiis Iuniis Iuliis Augustiis [Septembribus] Octobribus.

Mando autem curam funeris mei exequiarum et rerum omnium et aedificiorum monumentorumque meorum Sex, Iulio, Aquilae nepoti meo et Macrino Regini f(ilio) et Sabino Dumnedor(igis) filio et Prisco l(iberto) meo et procuratori, et eos rogo agant curam harum rerum omnium, eorumque probatio sit earum rerum, quas iussi post mortem meam fieri.

Volo autem omne instrumentum meum, quod ad venandum ad occupandum paravi, mecum cremari cum lanceis gladeis cultris retibus plagis laqueis thalamis tabernaculis formidinibus balneariis lecticis, sella gestatoria et omni medicamento [et] instrumento illius studii, et navem liburnam ex scirpo, ita [ut] inde nihil subtrahatur, et vestis polymit[ae] et plumatae (2) quidquid reliquero et stellas omnes ex cornibus alcinis (3).

Notavit I. B. Rossi, multos miratos esse quod ipse profanissimum hoc documentum explicare promisisset in *Bullettino di sacra archeologia*; idem fortasse erit de lectoribus meis. Quod autem hic sequitur, ex *Bullettino* praefato excerptum, omnem admirationis sensum abdet. Ex relato igitur documento haec ad rem nostram eruere lubet:

1. Vox *memoriae* (cellam quam aedificavi memoriae) non pendet a verbo *aedificavi*, quasi dicat: *cellam quam memoriae mei aedificavi*, sed voci *cellam* haeret; nam paullo post aedi-

(1) In manuscripto: *it. public. civitatis* etc.

(2) In manuscripto: *vestis polymit. et plumari quod quidquid* etc.

(3) Errores amanuensis, quia evidenter satis apparent, a nobis correcti non sunt.

ficium bis *cella memoriae* vocatur. Memoriae ergo vox distinguit hanc cellam sepulcralem a cellis templorum thermarumque; *memoria* enim est sollemnis sepulcrorum appellatio cuius innumera extant exempla. *Cella memoriae* idem sonat ac *cubiculum memoriae.* (1)

2. Cella haec exedrae formam exhibere debebat, cum duabus defuncti statuis, altera marmorea, altera *ex aere tabulari quam optumo,* (2) necnon cum lectica duobusque marmoreis sedibus. Instruenda insuper erat tapetibus stragulisque pro sedilibus, pulvinaribus, convivalibus vestimentis ad conviviorum dies: *Stratui ibi sit, quod sternatur per eos dies, quibus cella memoriae aperietur, et II lodices et cervicalia duo paria cenatoria* etc. Exedra conventus et convivii locus erat; atque Carolus Lenormant eam Romanorum antiquorum temporibus synonymon *hemicycli* fuisse, propter suam semicircularem formam, certissime demonstravit. (3)

3. Ante cellam, sive exedram, ara erat construenda, in qua defuncti ossa reponerentur; circum autem aedificium hortus (*pomaria*). (4) Hic procul dubio ad sepulcrum pertinebat; sed de hoc infra erit sermo.

4. Sequitur ordo inscriptionis ponendae: *Scribantur in aedificio extrinsecus nomina magistratuum quibus coeptum erit id aedificium et quotannis vixero.* Poenae deinde designantur in haeredes qui, praeter cadavera eorum quibus a testatore concessum erit, aliorum etiam uri, vel humari, vel quomodocumque deponi permittant in horto cellae memoriae sacro; locus haud alienandus declaratur; immo dominium ipsum haeredumque possessio in onere consistit colendi, conserendi perficiendique omnia quae ad sepulcrum pertinent.

(1) Fabrettius, *Inscrip. domest.* p. 103, n. 24.

(2) Cuius sit generis hoc aes tabulare describit: Plinius, *Hist. nat.* XXXIV, p. 97.

(3) *Mémoire sur les peintures, que Polygnote avait éxécutées dans le Lesché de Delphes*, Bruxelles, 1864, pp. 12 sqq.

(4) Pomarium vel pomoerium vocabulum compositum est ex *post* et *murus*; idque significaret *extra Urbis muros.*

5. Denique stabilitur ut liberti libertaeque defuncti stipem annuam conferant ad funebre convivium die anniversario celebrandum; item ut curatores nominentur ad stipem exigendam, convivium instruendum, atque, primo cuiuscumque mensis die ab Aprili mense ad Octobrem, in ara ante cellam erecta sacrificent.

Haec omnia (cetera omitto quae ad propositum nostrum non faciunt, licet utiliter legantur ab antiquitatis studiosis) maximam quaestioni de Christianis coemeteriis afferunt lucem; nam quaeri potest quonam titulo poterant Christiani catacumbas aut alius generis coemeteria possidere? Nemo ferme ignorat fabulosa et fere incredibilia quae hac in re narrat vulgus, scilicet de Christianis in cavernis vivere coactis propter persecutorum rabiem; quaestio tamen insoluta maneret si nullum ex monumentis suppeteret adminiculum. (1) Documento vero illo perlecto, quod citavi, nemo ambiget quemlibet Romanum civem huiusmodi testamentum haeredibus relinquere potuisse in qualibet imperii provincia. Verum si Christianam professus erat fidem, ne quid ea indignum committeret, et loci necessitudini se aptaret, quasdam ex illis testamentariis dispositionibus mutare cogebatur. Hinc est quod nedum omnem excluderent caeremoniam quae idololatricum cultum saperet, Romae, consilio fortasse Apostolorum Iudaeorumque exemplo, vel etiam ad sepulcri Domini imitationem, etiam exteriorem fastum vitaverint Christiani testatores, atque voluerint ut corpora sub terra deponerentur, in hypogeis, quo fidelium precationes, non humanam admirationem sibi conciliarent.

Iam vero nihil clarius deducitur ex Christianis monumentis quam quod modo exposui. Antiquiores enim catacumbarum nuclei saepe adhuc hanc primitivam revelant formam qua ab ethnicis hypogeis vix aut ne vix quidem differrent, si ad suum

(1) Mirum est quod etiam hodie non desint, qui authenticam putent inscriptionem cuiusdam Alexandri inventam, uti ferunt, in coemeterio Callisti. Quantulacumque habeatur Christianorum titulorum cognitio, ea sufficit ad falsitatem inscriptionis recognoscendam. Ea integre profertur ubi de fictis monumentis loquimur, c. V.



Tab. 86. Descensus ad sepulcrum PP. Cornelii et ruinae monumenti gentis Pomponiae. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. I).

pristinum possent statum reduci. In area gentis Pomponiae dicta, seu Lucinae, splendidum erat monumentum viae Appiae imminens, cuius ruinae marmoribus privatae adhuc viatorum

oculos in se attrahunt. Initio forte pagana fuit area ista, verum certissime apparet Christianos, saltem a saeculo incipiente secundo, illam possedisse; nam sub eam cryptae effossae sunt, picturisque antiquissimis exornatae.

At exemplum perfectum in coemeterio Flaviorum seu Domitillae habetur. Ibi enim per magnificum ingressum ad hypogeum erat aditus exquisita arte picturis exornatum; neque



Tab. 87. Vestibulum hypogei Flaviorum cum schola et puteo.

quisquam se in Christiano esse hypogeo animadverteret, nisi in medio laqueari boni pastoris figuram conspiceret. In vestibulo autem hypogei est puteus, qui fere numquam deerat in ethnico sepulcro si numerosi ad libandum deberent parentes et amici defuncti convenire; sed eo magis necessarius in Christiano sepulcro ubi agapis suffragium animae defuncti praebebatur. Ad hunc igitur agaparum usum fons quoque erat, atque circum circa sedilia adhuc patentia, ita ut atrio illi perfecte illa denominatio conveniat quam in *Apologetico* Tertulliani reperimus: *triclinium Christianorum* (c. 39); quod in ethnicis

sepulcris vocabatur *diaeta : diaeta, quae est iuncta monumento* (1); *solarium tectum iunctum in quo populus epuletur.* (2)



Tab. 88. Marmor cum monumenti et areae cuiusdam sepulcri delineatione. (Ex M. S. De Rossi, *Roma sott.* t. I, p. 57. *Appendice*).

Aliud nunc documentum nobis examinandum est, quod plenam catacumbarum genesim, ut ita dicam, nobis pandet. Romanum sepulcrum praecipue, uti vidimus, monumento, area

(1) *Inscrip. regni Neap.* 3545.
(2) Orelli, 2417.

circumiacente, hypogeo seu cubiculo funerario sub monumento effosso, constituebatur. His addita saepe erant aedificia monumenti custodibus addicta, horti, ustrina ad cadavera cremanda aliaeque soli partes quae *cedere monumento* dicebantur, quaeque vocabulorum eleganti serie appellabantur: *area, areola, hortus, hortulus, cepotaphium, cepotaphiolum, vinea, vineola, ager, agellus conclusus, viridarium, rosarium, pomarium, harundinetum.*(1) Cippi marmorei aream *monumento cedentem* adamussim determinabant, quae *area adiecta* dicebatur. Aliquando limites areae maceria, sepe, muro, alioque quolibet septo terminabantur, quae non raro magnas circumscribebant areas, et vineas, ut ex istis exemplis apparet: *Huic monumento cedet viniola, – hortus et diaeta sepulcro cedat – huic monumento cedunt agri puri iugera decem.*

Forma autem arearum quadrata sive rectangularis erat plus minusve, quod ex descriptis dimensionibus in cippis aut in fine epitaphiorum colligitur IN·F·P·XV IN·A·P·XX; idest: *In fronte pedes quindecim, in agro pedes viginti.* Non deerant tamen exceptiones, ut in hoc exemplo: *In fronte pedes plus minus XVI in latus pedes XVI, item in latus in via Ardeatina respiciente longu[m] pedes plus minus XXIIII et latu[m] pedes XV.*(2)

Documentum, vel, potius, monumentum maximi in praesenti re faciendum, tabula est quaedam marmorea, quae, post pacem Ecclesiae, loculo cuidam viae Lavicanae claudendo inserviit, ex originario autem loco est subtracta (nescitur qua de causa), ubi visentibus topographicam sepulcri et areae monumento cedentis delineationem exhibebat (Tab. 88). Fabretti eam evulgavit mendosam non parum;(3) tabula eam repraesentat, qualem in primo volumine *Romae subterraneae* (*appendice*, p. 57) cernitur, cui, versam ad litteram, ipsius M. S. De Rossi explicationem subiungam.(4)

(1) Cf. MARINI, *Inscrip. Alb.* pp. 118, 119; *Arvali*, pp. 183, 184, 230.

(2) A. BOSIO, *Roma sotterranea*, p. 173.

(3) FABRETTI, p. 224.

(4) Ad commentarii perspicuitatem M. S. De Rossi plures in tabula signavit literas minusculas; quamobrem non sunt istae cum maiusculis, quae solae in marmore sunt incisae, confundendae.

Monumentum *a* situm iuxta viam publicam (Labicanam fortasse) videtur unde tabula nobis provenit. Mausolei area, ex posteriori et dextro latere via quadam privata circumdata, 524 $^1/_2$ pedes (DXXIV·S) longa in dextra, 546 pedes (DXLVI) lata in posteriori parte, aeque atque in fronte, decem iugerum aream constituit..... Privata via in publica α habet finem, iuxta quam per 1783 pedes (MDCCXXCIII) praedium sepulcro adiectum extenditur. Marmoris fractura impedit, quominus cetera cognoscamus latera, quorum tamen minimam extensionem computare possumus. Integram habemus basim 546 pedum, cui spatium β est adiungendum cuius deest dimensio. Ibi dextrum limen videmus, quod in rectangulum extenditur, nullum vero vestigium dimensionis manet quae tamen indicata esse debebat. Ex quo certo deprehendimus lineam, per spatium non breve rectam productam fuisse. Sed etsi ponamus lineam, statim ubi marmor deest β, flexam in punctum extremum γ, in via publica signatum, polygonum resultans (ita ad minimos redactum terminos) nobis secundam et amplam aream exhiberet, a praecipuo monumento dependentem, duorum fere iugerum, quod 17000 metris quadratis aequivalet.

In delineatione quam examinamus, area monumenti propria etiam graphice distincta est a duabus *adiectis areis*, sive a praedio quod *cedit monumento*. Prima spatium est reclusum arboribusque ornatum, si recte seriem interpretor punctorum, quae lineam maceriae constanter comitatur. Ad duo latera retro maceriam sunt conclavia *c c c* ad *custodiam monumenti* pertinentia.....

Docent nos historici et inscriptiones, solitum fuisse, *ex indulgentia* possessoris, aut per contractum emptionis venditionisve, partes quasdam soli separari, praesertim iuxta vias publicas, ut, velut areae, privatis sepulcris inservirent; cuius rei et in hoc marmore graphicum habemus exemplum. Ad sinistrum enim latus maioris sepulcri, est quadratum interius vario modo distinctum, exhibens in parvo easdem principales partes, quae a mole quadrata dependere perspeximus. Ibi monumentum *d* cum area *e*; ibi *areola adiecta*, vel *agellus conclusus f.* Maceria denique limites distinctae areolae determinat. Praeterea, latus praedii quod viam publicam tangit per 1783 pedes, alteram, praeter conterminam viae, praesentat lineam interius, zonam cum prima determinantem crepidini parallelam. In hac zona subdivisiones conspiciuntur rectangulares *g*, non eiusdem dimensionis, atque interius determinatae cippis *h*. Una ex istis subdivisionibus ceteris est largior, et ultra ceteras interius cippis extenditur. In hac zona facile est dignoscere partem soli a possessore sepulcris parandis destinatam, aut emptionis aut cessionis titulo; atque in variis subdivisionibus areae sunt recognoscendae iam occupatae, quae constanter cippis determinantur. Quod autem parva illa quadrata cippos repraesentent, eorum mihi suadet comparatio cum eiusmodi delineationibus quas in Frontini et Agennii Urbici scriptis videre licet, et quae nuper fideliter transcriptae sunt ex antiquis

codicibus (1). Retro zonam sepulcris destinatam *harundinetum* extenditur, post quod, versus dexteram, marmoris fractura impedit, ut dixi, quominus limitem praefinitum et terrae conterminantis qualitatem conspicere valeamus. Sed non ita est in propiore viam publicam parte, ubi praedium in fossam desinit; inter enim hanc et maceriam aliud interiacet harundinetum. Nobilior videtur cultura areae internae inter duas vias; nam ordinatissima et triplex series punctorum triplicem arborum ordinem mihi innuit; et alia minora puncta, quibus pentagona repleta sunt, elegantem praebent adspectum culturae *pomarii* seu *horti*,

Hactenus M. S. De Rossi. Porro nihil prohibebat quominus Christiani proprio uterentur iure, atque fundum quemlibet in sepulcrum verterent. Nuper examinata delineatio quaestionem solvit de Christianorum coemeteriorum extensione, et citatum testamentum alteram quaestionem expedit de institutione scilicet deque legali coemeteriorum existentia. Immo ipsa religio, nedum ius, funerarias possessiones protegebat, easque contra violatores defendebat; sed de hoc redibit sermo. Iam praetereundum non est, initio religionis Christianae, ne ita quidem ampla praedia necessaria fuisse; nam, in agello quadrato, centum viginti quinque pedes Romanos lato, effodi poterant trecenta circiter ambulacrorum metra, proindeque, si tres ordines computentur, usque octingentos et amplius metra habebimus, ubi facile poterant ultra tria millia cadaverum deponi. (2) Series huiusmodi sepulcrorum, initio Christianismi, satis certe fuit, idque luculenter monumenta demonstrant.

Exemplar citatum alicui Christiano coemeterio nunc applicemus. En, in Tab. 89, primitiva area coemeterii S. Callisti.

Perimetros totius areae, parvis determinata punctis, rectangulum constituit ducentos et triginta pedes longum et centum pedes latum; huius igitur areae examen, tum archaeologicum, tum architectonicum haec demonstrat: Initio scalae constructe

(1) V. LACHMANN, *Agrimensores* tabb. 6, 8, 25 etc.

(2) Haec computatio ita est vera ut etiam pro Africanis catacumbis valeat. Etenim ab anno 1903, quo Adrumeti in Africa quoddam coemeterium antiquum excavari coeptum est, usque hodie, duo millia metrorum ambulacrorum terra expurgata sunt, ibique septem millia et quingenti circiter loculi numerantur. Cf. *Nuovo Bull. di arch. crist.* an. 1907, p. 331.

sunt A B, ex quibus ortum habuerunt parallela ambulacra A A B B, coniuncta denique inter se per cuniculum extremum *c c*. Unicum cubiculum initio fuit excavatum, L[1] hypogeum scilicet, ubi nobilis familiae Caeciliorum membra condi debebant.



Tab. 89. Area prima coemeterii S. Callisti cum communicatione cum arenario. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. II).

Ambulacra autem parallela et transversa non sunt nisi hypogei ampliatio, et apprime monstrant quomodo vicissim omnes huius areae partes ad sepeliendum adhibitae sint. Et quidem talis erat hic modus, quo melior dari nequiret ut maior cadaverum numerus conderentur, nam lateribus occupatis, tota fere area adhuc manebat adhibenda. Haec enunciata tantum in praesenti sufficiant, suo loco erunt postea demon-

stranda; sed, ne fide tantum hoc accipiatur, notabo, latus A A definitum esse per viam, oppositum vero latus per murum,



Tab. 90. Area et cryptae Lucinae. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. I).

cuius ruinae adhuc extant; anterius latus per limites scalarum; posterius, per ipsum ambulacrum *c c*, quia retro nulla fossio facta est, nisi multo post, ad hanc aream cum propinqua area colligandam. Parvi enim cuniculi c^1, c^2, B^1, qui principium

capere videntur ex hoc ambulacro, multo sunt ipso posteriores. Idem evidenter deprehenditur in area Lucinae cuius delineatio (Tab. 90) paullisper consideranda nobis est.

Quod aliqua esset circa monumentum X area adiecta nemo negabit; monumentum autem, positum, ut congruebat, in medio areae, viam Appiam respiciebat. In crepidine ergo huius viae erit latus anterius determinandum. Cum vero hic illic sint alia privata sepulcra C, *b' b'*, area nequivit limites eorum transire. Porro, lineis punctis ductis perspicere licet monumentum in medio areae esse, et aequo spatio a lineis praefatis distare; praeterea antiquissimum coemeterii ambulacrum *b b b* iuxta limitem excavatum fuisse idemque limitem successivae excavationis designare. Nihil igitur evidentius quam lineas praefatas areae latera constituere.

Primitivae istae areae non raro nomine etiam totius coemeterii quodammodo indicantur. Etenim, aliqua coemeteria minime antiquissimum nomen mutasse videntur, ut, exempli gratia, *Coemeterium Praetextati*; quamvis quis fuerit ille Praetextatus prorsus ignoretur. Ubi autem nomen coemeterii mutatum est, inscriptiones tamen in ambulacris iacentes gentilicium prisci areae possessoris fere semper revelant.

Ita factum est de gentis Caeciliae area, quae centrum constituit coemeterii S. Callisti, ita de area Lucinae, de area Aciliorum, si quidem ipsa Priscilla, quae nomen dedit antiquissimo viae Salariae Novae coemeterio, ex Aciliorum gente orta non fuerit; et ita de aliis. Nomen vero posterius assumptum aut alicuius Pontificis fuit, qui magna coemeterio attulerat incrementa, aut martyris illustris, cuius corpus in coemeterio depositum fuerat.

Certum quoque est Christianos supra coemeteria aedificia pro custodibus et praesertim pro fossoribus construxisse. In vestibulo coemeterii Flaviae Domitillae, praeter triclinium, fontem, puteum, vestigia scalae videre licet ad aliquam contignationem conducentis, ubi habitatio fossorum et custodum esse poterat. Immo maxime necessaria erant eiusmodi aedificia, cum possent in ipsa se conferre Christiani iam nominatim a

persecutoribus quaesiti; nam perdifficilis erat, quidquid vulgus dicit, longa in catacumbis commoratio. Haec inscriptio de fossore mentionem facit qui una etiam custos erat loci, et de stipendio ipsi a duobus coniugibus defunctis collato :

ΑΕΙΨΩΝ ΤΩΤΕ ΤΟΡΟΦΥΛΑΚΙ ΚΑΙ ΦΟCCOPI ⚹ ΔΕΚΑ.

Idem dicendum de cippis terminalibus, de maceriis, de muris areae circuitum limitantibus. Cippus quidam in fundo Amarantiano (*Tormarancia*) inventus, ubi Flaviorum necropolis sita est, ista prae se fert verba: *Sergio Cornelio Iuliano fratri piissimo et Calvisiae eius P. Calvisius Philotas et sibi ex indulgentia Flaviae Domitillae. In fronte P. XXXV, in agro P. XXXX.*

Duorum fratrum De Rossi studia evidenter demonstrarunt, non tantum initium catacumbarum, verum etiam progressum generis fuisse eiusdem : scilicet areae invicem proximae et inter duas vias iacentes ita ampliatae sunt aliquando novis arearum additionibus, ut tandem communicarent inter se, atque in unicum coalescerent coemeterium.

Procul dubio externus adspectus sepulcrorum paulatim debuit mutari : quod si, prioribus Ecclesiae quidem temporibus, Flaviae, Pomponiae, Aciliae gentis aliorumque sepulcra, in viis publicis, splendidis marmoreisque exornata monumentis apparuerunt, hoc ideo fieri potuit, ne nimis magistratuum attentio attraheretur notabiliore illorum cum proximis sepulcris discrepantia, et propter quamdam congruentiam cum nobilitate familiarum nondum integre ad Christum conversarum, ex quibus prisci illi Christiani orti erant. Et haec quoque est ratio cur, in cubiculo quodam Domitillae coemeterii, in medio laquearii viri figura omnino nuda, neque quemlibet biblicam allusionem significans, conspiciatur. Illuc enim, cum statim post atrium esset cubiculum, poterant et ethnici ingredi. E converso in Caeciliorum hypogeis quaedam sobrietas decorationis invenitur. Eorum tamen ingressus patentes certe fuerunt et monumentorum instar, vestibula quoque et scalae ornatae polito erant tegumento cuius adhuc vestigia videre licet; sed dum colum-

barium libertorum huius gentis iuxta viam Appiam situm erat, cryptae ipsius nobilissimae familiae caput habebant in via



Tab. 91. Columbarium libertorum Caeciliae gentis, ad dexteram viae Appiae apud coemeterium Callisti. (Ex *Effemeridi lett. di Roma*, agosto 1882, p. 198).

interna et privata, consulares Appiam et Ardeatinam inter se coniungente.

Art. VIII. — De religioso sepulcrorum charactere iuxta Romanum ius.

Incepta tractatio pergere debuisset in Christiani sepulcri cum ethnico rituumque utriusque collatione; nam ex comparativa monumentorum et morum investigatione tota apparebit veritas illius Baronii sententiae: *Ex licentia qua, deorum delubra in Ecclesias Christianas sunt laudabiliter commutata, alii quoque ritus Gentilium a nobis benedictionibus expiati divino sunt cultui consecrati*; (1) atque liquido patebit qualis fuerit conditio socialis Christianorum ex Romana seu ethnica societate exeuntium.

Verum necesse est hic aliquid praeponere de conditione quam Romanum ius et religio coemeteriis Christianorum faciebant; cum, in sequentibus tractationibus, eiusmodi notionem

(1) Baronius, *Annal.* an. 44, § 87.

iam studiosi supponantur habere. Quamobrem novum hoc argumentum hic adoriamur oportet.

Mirae sunt epigraphicae imprecationes in sepulcrorum violatores, tam in ethnicis quam in Christianis titulis. En aliqua utrorumque specimina:

ILLI DEOS IRATOS, SI QVIS DE EO SEPVLCRO VIOLAVERIT.

SI QVIS HVNC TVMOLVM (*sic*) VIOLARE TENTAVERIT IRAM DI (*Domini*) INCVRRAT ET ANATHEMA SET (*sic*) (1).

HOSPES, ITA POST OBITVM SIT TIBI TERRA LEVIS, VT TV HIC NIHIL LAESERIS, AVT SI QVIS LAESERIT NEC SVPERIS COMPROBETVR, NEC INFERI RECIPIANT, ET SIT EI TERRA GRAVIS.

MALE PEREAT INSEPVLTVS, IACEAT NON RESVRGAT, CVM IVDA PARTEM HABEAT SI QVIS SEPVLCRVM HOC VIOLAVERIT.

Imprecationes huiusmodi nonnisi in sepulcris legebantur subdialibus, sicut generatim fuerunt in Africa, in Galliis et in Hispania; nulla vero inscriptio id genus invenitur in catacumbis, ubi nullum periculum erat alicuius ethnici sepulturae cum fidelibus.

Hic mos vero ad saeculum usque novum perdurasse videtur, cum, tempore Leonis III in ecclesia Portuensi S. Mariae, haec apposita sit inscriptio:

SCE DI GENETRIX .....
BIBIT IN TVA ECLE*sia*
CONIVRAT IN SPV. VT .....
VTI SI NON PARTE AB*eat* (2)

Commemoratur scilicet custos vel inserviens ecclesiae (*vivit in tua ecclesia*), qui sepulcrum sibi paravit et *coniurat in spiritu* ne quis illud violet; sin autem violator *partem habeat* cum Iuda.

Revertamur hic oportet ad vocabulum *locus*, quod idem atque *locus sepulturae*, *locus religiosus* in monumentis funerariis significat.

Locus nomen, uti vidimus, sepulchrum designat, tam unicum quam multiplex; a gentilibus quoque in hac acceptione

(1) GAZZERA, *Iscriz. crist. del Piemonte*, p. 45.
(2) Ap. *Bull. di arch. crist.* an. 1866, p. 100.

usurpatum erat. Invenitur in unicam litteram contractum L, cui additur plerumque alia littera: L F ut illud habeatur: *locum fecit*, idest *locum* paravit, procuravit, quod tam ad superstitem quam ad defunctum loci possessorem pertinere potest. Si vero vox *locus* nomini personae depositae in genitivo iungitur, tunc antiquissima epigraphica formula habetur, frustra in ethnicis inscriptionibus quaerenda, ideoque mere Christiana exempli gratia: *locus Petri Diaconi*, τοπος ΑΝΑΠΑΥCΑΙΟC. (1)

Locus in cippo terminali totam sepulcrorum seriem indicat per cippum determinatam, seu integram aream, integrum columbarium. *Loca*, tum in Christianis tum in ethnicis sepulcris idem significant, scilicet totam loculorum vel ollarum seriem illius sepulcri partis, quam vox indicat ratione loci ubi est posita. Tabulae 78 et 91 ideam praebent serierum loculorum, simulque quamdam inter duo sepulcrorum genera convenientiam.

Locus religiosus, ut ex hoc Digesti textu apparet: *Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit dum mortuum infert in locum suum*, quilibet locus erat ubi cadaver depositum fuisset. Quapropter sepulcrum ipso iure haud alienandum extabat, atque usucapioni vel praescriptioni minime subiacebat. Illius igitur possessio e familia exire nequibat ea quae in illud aliquod proprium membrum deposuisset. Hinc nota formula siglis expressa:

H·M·E·T·H·N·S·

Hoc monumentum ex testamento haeredem non sequitur.

Notandum tamen sepulturam non temporaneam, sed perpetuam esse debuisse, quod his verbis indicabatur: *perpetuae*

(1) Pelliccia affirmat, vocem *locus* cum nomine genitivo possessoris proprium esse Christianae epigraphiae (*De christ. eccl. politia*, ed. Bassani, t. III, pp. 200 sqq.). Et revera, ut I. B. De Rossi sententia est, nullum invenitur huius formulae exemplum indicans columbarium, sepulcrum aut monumentum paganum. « Ma l'uso di questa voce *locus* nella latina classica epigrafia sepolcrale fu tanto vario ed esteso, che molta cautela è necessaria nell'applicazione del canone di cristiana epigrafia dal Pelliccia proposto » (I. B. De Rossi, *Roma sotterranea*, t. III, p. 412). Romae eiusmodi inscriptiones innumerae fere sunt.

sepulturae traditum, – domui, vel *sedi aeternae traditum,* quodque nihilominus et in sepulcris Christianorum non raro post pacem Ecclesiae legitur. (1) Ceterum sufficiebat ut sepulcrum, quatenus

(1) Notanda est haec inscriptio ethnica, aperiens cur pagani sepulcrum voluerint perpetuum et inviolabile: *Domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.* Etenim timebant ne, per sepulcri violationem, umbrae sive manes mortuorum errare cogerentur iuxta Stygem. Nec defuerunt Christiani, qui adhuc ethnicis opinionibus imbuti, huiusmodi timore exagitarentur, ac de modo resurrectionis humana consideratione discuterent: Quid de corpore integre resurrecturo, si pluribus dividatur bestiis devorandum? Quamobrem nihil mirum si in sepulcris Christianis subdialibus eadem anathemata inveniantur atque in ethnicis titulis (cf. TERTULL. *Apolog.* XVIII; S. AUGUST. *De Civ. Dei,* I, 35, *P. L.* t. XLI, col. 46; LACTANT. *Instit. divin.* IV, XXVI, *P. L.* t. VI, col. 529; S. GREG. MAG. *Homil. in Evang.* II, XXVI, 12). Verumtamen res non est ita absolute accipienda ut quidam volunt (*Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, art. *Ad Sanctos*, coll. 479–487), quasi omnes Christiani, qui *domum aeternam* sepulcrum vocaverint, aut mulctam aliave mala minati sint violatoribus, id propter ethnicas opiniones quas adhuc retinebant fecerint. Naturale enim est homini desiderium in loco securo et inviolabili post mortem quiescendi; idemque parentibus defunctorum et amicis, qui natura nequeunt de inviolabili carorum suorum sepultura non cogitare, eam non providere, provisamque non servare. Inscriptio in textu citata satis probat de continuatione moris etiam post deorum cultus completam abolitionem; quod si nosmetipsos interrogaremus, parum nos ab illis Christianis diversos inveniremus.

Praeterea nolo premere silentio quae circa tantum argumentum I. B. De Rossi habet, eo vel magis quod alias simul utiles instituto nostro notiones addentur: « Il vocabolo *memoria* non sempre significa edificio più o meno monumentale. Qualunque semplice sepolcro fu talvolta appellato *memoria*. Anche *Cella aeterna* leggo in un altro esempio in luogo di *domus aeterna*, *aeternalis*, *sempiterna*, *perpetua*; che vale semplicemente sepolcro, sia esso magnifico mausoleo, sia appena un'arca nascosta sotto il pavimento od il suolo. L'uso però della voce *domus aeterna*, parmi in Roma più raro nelle gallerie sotterranee, che nei sepolcri e monumenti a fior di terra e sopra terra. Non dirò, che ciò sia venuto dal non avere i loculi sotterranei somiglianza veruna con le forme delle case; mentre viceversa agli edifici dei monumenti ed ai sarcofagi, i cui coperchi imitarono i tetti, la voce *domus* era meglio appropriata. È chiaro dal linguaggio degli scrittori e delle epigrafi antiche, che il vocabolo *domus* allude alla dimora nel sepolcro, non alla forma di questo. E perciò la formola *domus*

tale, per publica instrumenta, sive documenta recognitum esset; tunc enim non amplius profani poterat usibus inservire, atque in tutelam veniebat collegii pontificum, qui eius iuridicae conservationi providebant; neque ulla mutatio alicuius momenti fieri poterat, sine praefati collegii licentia et interventione. Huius pontificum interventionis mentionem habemus in hac ethnica

aeterna fu variata nelle più generiche *sedes perennis*, *locus aeternus*: ed in un'iscrizione africana: AETERNA DOMVS HIC EST PAVSVM LABORIS HIC EST ALIQVID MEMORIAE HOC EST: ed in elegante epigramma tuttora inedito trovato in un colombario della via Latina il defonto scherza dicendo: ET GRATIS AETERNO PERFRVOR HOSPITIO. Talvolta in epitaffi di coniugi il sepolcro fu detto *torus aeternus*: così una singolare epigrafe conservata nella Villa Panfili, in cima alla quale è scritto: DOMI AETERNAE CONSECRATAE, termina con quest'apostrofe della defonta al marito superstite: IGITVR DOMINE OPPI MARITE NE DOLEAS MEI QVOD PRAECESSI SVSTINEO IN AETERNO TORO ADVENTVM TVVM. E similmente in una cimiteriale cristiana posta dal marito alla moglie: CVM QVATTVOR FILIOS DORMIT AETERNO TORO. Come si possa scusare l'uso di simili formole nelle iscrizioni dei Cristiani, i quali avevano fede nella risurrezione, cercarono chiarire il Fabretti, il Biagi, il Cavedoni. La somma del loro discorso si riduce a questo, che, come nella Volgata del salmo XLVIII, 10, è detto: *sepulcra eorum domus illorum in aeternum* e volgendo alla lettera l'originale dovrebbe dire *in saeculum*, e dai Cristiani fu inteso e si intende *in finem saeculi*, alla fine del mondo presente; così *domus aeterna* significò la dimora nel sepolcro fino al dì della finale risurrezione. Che veramente sia così lo conferma il seguente frammento, che nello scorso secolo fu visto nel monasterio di S. Agnese fuori delle mura: e nel quale è, a mio giudizio, evidente dover essere supplita appunto la formola *in finem saeculi*:

*in fi*NEM SAE
*culi fe*LICITA
*sibi d*OMVM
*aetern*AM SE
*viva pa*RAVIT

« Siccome però la formola *domus aeterna* nel linguaggio dei pagani aveva senso ripugnante al dogma cristiano, stimo che nei primi secoli i fedeli poco o nulla l'abbiano adoperata; e perciò sia essa rara nelle regioni più antiche dei sotterranei cimiteri. Nel secolo quarto poi e nel quinto l'uso del comune linguaggio e la predetta interpretazione la fecero adottare senza scrupolo nella cristiana epigrafia » (*Roma sott.* t. III, pp. 455-456).

tabula ad pavimentum reficiendum coemeteri sancti Callisti adhibita :

D M
MARCIA AVGVRINA SEPVL
CRVM PARENTVM SVORVM
VETVSTATE CONRVP
TVM PERMISSVM PONTIFICVM
C · V · (1) RESTITVIT · LIBERTIS LIB
ERTABVSQVE POSTERISQVE EOR
VM HIC MONIMENTVS EXTRA
NEV · HERede NON SEQVITVR

I. B. De Rossi quidem quaerit, utrum Christiani pontificum paganorum auctoritatem expetierint ad coemeteria restauranda, etiam in singulis translationibus aut sepulcri mutationibus? « Certo inter commoda ex subterraneis ac tenebricosis cryptis percipienda, illud procul dubio fuit ut possent Christiani ab eiusmodi recursu ad pontifices se subtrahere, atque solum ab auctoritate ecclesiastica dependere cui coemeteriorum administratio incumbebat. Verum si de constructionibus sub divo agebatur, nullo poterant modo tale iugum excutere, quod ferre certe potuerunt sine conscientiae offensa vel paganorum rituum contaminatione. At his in adiunctis, saepe piaculare sacrificium praescribebatur. (2) Id necessarium putabatur cum translatio corporis fieri debebat *iam perpetuae sepulturae traditi*; vel si, in monumento restaurando, arca sepulcralis aperta atque ossa solis radiis exposita forent: *Qui corpus perpetuae sepulturae traditum vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, et solis radiis ostenderit, piaculum committit.* (3) Porro ego aestimo pontifices ideo intervenisse, ne illud accidere posset: *pontifices explorare debent, quatenus salva religione desiderio reficiendi operis medendum sit.* (4) Ita pontificum exploratio magis

(1) C · V · id est *Clarissimorum Virorum.*
(2) Cf. Gotofred. *ad Cod. Theod.* IX, 17, 2.
(3) Paulus, *Sentent.* I, 21, 4.
(4) Ulpian. *Digest.* XI, 8, 5.

impediendae quam praescribendae necessitati expiatorii sacrificii inserviebat ». (1)

H. Leclercq putat, ius collegii pontificum rei sepulcralis regendae fuisse, post pacem Ecclesiae, partim penes idem collegium, partim penes Urbis Praefectum; Christiani vero potuisse recursum de violato sepulcro, aut de corporis translatione etc. habere apud ecclesiasticam auctoritatem; idque verisimiliter, nam dedecebat Christianos tunc temporis in re funeraria a pontificibus ethnicis dependere; licet imperator Constantius antiquas dispositiones legis in hac re servavisset. Idem auctor affirmat mulctarum originem ab eo esse repetendam, quod ius

(1) *Bull. di arch. crist.* an. 1865, pp. 89-90. Pergit deinde egregius archaeologus: « Del rimanente negli atti della vita ad ogni ora i Cristiani dovevano trovarsi nel caso di distinguere fra le prescrizioni puramente civili dei magistrati romani e le religiose; obbedendo alle prime e negando obbedienza alle seconde. Ed in prattica, tranne quando la persecuzione infieriva per editti speciali, i magistrati furono costretti a chiudere gli occhi ed a tollerare che i Cristiani operassero a loro modo. Così fu preparata la distinzione fra gli atti del diritto pontificale che potevano considerarsi come civili, da quelli che erano a stretto rigore religiosi ed idolatrici; distinzione poco avvertita, che è la chiave di molte leggi dei primi imperatori cristiani. In fatti Costante, benchè zelatore della fede cattolica, e desideroso di abolire l'idolatria, conservò ai pontefici il diritto di accordare il permesso pel restauro dei sepolcri: *Qui libellis datis a pontificibus impetrarunt, ut reparationis gratia labentia sepulcra deponerent, ab inlatione multae separentur. In provinciis locorum iudices, in Urbe Roma cum pontificibus tua celsitudo* (il Prefetto della città) *inspiciat si per sarturas succurrendum sit alicui monumento, ut ita demum data licentia tempus etiam consummando operi statuatur* (*Cod. Theod.* loc. cit.). Nè il principe distingue tra i sepolcri dei pagani e quelli dei fedeli; nè questi esime dalla giurisdizione dei pontefici. Laonde in luogo di maravigliarci, come alcuni hanno fatto, che quell'Augusto sì zelante del cristianesimo abbia promulgata nel 349 e nel pieno trionfo della Chiesa una legge sì difforme dai suoi propositi, o supporre una restrizione ai soli sepolcri dei gentili, alla quale le generali parole dell'editto recisamente si oppongono (cf. GOTOFRED. loc. cit.). Piuttosto dovremo intendere che quella giurisdizione dei pontefici non era al tutto inconciliabile con la santità della sepoltura cristiana; e forse anche che i fedeli erano già da lungo tempo avvezzi ad acconciarsi in alcuni casi di suprema necessità con siffatta legislazione senza ledere la coscenza nè fare atti d'idolatria ».

poenale multiplici circumscriptione affectum esset propter multiplicata in dies privilegia morumque lenitatem. Etenim capitalis poena raro infligebatur civibus, qui etiam iuris Quiritium (ut aiebant) caussa nulli corporali poenae obnoxii esse poterant. Igitur ad mulctas fuit tandem deveniendum quae solae in cives Romanos potuerunt a tribus potestatibus (1) infligi. Verum si monumentis fidere debemus, saeculo quarto pecuniaria poena non semper sola praescribebatur in publico crimine *de sepulcro violato* puniendo, sed aliquid gravius perinde ac membri alicuius amputatio, immo poena capitis, ut patet ex his epigraphicis exemplis:

1.

ARCA MANIONI MILETE E NVMERO BRVCHERVM ET SI QVIS EAM APERVERIT VT MANI EIVS PRAECIDANTVR AVT IN FESCO DET AVRI PONDO DOA CONS ARCADIO ET HONORIO GSTS

2.

SI QVIS ARCAM AVVITERARE VOLVERIT INFERAT FISCO AVRI LIBRAS OCTO IVXTA ET POENA CAPITIS

3.

SI QVIS EAM CONTRERIVIT CAPITIS PERICVLVM PATIATVR

Nihilominus, ut H. Leclercq notat, in his apparet potius suggestio iudici facta quam legalis praescriptio. Adeat studiosus qui velit sitim explere circa hoc argumentum auctorem praefatum. (2)

Locutio, *religiosus locus* vel *locus sacer et religiosus* invenitur quidem in sepulcris Christianorum, sed tantum post pacem Constantini Ecclesiae datam. Tunc enim, si sacrum vocatum est sepulcrum, id alicui ecclesiastico ritui tribuendum

(1) Istae potestates erant *comitiatus maximus* idest *comitia centuriata*, et *quaestiones perpetuae*, ad tribunos et ad tribunalia spectantes.

(2) *Dictionnaire d'archéologie chr. et de liturgie*, art. *Amendes* (*dans le droit funéraire*), pp. 1575 sqq.

est; nam persecutionum temporibus Christiani vocabulo *sanctum* usi sunt ad religiositatem sepulcri significandam. (1)

Iam alia est formula explananda, scilicet: *in loco sancto*, quae tam universum Christianum quodcumque coemeterium, quam eius partem, ubi martyrum corpora condita fuerint, indicare potest.

Communior autem et verisimilior secunda interpretatio videtur, si de Romanis catacumbis sermo sit; huc enim peregrini numerosi affluebant ut martyrum sepulcra venerarentur, quae *loca sancta* vocabant. Hinc etiam locales formulae: *in hoc loco sancto; hic in loco sancto*, sepulcretum veluti indigitantes, sicut in quadam coemeterii S. Callisti inscriptione, ubi optima

(1) In III tomo *Romae subterraneae* (pp. 433 sqq.), praeclara quaedam habet I. B. De Rossi, quae integre citare praestat: « Nell' insigne iscrizione puteolana (v. supra) che sancisce l'inseparabilità della *tabernula* dal *locus sacer et religiosus*, la consecrazione è attribuita in modo speciale ai cubiculi del monumento: *cubicula sacra*. Diverso dal *sacer* è il valore del vocabolo *sacrarium*: questo designa luogo non consecrato, ma ove cose sacre si riponevano; laonde ogni privato poteva fare *voluntate sua* come un luogo religioso così un *sacrarium* (v. LUEBBERT, loc. cit. pp. 43, 49). Ed infatti un'iscrizione pagana testè rinvenuta appella *sacrarium* un monumento sepolcrale; e dà luce a una simile, nella quale è scritto SACR · RELIGIOSVM, ove il contesto e il confronto con l'altra insegnano, che dobbiamo leggere non *sacrum*, ma *sacrarium religiosum* (v. BRIZIO nel *Bull. dell'Ist. di corrisp. arch.* 1873, p. 13).

« Applicando queste dottrine al gius sepolcrale cristiano, è chiaro che i fedeli avrebbero commesso atto d'idolatria facendo *consecrare* i loro sepolcri; ed ovunque leggiamo espresso ricordo di siffatta consecrazione dobbiamo escludere ogni sospetto di cristianità. Questo canone, a stretto rigore, comprende anche la semplice formola *locus sacer*; la quale di sua natura designa luogo consecrato. Vero è che la religione cristiana ebbe anch'essa i suoi *sacerdoti*, *sacramenti*, persone e cose sacre; e che i fedeli tennero i sepolcri in somma venerazione. Laonde avendo io trovato nel posto preciso d'uno degli antichi vestiboli del cimitero di Domitilla un cippo scritto in due facce con la formola: LOCVS SACER SACRILEGE CAVE MALV*m*, opinai che quell'epigrafe potesse essere stata propria del cimiteriale adito, ove fu rinvenuta (v. *Bull. d'arch. crist.* an. 1875, pp. 39, 56). A questo pensiero m'indusse la considerazione del luogo e dell'alta antichità di quel cimitero contemporaneo dei Flavii Augusti e dei primi

commemoratur mulier, *Hilaritas* nomine, quae per annos VIII sponso Virginio absenti *suam castitatem custodivit, unde in hoc loco sancto deposita* (fuit)... etc.

Estne vero aliquod discrimen inter formulas: *locus sanctus* et *locus sacer*? Si nulla intercederet differentia, Christiana coemeteria dicenda essent non secus atque ethnica idololatricis ritibus consecrata fuisse. Quaedam inscriptio, Puteoli inventa, habet:

TABERNVLA AVTEM CVM SVIS SVPERIORIBVS NVLLO MODO AB HOC LOCO SACRO ET RELIGIOSO ... SEPARARI POTEST

Atque haec clarissima formula istam paullo obscuriorem illustrat ab inscriptionum collectoribus relatam.

anni del secolo secondo: quando il linguaggio proprio della cristiana epigrafia non era ancora formato e rigorosamente definito. Qualunque sia il grado di probabilità di quella mia congettura cui non do molto peso, certo è che i Cristiani nel periodo di viva lotta contro il paganesimo, divennero ogni dì più attenti ad escludere ogni vocabolo equivoco, che ai loro riti potesse dare alcuna apparenza di affinità con quelli degli idolatri. Dal formulario proprio della cristiana epigrafia fu escluso il *locus sacer*, perchè alludente alla pagana consecrazione; proprio di quel formulario divenne il *locus sanctus*, di che sopra ho detto, e qui debbo chiarire in che differisca dal *sacer*.

« *Sanctum* nel linguaggio proprio delle leggi e del diritto publico e religioso dei Romani differiva dal *sacrum* ed anche dal *religiosum* in modo, che *sanctum interdum nec sacrum est nec religiosum* (TREBATIUS ap. MACROB. *Saturn.* III, 3, 5). Ulpiano definisce: *proprie dicimus sancta quae neque sacra neque profana sunt, sed sanctione quadam confirmata, ut leges sanctae sunt ...: quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi Deo non sit consecratum* (*Digest.* I, 8, 9, § 3). Questo basta ad insegnarci, come i Cristiani accortamente prescelsero un vocabolo che a niun equivoco si prestava di consecrazione idolatrica. Ma la *santità* nel linguaggio cristiano à un significato assai più nobile ed alto, conforme ai divini insegnamenti dell'Evangelo. Ἅγιος, *sanctus*, per eccellenza, è Dio ed il Santo Spirito; perciò santi sono i Cristiani, figliuoli adottivi di Dio per lo spirito loro infuso di santità; santi i luoghi e le cose al divino culto spettanti. Di queste locuzioni è pieno il nuovo testamento. Perciò ἅγιος τόπος fu detto il luogo, ove i Cristiani celebravano i divini misteri e presso il quale deponevano le spoglie dei loro cari; massime quando ivi riposavano i martiri di Cristo e della sua fede ».

HAEC AEDIFICIA PROPRIA, COMPARATA, FACTA DICATAQVE SVNT MONVMENTI SIVE SEPVLCRVM EST ET OLLARVM QVAE IN HIS AEDIFICII INSVNT ET CONSECRATAE SVNT RELIGIONISQVE EORVM CAVSA (1)

In quibus haec iuxta I. B. De Rossi sunt animadvertenda: non omnis locus religiosus erat simul sacer, sed sacer fieri legitima consecratione poterat; quae consecratio nescitur hodie in quo constiterit sed haud dubium eam ad pontifices attinuit, penes quos potestas seu ius sepulcrale erat. Locus igitur vel monumentum in quo defunctus rite *perpetuae sepulturae traditus* erat, fiebat quidem *ipso facto* religiosus,(2) non autem sacer nisi pontificalis consecratio accessisset; hinc formulae ex parte iam relatae: *locus sacer et religiosus, ollae consecratae et religio earum;* et aliae quoad genus adhibitae: *locus sacer*; *locus diis manibus consecratus;*(3) *domus aeterna consecrata.*(4)

ART. IX. — **Utrum coemeteria Christianorum legalia an tolerata solum fuerint.**

Nihil fortasse archaeologiae peritis in controversia magis versatur hodie, quam iuridica Christianorum coemeteriorum conditio priscis Ecclesiae temporibus. Hanc tractare quaestionem mihi mens est; neque quisquam, ut puto, vitio vertet auctori, quod rem velit non quidem prorsus enucleare (quum et perdifficile sane sit opus, neque ulla spes affulgeat praestandi quod doctissimi quique archaeologi hucusque facere nequivere), sed tantum in sua luce quaestionem ponere, aut, verius, statum quaestionis exhibere. Quod consilium prorsus inutile mihi non videtur; fore enim spero ut, ex notionibus hic producendis, qui-

(1) GRUT. n. 867, 5; ORELLI, n. 4507. Religiosa et sacra illa tantum spatii portio declarari poterat quam sepulcrum occupasset; nam *non totus qui sepulturae destinatus est locus religiosus sit, sed quatenus corpus humatum est* (CELSUS in *Digest.* XI, § 5).

(2) *Roma sott.* t. III, p. 433.

(3) ORELLI–HENZEN, n. 7345.

(4) DE ROSSI, *Rom. sott.* t. III, pp. 411–456.

libet lector animo ac mente quaestionem accurate concipere possit, sententiamque illam amplecti, quae sibi verisimilior visa fuerit.

Testamentum, quod paullo ante rettuli, legum vigentium gratia fieri poterat; quae leges, certis ac limitatis terminis, executionem illius atque observantiam opportuna coercitione in haeredes negligentes applicanda sanciverant; unde quemlibet imperii Romani subditum, ut privatam personam, potuisse eiusmodi testamentum conficere, cuiuscumque foret religionis, nemo negabit. Non esset igitur quaestio instituenda de legali privati cuiusdam hypogei Christiani existentia, sed de areis sepulcralibus quae, licet sub titulo privato forent, communitati tamen fidelium inserviebant, aut aperte palamque titulum collectivum prae se ferebant.

Formulis enim epigraphicis: *hoc monumentum haeredem non sequitur; hoc monumentum neve vendere licet, neve alienare, si quis aliud corpus intulerit praeter eorum, quibus a me concessum est poenae nomine det...* etc., hoc praescriptum legis respondebat: *Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.* (1) Hanc autem legem severissimae poenae sancie bant: *Qui sepulcrum violaverit, aut de sepulcro aliquid detulerit, pro personarum qualitate aut in metallum dantur, aut in insulam deportantur.* (2) Item: *Qui sepulcrum alienum effregerit, aut aperuerit, eoque mortuum suum alienum intulerit, violasse videtur. Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eo detraxerit, lapidem columnamve sustulerit, violasse videtur.* (3)

Sanctiones hae omnia indistincte respiciebant sepulcra, nedum privata, etiam communia seu collegialia, de quibus hic nobis est dicendum.

Haec enim aut sicut privata regebantnr (scilicet sub titulo privato) aut palam aperteque a civili religiosaque ethnica potestate recognoscebantur.

(1) Marcian. *Digest.* I, 8, 6, § 4.
(2) Iulii Pauli *Sentent.* II, c. 13.
(3) Ibid.

Certum est coemeteria sub privato titulo communia legem contra latam illicita collegia eludere potuisse, propterea quod integrum cuique erat in proprio hypogeo sepulturam admittere parentum, amicorum, propinquorum, clientium, qui innumeri esse poterant: *sibi et suis* legitur in fere omnibus ethnicis epitaphiis, aut: *libertis, libertabusque postereisque eorum,* idque in



Tab. 92. Sectio verticalis coemeterii S. Callisti cum diversis ambulacrorum ordinum libramentis et fluminum. (Ex De Rossi, *Roma sott.*).

omnibus imperii Romani provinciis. Sic in epitaphio quodam Polae invento, formulae *sibi et suis* haec subiunguntur: *et amicis meis qui volent huc venire suo quisque die veniant et requiescant.* In alio autem consuetae additur formae: *et misericordiae*; idest, prout Amatius interpretatus est, pia domini concessione, et peregrinantes et pauperes ibi, quoadusque locus esset, sepulturam habere possint.

Itaque, ut iam notavi, ex gentiliciis hypogeis paullatim efformatae sunt subterraneae necropoles quas hodie admiramur,

novis scilicet additis areis, prout Christianorum numerus crescebat, ac proximiorum inter se arearum coniunctione. Idem de coemeteriis subdialibus factum est. Cum vero in Ecclesiam saeviretur, coemeteria omni vexatione immunia esse nequiverunt, quod nihilominus non videtur accidisse nisi sub finem saeculi secundi. Nihil quidem valebat lex contra coemeteriorum privatorum existentiam; sed quia, licet fossiones secundum profunditatem ampliarentur ordinesque ambulacrorum multiplicarentur, ampliorem tamen soli partem quam ethnica Christianorum sepulcra occuparent, ideo magistratuum animadversio, necnon malus animus et furor paganae plebis sunt in ea concitata.



Tab. 93. Columbarium libertorum Augusti in sinistra viae Appiae Antiquae.

Notat I. De Rossi, inter illegitimos conventus Christianorum prohibitos, iuxta antiquas leges recentioraque decreta adversus hetaerias (quod hodie *clubs* vocaris), Plinium, in sua celebri ad Traianum imperatorem epistola, neque funebres ritus, neque coemeteriorum institutionem recensuisse; idque certum esse indicium affirmat aut nondum tunc temporis coemeteria proprie dicta ita aperte extitisse ut magistratuum oculos in se converterent, veluti in sepulcra non quidem privata sed collegialia; aut potius legitima aliqua forma protecta fuisse contra senatusconsulta, collegia ac religiones alienas prohibentia, et contra imperatoria mandata, sodalicia vetantia.[1]

(1) A Traiano hetaerias prohibitas esse, indubium habetur. « Cavit », ait Baronius, « inprimis edicto ne collegia seu sodalitia essent: qua ratione et Christianos simul coire, conventus facere, aliisque quam imperatoriis legibus gubernari, vetitum pariter videbatur. Cuius vigore legis satis am-

Coemeteria Christianorum procul dubio administrata a clero fuere; verum nulla de hoc notitia habetur ad primum saeculum quod pertineat partemque secundi. Veri videtur simillimum officium fuisse diaconi uniuscuiusque *tituli* (1) oblationes fidelium colligere ad servandum ampliandumque coemeterium, cum eius donator non potuisset novis necessitatibus subvenire. Hinc facilis patebat transitus ad sodalicii funerarii formam institutionemque, ut tale a collegio pontificum recognitum; sufficiebat enim ut nulla lege id positive vetaretur. Porro, quod aliqua existeret lex permittens, etiam solummodo per exceptionem eiusmodi collegia funeraticia, res evidens apparet ex monumentis. Saeculo enim elapso, in Esquilino monte, *columbarium* quoddam libertorum Statilii Tauri, Augusti temporum, inventum est: qui quidem liberti sodalicium constituebant funeraticium, *collegium commorientium vocatum*, in decurias distinctum, atque in ipsa Statiliorum familia institutum ut sepulturae convenienti sodalium provideretur.

Fossiones ab Henzeno, pro Germanico gubernio peractae, in Fratrum Arvalium silva, ad *sextum Philippi, via Portuensi*, titulum produxerunt ubi mentio fit *Collegii quod consistit in*

plam praesidibus suppetiisse facultatem ad infligendas poenas Christianam religionem profitentibus, Plinius, cum proconsulem ageret in Bithynia, ad Traianum scribens, aperte significat; dum testatur, se, eo promulgato edicto, Christianorum conventus vetuisse, eoque nomine supplicia irrogasse; nam ait in fine: *Ipsos conventus facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram* (BARON. *Annales*, an. 100, p. 3, VIII)». Haeterias autem Plinius sodalitia vocavit, quo sensu et ipse Traianus eamdem vocem usurpavit cum ad Plinium rescripsit.

(1) Tituli vocatae sunt Romae ecclesiae domesticae (*domus Ecclesiae*); primus autem qui eas instituerit, aut saltem reordinaverit, pontifex Evaristus (96–108) fuisse videtur, iuxta quae de eo in *Libro pontificali* leguntur: *Hic titulos in Urbe Roma dividit presbyteris et VII diaconos ordinavit, qui custodirent episcopum praedicantem propter stilum veritatis* (MOMMSEN, *Acta pont. Rom.*, p. 9). Probabile quoque est titulos numero coemeteriis respondisse. *Ecclesiae* autem *domesticae* vocata sunt loca liturgicarum congregationum in patriciorum Christianorum domibus stabilita, ut fuit domus, ex. gr., senatoris Pudentis, in qua apostolus ipse Petrus primum Romae sacra fecisse fertur.

praediis Larci Macedonis; hic autem Larcius *Domnipraedius* initio saeculi secundi vixit. Alii praeterea in regionibus suburbanis inventi sunt tituli eiusmodi, quorum unus *collegium* commemorat *quod est in domo Sergiae Paullinae,* et alius, in suo genere quidem unicus, mentionem praebet cuiusdam *archimagiri* imperatoris Antonini Pii, qui columbarium fundavit. Ibi legitur... *Quod si nemo de hac memoria nostra extiterit, pertinere debebit ad collegium cocorum Augusti Nostri, quod consistit in palatio, quod neque donari, neque veniri permittimus, quod si quis contra legem SS. fecerit, dare debebit corpori qui sunt in hac stationem* (sic).

H·S·L·M·N· (1)

Haec inscriptio inventa est in *vinea Amendola*, nunc ad SS. Palatia Apostolica pertinente, sub qua S. Callisti coemeterium longe lateque iacet. Ibi etiam in ruinis sepulcralibus, fundamenta ac dedicatoria inscriptio *Collegii Silvani* inventa sunt, et plures inscriptiones militum classis Misenatium qui, non secus atque ceteri classarii, funeraticium collegium constituerant. (2)

Porro si eiusmodi collegia efformari potuerunt, etsi religionis praecipue ratione, iam inde ab Augustea aetate, atque nedum in privatorum praediis, constitui etiam in patriciorum domibus et ipso in Palatio (palatium enim, ut cuilibet notum est, vocabatur imperatoris domus in monte Palatino sita), id minime accidere potuit, nisi licentia Senatus obtenta, aut ipsius legis vigentis indulgentia. Hac vero legis remissione certo usi sunt Christiani, nisi velimus Mommsen atque I. B. De Rossi sententiam sequi, iuxta quam Christiana coemeteria publice probata per Senatusconsultum, aut per imperatorium rescriptum sub specie sepulcrorum collegialium haberentur. (3) Eo enim

(1) Melchiorri e Visconti, *Effem. lett. di Roma*, aprile 1823, p. 40.

(2) Cf. Fabretti, *Inscrip. domest.* pp. 364–365; Fea, *Varietà di notizie*, pp. 167–169; *Corpus inscript. lat.* t. VI, p. 757.

(3) Hac in re eruditi in diversas abierunt sententias, quae tamen ad duas reduci possunt. Mommsen, qui primum agmen ducit, in iure ac in historia putavit satis reperiri rationum ut coemeteria legali modo instituta

quod eadem plurium religio vinculum et ratio praecipua esse posset collegii funeraticii instituendi servandique, etsi tota esset alia a Romana religione, sic efficiebatur, ut Christiani, sub nomine eiusmodi sodalitii congregati, cultus proprii actus exercere possent. Quaedam inscriptio a I. B. De Rossi publicata[1] id aperte declarat: LIBERTIS LIBERTABVSQVE, POSTERISQVE EORVM AD RELIGIONEM PERTINENTES MEAM; cui perfecte respondet haec altera in Domitillae coemeterio inventa: MARCVS ANTONIVS RESTITVTVS FECIT YPOGEVM

haberentur; idque I. B. De Rossi archaeologicis rationibus corroborare conatus est. Cui adversatur Duchesne, quem Beurlier ac Weis secuti sunt. Quaestio maximi est momenti pro Christianismi historia, sed non ita facile solvenda. In periodico *Civiltà cattolica* (an. 1901, vol. I, s. XVIII, pp. 676–693) egregie de hoc argumento P. Rinieri tractavit: « Prima di tutto », legitur p. 679, « è da osservare, che, se nei due mila volumi del *Corpo civile* romano, conservati fino ai tempi di Giustiniano (an. 528), si fosse trovato un decreto o rescritto imperatorio, che conferisse ai cristiani un diritto o un privilegio qualsiasi, nelle opere di quell'imperatore se ne sarebbe fatta menzione. Non è affatto credibile che dei nove giureconsulti adoperati, sotto la presidenza di Triboniano, per la composizione del *Codice* (an. 529); dei sedici che lavorarono a quelle del *Digesto* o *Pandette* (530–533); e dei sette che furono applicati a quella delle *Istituzioni* (533)... nessuno di que' magistrati, tutti cristiani, ce ne abbia trasmesso memoria ». Verum clarissimus auctor paullo severior videtur in Alexandro Severo iudicando: « Ad Alessandro Severo », ait, « (218–222), di cui i Cristiani si lodarono, una cosa sola va attribuita in suo onore: *Christianos esse passus est* (LAMPRID. *Alex. Sev.* c. 29). Il che non significa altro, se non che li lasciò vivere in pace, *non li perseguitò*. Dal qual privilegio negativo alla riconoscenza legale della chiesa o comunanza cristiana, ci corre un tratto ben lungo! » (loc. cit. p. 684). Etenim si eamdem fidem dare alio in loco (cap. 48) Lampridio debemus, quae legimus aliquid amplius demonstrant, quam se solummodo abstinuisse imperatorem a persecutione in Christianos: « Cum Christiani », ait Lampridius, « quemdam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit (*Alexander*) melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur quam popinariis dedatur »; et alibi: « Christo cum templum facere voluit, eumque inter deos recipere; ... sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros si id optato evenisset et templa reliqua deserenda ».

(1) *Bullettino d'arch. crist.* an. 1865, p. 54.

SIBI ET SVIS FIDENTIBVS IN DOMINO. (1) Complures ethnicae associationes talia prae se nomina ferebant, ut de earum fine et natura omne dubium adimeretur. Erant enim *cultores Iovis, Herculis, Dianae, Sylvani,* profitentes scilicet in communi specialem aliquem cultum: *Collegium vernarum colentes Isidem.* (2) Cum autem sodales plerumque pauperes essent, atque praedio donarentur ubi columbaria, sive communia sepulcra, construerent, ita sodalitium nomen a patrono, sive praedii donatore sumebat, ex. gr.: *Cultores statuarum et clypeorum L. Abulli Dextris.* (3) Neque aliquando nomina arguta et curiosa deerant: *Collegium convictorum qui uno epulo vesci solent.* Iam inscriptiones aliquas attuli spectantes ad collegia inter libertos eiusdem familiae instituta; en hic quaedam *sui generis* inscriptio in balneis Lanuvii reperta, anno 1816, atque a Mommsen illustrata qui docuit inveniri in ea propria verba cuiusdam Senatusconsulti in universum tribuentis potestatem ut sodalitia funeraria instituerentur (Tabulae 94-95).

Continet nempe haec inscriptio statuta collegii cuiusdam funeraticii (*lex collegii*) Lanuvii anno 133 constituti inter viros plurimos, servos maiori ex parte, (4) in honorem Dianae et Antinoi. Ut quis admittatur socius, quamdam pecuniae summam rependere debet *Kapitularii nomine,* atque amphoram offerre vino repletam: *boni vini amphoram.* Cum quis e sodalibus moritur, summa praestituta funeri destinatur, partim pro expensis ipsius funeris, partim iuxta rogum illis distribuenda sodalibus, qui secuti funus fuerint. Si dominus alicuius sodalis defuncti corpus negat concedere, sodalis defunctus honorandus funere erit in effigie. Servus qui liber fiat amphoram optimi vini offeret. Magister collegii, cum munus adit, coenam omnibus sodalibus largiri tenetur. Sexies in anno sodales epula-

(1) I. B. De Rossi, *Roma sotterranea,* t. I, p. 109.

(2) Cf. Boissier, *Les « cultores deorum »* ap. *Revue archéologique,* t. XVIII, 1872, pp. 80-94; Mommsen, *De collegiis et sodalitiis Romanorum,* Kehl, 1843.

(3) Mommsen, *I. R. N.* n. 5029.

(4) *Servos quoque licet in collegio tenuiorum recipi volentibus dominis* (Marcianus, lib. II *Iudiciorum publicorum*; *Digest.* XLVII, 22, I, 3).

buntur simul in honorem Dianae, Antinoi et collegii patroni, et singulis quaternis debetur in epulis fixa panis et vini mensura, in quibus epulis lites ac querelae interdictae sunt, *ut quieti et hilares diebus solemnibus epulemur.* Qui, denique, adso-

L. CEIONIO. **COMMODO. SEX. VETULENO. CIVICA.**

LANUVI IN MUNICIPIO IN TEMPLO ANTINOI, IN QUO L. CAESENNIUS RUFUS
DICT. III. ET PATRONUS MUNICIPI CONVENTUM HABERI IUSSERAT PER L. POMPEIUM
. F . . . . . UM, QQ. CULTORUM DIANAE ET ANTINOI, POLLICITUS EST SE
IN ANNUM DATURUM EIS EX LIBERALITATE SUA IIS XV M. N. USUM , DIE
NATALIS DIANAE IDIB. AUG. HS. CCCC. N. ET DIE NATALIS ANTINOI V. K.
DECEMB. HS. CCCC. N. ET PRAECEPIT LEGEM AB IPSIS CONSTITUTAM SUB TETRA-
STILO ANTINOI PARTE INTERIORI PERSCRIBI IN VERBA INFRA SCRIPTA.
M. ANTONIO HIBERO P. MUMMIO SISENNA COS. K. IAN. COLLEGIUM SALUTARE DIANAE
ET ANTINOI CONSTITUTUM, L. CAESENNIO L. F. QUIR. RUFO DICT. III. IDEMQ. PATR.
KAPUT EX S. C. P. R.
QUIBUS COIRE CONVENIRE COLLEGIUMQ. HABERE LICEAT. QUI STIPEM MENSTRUAM CONFERRE VO-
LENT IN FUNERA, II IN COLLEGIUM COEANT NEQ. SUB SPECIE EIUS COLLEGI NISI SEMEL IN MEN-
SE COEANT CONFERENDI CAUSA, UNDE DEFUNCTI SEPELIANTUR
QUOD FAUSTUM FELIX SALUTAREQ. SIT IMP. CAESARI TRAIANO HADRIANO AUG. TOTIUSQUE
DOMUS AUGUST. NOSTRIS COLLEGIOQ. NOSTRO; ET BENE ADQUE INDUSTRIE CONTRAXERIMUS, UT
EXITUS EORUM HONESTE PROSEQUAMUR. ITAQ. BENE CONFERENDO UNIVERSI CONSENTIRE
DEBEMUS, UT LONGO TEMPORE INVETERESCERE POSSIMUS. > TU QUI NOVOS IN HOC COLLEGIO
INTRARE VOLES, PRIUS LEGEM PERLEGE ET SIC INTRA, NE POSTMODUM QUERARIS AUT HEREDI TUO
CONTROVERSIAM RELINQUAS. LEX COLLEGI.
PLACUIT UNIVERSIS, UT QUISQUIS IN HOC COLLEGIUM INTRARE VOLUERIT, DABIT KAPITULARI NOMINE
HS. C. N. ET VINI BONI AMPHORAM; ITEM IN MENSES SING. A. V. > ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS MENSIB. .
CONTINENTER NON PARIAVERIT ET EI HUMANITUS ACCIDERIT, EIUS RATIO FUNERIS NON HABEBITUR,
ETIAM SI TESTAMENTUM FACTUM HABUERIT. > ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX HOC CORPO-
RE N. PARIATUS DECESSERIT, EUM SEQUENTUR EX ARCA HS. CCCC. N., EX QUA SUMMA DECEDENT EXE-
QUIARI NOMINE HS. I. N., QUI AD ROGUS DIVIDENTUR. EXEQUIAE AUTEM PEDIBUS FUNGENTUR.
ITEM PLACUIT, QUISQUIS A MUNICIPIO ULTRA MILLIAR. XX. DECESSERIT ET NUNTIATUM FUERIT, EO EXIRE DEBEBUNT
ELECTI EX CORPORE N. HOMINES TRES, QUI FUNERIS EIUS CURAM AGANT ET RATIONEM POPULO REDDERE DEBEBUNT
SINE DOLO MALO; ET SI QUIT IN EIS FRAUDIS CAUSA INVENTUM FUERIT, EIS MULTA ESTO QUADRUPLUM. QUIBUS
SING. NUMMUS DABITUR; HOC AMPLIUS VIATICI NOMINE ULTRO CITRO SING. HS. XX. N. QUOD SI LONGIUS
QUAM INTRA MILL. XX. DECESSERIT ET NUNTIARI NON POTUERIT, TUM IS QUI EUM FUNERAVERIT, TESTA-
TO TABULIS SIGNATIS SIGILLIS CIVIUM ROMANOR. VII ET PROBATA CAUSA, FUNERATICIUM EIUS, SATIS *DATO AB EIS* NEMINEM PETITURUM, DEDUCTIS COMMODIS ET EXEQUIARIO, E LEGE COLLEGI DARI *SIBI PETAT.*
A NOSTRO COLLEGIO DOLUS MALUS ABESTO NEQUE PATRONO NEQUE PATRONAE NEQUE *DOMINO*

Tab. 94. Prima pars inscriptionis Lanuvinae.

ciari desiderant, statutis tenentur primum studere, ne, cum sodales facti sint, de collegii lege querantur, aut haeredibus litium caussam relinquant; et *quis quis ex quacumque causa mortem sibi asciverit, eius ratio funeris non habebitur.* (1)

(1) Mommsen, ut iam dixi, in praefata Lanuvina inscriptione mentionem cuiusdam generalis senatusconsulti adesse putavit; cuius vi et Christianorum coemeteria legalia omnino extitissent. Haec plane verisimilior

Ad scholam et epulas quod pertinet, id miram accipit lucem etiam ex aliis titulis et monumentis. Apud viam Nomentanam inventa est inscriptio cuiusdam scholae Serrensium, ita dicens: *C. Heduleius Ianuarius QQ* (id est *Quinquennalis*) *aram soda-*

POMPEIANO. COS. A. D. V. IDUS. IUN.

NEQUE DOMINAE NEQUE CREDITORI EX HOC COLLEGIO ULLA PETITIO ESTO, NISI QUI TESTAMENTO HERES NOMINATUS ERIT. SI QUIS INTESTATUS DECESSERIT, IS ARBITRIO QUINQ. ET POPULI FUNERABITUR.
ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX HOC COLLEGIO SERVUS DEFUNCTUS FUERIT, ET CORPUS EIUS A DOMINO DOMINAVE INIQUITATE SEPULTURAE DATUM NON FUERIT NEQUE TABELLAS FECERIT, EI FUNUS IMAGINARIUM FIET > ITEM PLACUIT, QUISQUIS EX QUACUMQUE CAUSA MORTEM SIBI ADSCIVERIT EIUS RATIO FUNERIS NON HABEBITUR.
ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS SERVUS EX HOC COLLEGIO LIBER FACTUS FUERIT, IS DARE DEBEBIT VINI BONI AMPHORAM. > ITEM PLACUIT, QUISQUIS MAGISTER SUO ANNO ERIT EX ORDINE ALBI AD CENAM FACIENDAM, ET NON OBSERVAVERIT NEQUE FECERIT, IS ARCAE INFERET HS. XXX. N. ET INSEQUENS EIUS DARE DEBEBIT ET IS EIUS LOCO RESTITUERE DEBEBIT.
ORDO CENARUM. VIII. ID. MAR. NATALI CAESENNI . . . . . PATRIS. V. K. DEC. NAT. ANTINOI IDIB. AUG. NATALI DIANAE ET COLLEGI. XIII K. SEPT. NATALI . CAESENNI SILVANI FRATRIS. PR. N . . . . NATALI CORNELIAE PROCULAE MATRIS. XIX K. IAN. NATALI L. CAESENNI RUFI PATR. MUNIC.

MAGISTRI CENARUM EX ORDINE ALBI FACTI QUO ORDINE HOMINES QUATERNI PONERE DEBEBUNT: VINI BONI AMPHORAS SINGULAS, ET PANES A. I. QUI NUMERUS COLLEGI FUERIT, ET SARDAS NUMERO QUATTUOR, STRATIONEM, CALDAM CUM MINISTERIO.
ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS QUINQUENNALIS IN HOC COLLEGIO FACTUS FUERIT, A SIGILLIS EIUS TEMPORIS, QUO QUINQUENNALIS ERIT, IMMUNIS ESSE DEBEBIT, ET EI EX OMNIBUS DIVISIONIBUS PARTES DUPLAS DARI. ITEM SCRIBAE ET VIATORI A SIGILLIS VACANTIBUS PARTES EX OMNI DIVISIONE SESQUIPLAS DARI PLACUIT.
ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS QUINQUENNALITATEM GESSERIT INTEGRE, EI OB HONOREM PARTES SESQUIPLAS EX OMNI RE DARI, UT ET RELIQUI RECTE FACIENDO IDEM SPERENT.
ITEM PLACUIT, SI QUIS QUID QUERI AUT REFERRE VOLET, IN CONVENTU REFERANT, UT QUIETI ET HILARES DIEBUS SOLLEMNIBUS EPULEMUR.
ITEM PLACUIT, UT QUISQUIS SEDITIONIS CAUSA DE LOCO IN ALIUM LOCUM TRANSIERIT, EI MULTA ESTO HS IIII. N. > SI QUIS AUTEM IN OBPROBRIUM ALTERALTERIUS DIXERIT, AUT TUMULTUATUS FUERIT, EI MULTA ESTO HS XII. N. > SI QUIS QUINQUENNALI INTER EPULAS OBPROBRIUM AUT QUID CONTUMELIOSE DIXERIT, EI MULTA ESTO HS. XX. N.
ITEM PLACUIT, UT QUINQUENNALIS SUI CUIUSQUE TEMPORIS DIEBUS SOLLEMNIBUS TURE ET VINO SUPPLICET ET CETERIS OFFICIIS ALBATUS FUNGATUR, ET DIEBUS NATALIUM DIANAE ET ANTINOI OLEUM COLLEGIO IN BALINEO PUBLICO PONAT ANTEQUAM EPULENTUR.

Tab. 95. Secunda pars inscriptionis Lanuvinae.

libus suis Serrensibus donum posuit et locum scholae ibi acquisivit. Cum ipsa autem etiam duo vasa cylindratae formae ex aere conflata reperta sunt, quibus inscriptum nomen erat: MENSVRALIA; atque L. Visconti recognovit alterum *sextarii*, al-

mihi videtur sententia, sed quia contrariam sententiam clarissimi viri amplexi sunt, ita mihi visum est hic ad litteram citare quae in periodico *La Civiltà cattolica* R. P. Rinieri, tam festivus et venustus in litteris quam

terum *semisextarii*, idest *heminae*, capax esse. Procul dubio ambo conviviis funerariis inservierunt.

Aliud eiusmodi vas, nunc autem deperditum, hanc incisam

profundus atque acutus in argumentis historicis, doctissime exposuit. Itaque haec nota toti demonstrationi respondet quae in textu est secutura.

Loquens igitur auctor de supposito senatus consulto ita contradicit: 1° *Una tal legge universale ripugna a tutto il passato della legislazione romana*; 2° *Dal testo si scorge espressamente che si tratta d'una legge* costituita, *ciò è a dire pattuita, stabilita,* convenuta *tra lo Stato romano e i patroni del municipio e del collegio di Lanuvio. Fu combinata nel 133, e promulgata nel 136. Ciò si conferma dal voto dei socii che si augurano di aver fatto un contratto felice* (contraxerimus), *e dell'invito ai candidati, di leggere attentamente essa legge prima di obbligarsi*; 3° *Come si può concepire che una legge universale fosse pattuita e si scrivesse nel marmo? Non era nota a tutti, non apparteneva al pubblico dominio?* 4° *Se così fosse stato, come mai Celso osava scrivere contro i Cristiani le seguenti parole, appunto verso il mezzo del II secolo?*: Il primo aggravamento contro i Cristiani si trova nell'adunarsi che fanno di nascosto contrariamente alle leggi (Πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι βουλομένῳ διαβαλεῖν Χριστιανισμόν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων Χριστιανῶν παρὰ τὰ νενομισμένα ..., ORIG. *Contra Celsum*, lib. I, c. 1, edid. P. KOETSCHAU, Leipzig, 1899); 5° *Se un tal decreto fosse esistito, e se i Cristiani se ne aiutarono di fatto, come si può spiegare la risposta di Origene all'accusa di Celso? Quest'accusa era pubblica e grave; Origene vi risponde un 68 anni dopo* (an. 248) *sotto l'impero di Filippo, in tempo di pace relativa. Ora egli non disse: le adunanze dei Cristiani stavano in piena regola giuridica! Tutt'altro: dichiarò formalmente:* le assemblee dei Cristiani essere contrarie alle leggi imperatorie; ma quando imperano la falsità e il diavolo, essere ragionevole (οὐκ ἄλογον) l'adoperarsi ad infrangere la legge tirannica (*Contra Celsum*, lib. I, c. 1, 10–23, ed. KOETSCHAU). *Va notato che questa risposta di Origene, da quelli autori che citano l'accusa celsiana è passata sotto silenzio: eppure è di moltissimo peso, almeno è chiara!* 6° *Data pure, e non concessa l'universalità di un tal senatusconsulto, sempre si doveva richiedere, per l'erezione d'un collegio particolare, una speciale autorizzazione; perchè attesa appunto l'universalità di un decreto cosifatto, veniva applicato per sè ad ogni condizione di gente; ora vogliono invece determinata una tale licenza alla sola gente povera*, tenuiores (pp. 683–684). Sane haec argumenta gravia sunt; item graves sunt rationes quas critico acumine praebet clarissimus Duchesne in suo opere *De Christianis originibus* (2ª ed. pp. 399 sqq.); at cum monumenta et historiam considerem, difficile mihi illud persuadetur quod per sola iuridica et critica argumenta indubium esset tenendum.

ferebat inscriptionem: SEXTARIALIS EXACTA T..... DD. NN; aliud denique, Christianum quidem, quia Christi monogrammate instructum cum A et Ω, in bibliotheca Argentinensi conspicitur, in quo item vox EXAC..... satis usum ipsius demonstrat.(1)



Tab. 96. Mensura legalis in flumine Rheno reperta. (Ex Le Blant, *Inscript. chret. de la Gaule,* tab. 41).

Hisce positis, historiam, ius, monumenta Christiana interrogemus, rem incipientes *ab ovo.*

(1) Cf. *Bull. di arch. crist.* an. 1864, pp. 57–58; 1865, p. 88. Praestat hic referre inscriptionem funerarii collegii Silvani, inventam anno 1773 inter ruinas huius monumenti ad dexteram viae Appiae:

LOCVS · SIVE · IS · AGER
EST · QVI · EST · VIA · APPIA · INTER
MILIARIVM · SECVNDVM · ET · III
EVNTIBVS · AB · ROMAE · PARTE · DEXTERIORI
IN · AGRO · CVRTIANO · TALARCHIANO · IN
PRAEDIS · IVLIAES · MONIMES · ET · SOCIORVM
LOCVS · IN · QVO · AEDIFICATA · EST · SCHOLA · SVB · POR
CONSACRATA · SILVANO · ET · COLLEGIO · EIVS · SODALIC
MANCIPIO · ACCEPERVT · IMMVNES · ET · CVRATOR
ET · PLEPS · VNIVERSA · COLLEGI · EIVS · DE · IVLIA · MONIME
ET · SOCIS · EIVS · SESTERTIO · NVMMO · VNO · DONATIONIS
CAVSA · TVTORE · C · MEMIO · ORIONE · IVLIAES · MONIMES
ET · AD · EVM · LOCVM · ITVM · ACTVM · ADITVM · AMBITVM
SACRIFICIA · FACERE · VESCI · EPVLARI · ITA · LICLAT (*sic*)
QVAMDIV · IS · COLLEGIVS · STETERIT · QVOD · SI · ALITER
FACTVM · FVERIT · QVOD · AD · COLLEGIVM · PERTINET
SILVANI · IS · LOCVS · SACRATVS · RESTITVETVR
. . . . . .

Notet studiosus verba legalia ad usum et frequentationem sepulcri respicientia: *Itum, actum, aditum, ambitum, sacrificia facere, vesci, epulari.* Incredibile prope videtur, ipsum ad monumentum aditum qui, ut summum, ingressum significat, tale constituisse privilegium ut in titulo signari debuerit.

Ut videtur, sub finem Reipublicae collegia tantummodo religiosa vel lusoria existebant, sicuti quoddam collegium *iuventutis* vocatum. Magistratus Romani numquam exteras sectas in Urbe benevolis intuiti sunt oculis, easque veluti reipublicae noxias semper habuerunt; quamobrem natura ad eas coercendas interdum ferebantur, quatenus istae speciem assumebant religiosae societatis vel collegii quod unaquaeque earum constituere poterat. Leges in sodalitia latae sunt primum a Caesare, deinde ab Augusto; ambo tamen Iudaeos exceperunt, haud dubium propter validum quod ab his nuper in civilibus turbationibus auxilium acceperant. Nova igitur sodalitia vetita sunt; iam existentia autem in funeraria conversa. Verum huiuscemodi praescripta ea non erant quae violari nequirent sub crudelibus vitiosisque imperatoribus qui ad Vespasianum usque successerunt; ceterum perspicue apparet ex epigraphis illius temporis quamplurimis, erigi semper potuisse funeraria sodalitia principis aut Senatus concessione: *quibus ex S. C. coire licet.*

Eadem lex prohibitoria necessaria sub Traiano visa est, quod innuit priorem propter usum contrarium in desuetudinem abiisse; quapropter hic imperator sodalitia haberi sive hetaerias vetuit. Attamen exceptio locum obtinuit ut ex Marciano eruitur: *Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalicia, neve militum collegia in castris.* PERMITTITUR *tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu huiusmodi illicitum collegium coeant, quod non tantum in Urbe, sed et in Italia et in provinciis divus Severus rescripsit. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatusconsultum, quo illicita collegia arcentur.* (1)

Porro, I. B. De Rossi (2) affirmat talem exceptionem: *permittitur tenuioribus*... legem destruere. Verum enim menstrua congregatio valde parum fidelium necessitati respondebat; sed

(1) *Digest.* I, XLVII, 22, *De collegiis et corporibus.*
(2) *Roma sotterranea*, t. I, p. 102.

quis aliunde frequentiores congregationes notare et impedire poterat? Equidem veram exceptionem video in illis verbis inclusam: *sed religionis causa coire non prohibentur,* licet circumscriptionem patiatur in sequentibus: *dum tamen*..... etc.; et si concludere velimus, legem, ut iacet, parum sibi constare affirmemus oportet, proptereaquod exceptio per hoc etiam dispositum deleatur: *In summa autem, nisi ex senatusconsulti auctoritate vel Caesaris collegium vel quodcumque tale corpus coiverint, contra senatusconsultum et constitutiones collegium celebrant.*(1) Quod si necessaria auctoritas Senatus vel Caesaris ad sodalicium instituendum requirebatur, nonne adiudicatio Christianis illius loci a popinariis iniuste occupati, ut aliquo modo in illo Deus adoraretur, auctoritate Alexandri Severi facta, (vide paullo ante in nota) imperatoria et publica concessio, qualis in lege citata requiritur, erit existimanda?

Tertullianus de quodam sodalitio tenuiorum loqui certissime videtur in capite trigesimo nono *Apologetici*; ait enim: *Coimus in coetum et congregationem*..... *ad litterarum divinarum commemorationem*..... *Praesident probati quique seniores*..... *etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit sponte confert*..... *egenis alendis humandisque.*

Neque voluerunt Christiani titulos assumere qui ritum idololatricum redolerent, etsi patroni nomen, sive donatoris praedii eligere potuissent; sed ipso in nomine quid essent palam aperteque monstrare maluerunt, ut in sequentibus epitaphiis conspicitur:

I.

AREAM AD SEPVLCRA CVLTOR VERBI CONTVLIT
ET CELLAM STRVXIT CVNCTIS SVIS SVMPTIBVS
ECCLESIAE SANCTAE HANC RELIQVIT MEMORIAM·
SALVETE FRATRES PVRO CORDE ET SIMPLICI
EVELPIVS VOS (*salutat*) SATOS SANCTO SPIRITV·
ECCLESIA FRATRVM HVNC RESTITVIT TITVLVM·M·A·I·SEVERIANI V·C·
EX ING·(*ingenio*) ASTERII. (2) (Tab. 58).

(1) *Digest., De iudicibus ecclesiast.* § 3, I, III.

(2) Sententia est I. B. De Rossi eiusque scholae, ex relata inscriptione deduci posse Christianos nomine *cultores Verbi* notos fuisse. Quae quidem

Haec inscriptio ad saeculum tertium aut ad initium quarti spectare potest, certo certius anterior est pace Ecclesiae; tabula tamen est imitatio seu restitutio originalis inscriptionis, ut patet ex illis verbis: *Ecclesia fratrum*..... etc.

2.



Tab. 97. (Ex Doublet, *Musée d'Alger*, 1890, Tab. II, n. 4).

In memoria eorum quorum corpora in accubitorio hoc sepulta sunt Alcimi Caritatis Iulianae et Rogate matris Victoris presbyteri qui hunc locum cunctis fratribus feci.

Haec altera iuxta priorem inventa est, atque I. B. De Rossi opinatur,[1] presbyterum Victorem alium non esse nisi illum prioris inscriptionis Evelpium, vel aliquem fratrum, nempe qui *areae* addidit *accubitorium* seu *coemeterium*. Haec autem opinio verisimillima videtur, si inscriptio ad locum ubi iacebat attinere putatur.

sententia eo verisimilior videtur quod, in suis epistolis, imperator Gallienus *magistratus Verbi* episcopos Christianorum vocavit: τοῖς τοῦ Λόγου προεστῶσι (vide p. 112 et tab. 58).

(1) *Roma sotterranea*, t. I, p. 106.

3.

Ad Eumeniam Phrygiensem pertinet insignis cippus ab Aurelio Alexandro, Marci filio, positus quinque filiis, ΤΟΙC ΥΠΟ · ΕΝΑ · ΚΑΙΡΟΝ · ΟΝΕΙΘΕΙC · ΙΝΤΟ · ΤΗC · ZωΗC · ΜΕΡΟC, *qui una portionem vitae emerunt.* (1) Cippus opistographus est, et altera parte hanc pretiosam indicationem habemus:

ΕΙC · ΤΗΝΔΕ · ΤΟ · ΕωΟΝ · ΚΟΙΝΟΝ
ΤωΝ · ΑΔΕΛΦωΝ

Usque ad hunc (cippum) pars orientalis (areae) fratribus communis est.

4.

ΑΥΡ · ΦΙΛΙΠΠΙΑΝΟΣ · ☧ · ΕΠΟΙΕΣΑ · ΕΜΑΥ
ΤΩ · ΚΑΙ · ΤΗ · ΓΥΝΑΙΚΙ · ΜΟΥ · ΑΥΡ · ΔΕΚΝΙΑΝΗ
☧ ΚΑΙ · ΤΩ · ΠΑΤΡΙ · ΜΟΥ · ΑΥΡ · ΝΕΟΦΥΤΩ
☧ ΕΙ · ΔΕ · ΤΙΣ · ΤΟΛΜΕΣΕ · ΕΤΕΡΟΝ · ΒΑΛΕΙΝ
ΔΩΣΕ · ΤΟΙΣ · ΑΔΕΛΦΟΙΣ · ⚹ · Φ

Legit hanc inscriptionem famosus ille Cyriacus Anconitanus cum esset Perinthi (Heracleae in Ponto), eamque memoriis suis inseruit, quas J. B. De Rossi primus ex Bibliotheca Vaticana eruit: Optima inscriptionis forma saeculum tertium innuit, (2) agitur autem de sepulcro Aurelii Philippiani, Aureliae Decnianae vel Decimianae et Aurelii neophyti; subiungitur: *Si quis aliud corpus in meum sepulcrum inferre audet, mulctam solvet fratribus trecentorum denariorum.* In quodam Salonitano titulo, mulcta Ecclesiae loci solvenda iniungitur, *Ecclesiae Salonitanae*, in Illyrico, ubi non paucae inscriptiones eiusmodi tum

(1) *Roma sotterranea*, t. I, p. 106. Cum I. B. De Rossi et Cavedoni libenter credimus hos quinque martyres esse.

(2) *Roma sotterranea*, t. I, p. 107. I. B. De Rossi, qui inscriptionem hanc primum evulgavit, affirmat monogramma ☧, praesertim in Oriente, non raro in usu fuisse ante Constantinum; ceterum formulam ΔΩΣΕ ΤΟΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ non posse quarto saeculo attribui, sed anteriori aevo adscribi debere (loc. cit.).

ethnicae tum Christianae repertae sunt.[1] Negat I. B. De Rossi, auctoritate Mommsen fretus, fratrum nomen apud fideles congruentiam sensus aliquam habuisse cum eodem nomine *Fratrum Arvalium* qui ineunte instituto, ut Livius testatur, revera fratres fuerunt, duodecim scilicet Accae Laurentiae, Romuli nutricis, filii; item negat hoc titulo unquam ethnica sodalicia fuisse donata.[2] « Verbum igitur fratres, concludit eximius archaeologus, perinde ac vox *Ecclesia fratrum* pium fuit et dulce *corporis* Christianorum nomen; invisum quidem nomen, sed non ab ethnicis usurpatum: *Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus*, aiebat eis Minucius Felix, *et unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohaeredes* (Octavius, *edit.* Ouzelii, p. 36). Qui nomen Christianae dabat Ecclesiae, cuilibet alii tenebatur funeraticio collegio renuntiare; idque nisi fecisset, ut apostata ac praevaricator aestimatus esset. Ita enim iudicatus est ille Martialis qui, cum filios voluisset *in collegio, exterarum gentium more, apud profana sepulcra depositos et alienigenis consepultos* (Cyprian., *Epist.* 68), hoc ipso Christianae fraternitati renunciavit ».[3]

Hactenus de titulis, qui satis clare sodaliciorum quoddam extitisse genus ostendunt. Iam historiam aggrediamur.

Dum Tertullianus illa verba scribebat: *sub Hilariano praeside de areis sepulturarum nostrarum acclamatum est: Areae non sint*..... (*Ad Scapulam*, 3), sedebat pontifex Romanus Zephyrinus. Hic vero cum revocasset Romam Callistum, eumque archidiaconum fecisset, coemeterio Ecclesiae praeposuit: εἰς τὸ κοιμητήριον κατέστησεν.[4] Libro autem pontificali consonans,

(1) Verum haec inscriptio, I. B. De Rossi auctoritate non obstante, parum ad rem confert, nam ad annum 358 pertinet, neque huiusmodi exempla sunt rara, et potius coemeteriorum Christianorum dependentiam ab ecclesiastica auctoritate, non autem a civili aut a collegio pontificum probat.

(2) Id etiam probatur eo quod, cum vocabulum *fratres* vinculi sanguinis ideam innueret, inde ethnici causam arripuerint fideles accusandi, quasi isti per promiscuas ac turpes coitiones talem appellationem meriti essent. Hinc nobilissima Tertulliani indignatio (*Apol.* c. XXXIX).

(3) *Roma sotterranea*, t. I, p. 108.

(4) *Philosophumenon*, lib. IX, c. 11.

legenda Breviarii Romani haec de S. Callisto habet: *In via Appia, vetus coemeterium in quo multi sancti sacerdotes et martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti coemeterium appellatur.* Igitur, saeculo incipiente tertio, dum in Africa *areae sepulturarum* Christianorum existebant, in quas furor plebis saeviebat, Romae coemeterium ecclesiasticum, sive Ecclesiae publice proprium palam aperteque curis primi diaconi concredebatur.

In Libro pontificali, de Papa Fabiano legitur: *Hic regiones divisit diaconibus et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent.... et multas fabricas per cymiteria fieri praecepit.* (1) Porro, si pontifex per coemeteria, seu supra coemeteria, aedificia erigenda curavit, quod per diaconos, quibus regiones distribuerat Urbis, fecisse nemo inficiabitur, liquido patet diaconos coemeteriorum pariter administratores extitisse. Etenim arcae custodia, collectio oblationum, ipsa coemeteriorum conveniens exornatio (ut postea videbimus) regulas nonnullas supponens ab ecclesiastica potestate praescriptas, vigilantia denique et omnium cura rerum quae in locis sacris fiebant, propria diaconorum erant munera.

De quodam in regione Transtiberina loco Christianis ab Alexandro Severo adiudicato, ut Dei cultui inserviret, iam verbum feci.

Tertullianistae, iam inde ab origine sui schismatis, ut coemeterium commune construerent obtinuere: *sibi collegium extra muros Urbis fabricare*; (2) ethnici enim imperatores minime inter se catholicos et haereticos differre ratum habebant. Si igitur Tertullianistae aliaeque haereticae sectae coemeteria communia publice recognita ad legis normam habere potuere, cur non et Catholici? Curnam sub Alexandro Severo, aut sub Philippo imperatore, non sategerunt Christiani, ut propria coemeteria publice legalia recognoscerentur per imperatorium saltem rescriptum, si nondum legalia habebantur? Num fuerit necne Phi-

(1) MOMMSEN, *Monumenta Germ. histor., Gest. pont. rom.* p. 27. Verba haec ex Liberiano Calendario proveniunt.

(2) *Cod. Theod.* XVI, 5, 2. Cf. *Bullettino di archeologia crist.* 1863, p. 42.

lippus Christianus, parum refert; at in dubium nequit revocari hunc imperatorem palatina munera Christianis viris concredidisse, Christianamque Ecclesiam favoribus omnimodis prosecutum esse.

Saeculo incipiente tertio, Septimius Severus privilegium tenuiorum ad omnes provincias extendit: *Quod* (privilegium) *non tantum in Urbe, sed et in Italia et in provinciis locum habere Divus Severus rescripsit.* (1)

Valerianus, anno257, duobus vicissim edictis Christianorum bona immobilia communia fisco addixit. Documenta haec ad nos usque non pervenerunt; sed facile eorum natura atque textus ex ipso quo adhibita sunt modo et his quos sunt nacta effectibus eruuntur: milites enim in Christianos in coemeteriis congregatos irruisse noscuntur; – pontifex Syxtus in coemeterio Callisti deprehensus, dum *caelestia iussa docebat,* (2) ibi ultimo affectus est supplicio: *Xystum in cymiterio animadversum sciatis VIII id. Aug. et cum eo diaconos quattuor.* (3) Neque eiusmodi in coemeteriales aut subdiales congregationes impetus prorsus inconsulti fuere: *Praeceperunt enim,* ait proconsul Paternus ad S. Cyprianum, (*sanctissimi imperatores Valerianus et Gallienus*) *ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec coemeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre praeceptum non observaverit, capite plectetur.* (4) Quibus ex verbis et in coemeteriis Christianos congregari, persecutione saeviente, solitos fuisse, ac per Valeriani edictum congregationes eorum prohibitas esse, liquido patet.

Anno 260, Romanorum exercitu profligato, atque dolo capto Valeriano a Sapore Persarum rege, Gallienus paterna edicta revocavit, ac non solum coemeteria, sed etiam alia ad cultum adhibita loca Christianis, idest *Ecclesiae fratrum,* sive eius recto-

(1) MARCIAN. *Digest.* loc. cit.

(2) MAX. IHM, *Damasi epigrammata,* Leipzig, 1895, carm. 10. Non est dubium, quin in praefato carmine de S. Syxto II non autem de S. Stephano I, ut ante I. B. De Rossi non pauci putaverant, agatur; sed quaestio haec alibi est resolvenda.

(3) CYPRIANUS *Ep.* LXXXII.

(4) *Act. S. Cypriani* apud RUINART, p. 216.

ribus, *episcopis*, reddidit, diverso tamen modo: Ὅπως ἀπὸ τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι.(1) καὶ ἄλλη δὲ τοῦ αὐτοῦ διάταξις φέρεται, ἥν ἑτέρου ἐπισκόπους πεποίηται, τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία. (2) Unde I. B. De Rossi: *Ex quibus imperatoris actibus mihi videntur, in Valeriani edicto aliae praescriptiones in loca religiosa, idest congregationum, sanciri; aliae, a prioribus diversae, in coemeteria. Priora enim ad fiscum vindicata erant, et a procuratoribus fisci etiam venumdata; posteriora vero videntur fuisse tantum neque ubique occupata. Cuius temperamenti ratio in religione sepulcri est quaerenda.* (3)

De Pontifice Dionysio in Libro Pontificali haec leguntur: *Presbyteris ecclesias dedit, et cymiteria et parrocias diecesis constituit,* (4) idque post bona Ecclesiae Romanae a Maxentio restituta.

At quod magis mirum apparet illud est quod sub Aureliano accidit, cum Paulus, Samosatensis episcopus haereticus et a quadam synodo episcopali cathedra privatus, renuit *domum Ecclesiae*, idest cathedralem ecclesiam derelinquere, ubi tunc temporis et episcopalis habitatio erat. Ad imperatorem nempe provocatum est, qui per rescriptum mandavit, ut eiiceretur episcopus haereticus a *domo ecclesiae,* atque haec illis restitueretur, qui litteras episcoporum Italiae ac praesertim Romani episcopi exhibuissent. (5)

Postremo, imperatores Constantinus et Licinius, celeberrimo Mediolanensi edicto praescripserunt: *Ut Christiani non ea loca tantum* (accipiant) *ad quae convenire solebant, sed ea habuisse noscantur ad* IUS CORPORIS EORUM, IDEST ECCLESIARUM, NON HOMINUM SINGULORUM PERTINENTIA. (6) Profecto non de novo iure conferendo hic agitur, sed de iniuste conculcato iure redintegrando.

(1) EUSEB. *Hist. Eccl.* VII, 13.

(2) EUSEB. *Hist. Eccl.* VII, 13. Cf. DE ROSSI, *La Roma sotterr.* t. I, p. 200.

(3) DE ROSSI, *Roma sott.* t. I, p. 200.

(4) MOMMSEN, *Mon. Germ. hist., Gest. pont. rom.* p. 36.

(5) EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* VII, 30. Cf. DE ROSSI, *Roma sotterr.* t. I, pp. 101 sqq.

(6) LACTANTIUS, *De mort. pers.* n. 48; EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* X, 5.

Quae sit hinc eruenda conclusio videat lector; equidem fateor me ad talem pronum esse sententiam quae media utriusque sit et ad quam tandem erit omnibus deveniendum, videlicet ita tolerata Christianorum coemeteria fuisse, ut veluti legalia publice essent recognita, idque praesertim vi imperatorii alicuius rescripti. (1)

ART. X. — **Coemeteria sectarum haereticarum Romae.**

Statim in limine declaro nullum certe haereticorum coemeterium hodie cognosci circa Urbem, ad quam tamen omnes tendebant sectae, et ubi sedem et summum habere ducem, qui ut Petri successor aestimaretur, quilibet ab Ecclesia Catholica abscissi conabantur. Verum ista notae verae Ecclesiae ostentatio

(1) Revera duae contrariae sententiae iam sibi invicem occurrere videntur, ut patet ex sequentibus Pauli Allard et P. Rinieri locis. Prior, postquam fervidam Ecclesiae Christianae vitam descripsit frequentissimas que commemoravit synodos et concilia, quae merito poterant a Tertulliano vocari: *ipsa repraesentatio totius nominis christiani*, ita concludit: *Et ils l'étaient* (les conciles) *ouvertement, sans effort pour dissimuler leur existence et leur caractère. Cependant – c'est une remarque curieuse à faire – ils paraissent n'avoir jamais été troublés par l'autorité romaine. Celle-ci, impitoyable si souvent pour les personnes des chrétiens, était sans doute retenue devant leurs assemblées par le respect qu'elle professait, au temps de l'Empire, pour tout ce qui ressemblait à l'exercice du droit d'association* (P. ALLARD, *Dix leçons sur le martyre*).

In conclusione, ait P. Rinieri, *la società, le chiese e le adunanze dei Cristiani erano tollerate dagli imperatori; non consta che fossero mai riconosciute officialmente. Le possessioni figuravano in testa a' privati cittadini, fossero vescovi, preti o secolari; con tali titoli eludevano i decreti imperatorii, che proibirono i* collegia illicita. *Accadde dunque, per la Chiesa de' primi secoli, quello che si vede ai nostri giorni accadere per le congregazioni religiose: sono* conosciute, *sono tollerate, ma non* riconosciute *dai moderni Stati delle nazioni latine; lo stesso può dirsi delle logge e società massoniche. Così, per uno di quei meravigliosi insegnamenti, onde la storia è maestra, scorgesi che una parte eletta della Chiesa si trova dinanzi allo Stato nel secolo XX, tale, quale trovavasi tutta la cristianità dinanzi agli imperatori del secolo III! Se valesse il diritto, come sembra valere di fatto, l'assioma assurdo della libera Chiesa in libero Stato, le condizioni cristiane del secolo XX sarebbero simili a quelle del secolo III!* (*Civiltà Cattolica*, an. 1901, loc. cit.).

Quam vera, quam prophetica, post Gallica facinora, verba!

impediebat, quominus aliter atque fideles haeretici sepelirentur; unde concludere fas est etiam haereticos propria coemeteria subterranea habuisse, parum vel nihil a fidelium coemeteriis differentia.

Id alioquin non pauca testimonia confirmant. Scimus enim Novatianos relliquias martyris Silani, minoris natu filiorum S. Felicitatis, furatos esse, forsitan ad proprium aliquod coemeterium quodammodo consecrandum.(1) Quae quidem relliquiae nonnisi saeculo v, ut I. B. De Rossi censuit, iussu Papae Innocentii I, qui anno 416 schismaticos illos ecclesiis privavit, coemeterio *ad S. Felicitatem* dicto restitutae sunt. Ibi, ut ex antiquis Sacramentariis habetur, tertia stationum missa celebrabatur, quae proinde *via Salaria ad Sanctam Felicitatem* assignata legitur; et indubium est, saeculo IV, saltem cum catalogus Liberianus redactus est, adhuc apud viam Salariam martyris corpus defuisse: *Hunc*, legimus in praefato catalogo, *Silanum martyrem Novati(ani)* furati sunt.(2)

Insuper duo Tertullianistae ex Africa Romam missi, iam inde ab origine eorum schismatis, a tyranno Maximo impetraverunt ut coemeterium proprium ibi construerent; scilicet obtinuere *sibi collegium extra muros Urbis fabricare.* Hoc deinde

(1) Notatu digna haec I. B. De Rossi verba mihi videntur circa corporis Silani furtum: « Quelle que soit l'époque à laquelle cet attentat a été accompli, il est d'une grande importance pour l'histoire de la Rome souterraine et même pour la tradition ecclésiastique touchant le culte des reliques dans les siècles les plus reculés. Car ce détail nous apprend, que les Novatiens ne réussirent pas à s'emparer des cimetières possédés primitivement par l'Eglise romaine: ils attentèrent seulement aux reliques de quelques martyrs, pour les voler; exactement comme les chrétiens d'un âge beaucoup plus récent et barbare (Longobardi scilicet) faisaient à l'envie. Novatus se sépara de l'Eglise en 251. Or puisque la vénération des reliques et le désir de les avoir et de sanctifier par leur présence les lieux d'assemblée et de sépulture étaient non moins ardents chez les catholiques que chez les Novatiens, ce culte devait avoir dès cette époque des racines bien profondes dans l'église romaine, pour que les schismatiques en se détachant de son unité l'aient conservé intact » (*Bull. di arch. crist.* an. 1863, p. 42).

(2) Cf. De Rossi, loc. cit. p. 20.

minime contenti, sepulcrum Ss. Processi et Martiniani veluti suum occuparunt, neque prius Roma sunt expulsi quam tyrannus ipse exactus est; sic *martyrum suorum excubias Deus catholicae festivitati restituit.*[1]

Hoc ante tempus et haeretici Noetiani et Sabelliani et Monarchiani et Patripassiani in Urbe pullularunt, pontificibus Zephyrino praesertim et Callisto acerrime adversantes[2] et insuper Valentiniani, magna nempe Gnosticorum sectae propago; qui procul dubio propria coemeteria subterranea habuere et quidem a catholicis separata. Id evidens fit ex eo quod, ut refert Boldetti,[3] cum haeretici in Oriente quoddam coemeterium occupassent ubi martyrum corpora iacerent, Eustratius et Hilario monachi S. Nicephorum Constantinopolitanum patriarcam interrogaverunt « an oporteret in eorum (idest martyrum) coemeteria ingredi, illicque precari et adorare Deum, dum ea a pollutis sacerdotibus tenerentur »; quibus haec sanctus patriarcha respondit: « Non permittit Canon, seu Regula, secundum ea quae prius declarata sunt, in eorum coemeteria introire; nisi forte ex necessitate ad venerandas solummodo Sanctorum reliquias introitus fiat ».[4]

Concilium autem Laodicense, inter annos 341 et 380 habitum, canone 9, haec habet: *Non concedendum esse, ut in coemeteria, vel in ea quae dicuntur martyria quorumvis haereticorum, adeant ii qui sunt Ecclesiae, orationis vel venerationis gratia.* Cui praescripto et sanctionem concilium addit: *Sed tales si sint fideles, esse aliquantisper excommunicatos: sin autem poenitentia ducantur et se deliquisse confiteantur, suscipi.*[5] Cuius

(1) ANONYMUS, *De praedestinatorum haeresi* ap. SIRMONDUM, *Opp.* t. I, p. 52.

(2) Cf. P. TORQUATO ARMELLINI, *De prisca refutatione haereseon* etc. Romae, 1862; DE ROSSI, *Bull. di arch. crist.* an. 1866, pp. 1 sqq. et pp. 77 sqq.

(3) *Osservazioni sopra i cim.* etc. p. 89.

(4) Apud COTELER. *Monumenta Ecclesiae graecae*, t. III, p. 452.

(5) Hoc concilium card. Baronius locum habuisse ante concilium Nicenum putavit. Cf. *Annal.* t IV, in append. pp. 734-735.

rei ratio in canone 33 eiusdem concilii reperitur, nempe: *Quod non oportet cum haereticis, vel schismaticis orare.*

Hisce positis venio ad monumenta. Sententia fuit I. B. De Rossi hypogea Christiana gentilicia a necropolibus seposita ad haereticos pertinere potuisse. Quod ideo absolute dici nequit, quia priscis temporibus sepulcra Christiana necessario gentilicia et separata invicem fuere; et alioquin nulla extat ecclesiastica lex adigens Christianos ad propriam sepulturam in communi coemeterio parandam. Unde coniectura tantum hoc epitaphium, in suburbano Romano inventum, duorum coniugum haereticorum fuisse dicitur: IN · HORTVLIS · NOSTRIS · SECESSIMVS.(1)

Narrat Marangoni(2) se apud viam *delle Sette Chiese* anno 1742 invenisse quoddam coemeterium ad quod per magnificam scalam accedebatur, et in quo erat arcosolium musivis exornatum, prae se ferens imaginem Salvatoris super globum sedentis, inter apostolos Petrum et Paulum. Super Christi imagine hanc legit inscriptionem:

QVI · ET · FILIVS · DICERIS · ET · PATER · INVENIRIS

Haec, ut notat De Rossi, propria Sabellianorum formula est, quippe qui Patrem et Filium unum faciebant. Coemeterium igitur illud ad Sabellianos pertinuit.(3)

Notandum praeterea de hac eadem haeresi accusatum fuisse pontificem Callistum ab auctore libri *Philosophumenon*, verbis eiusmodi: « Callistus excogitavit hanc haeresim, dicens idem Verbum esse Filium, idem et Patrem, nomine tenus aliter appellatum,..... Non enim, ait, dicam duos deos, Patrem et Filium, sed unum. Nam constitutus in ipso, *Pater assumptam sibi carnem deificavit*, eamdem sibi uniens, ac fecit unum ».(4)

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. I, p. 109.

(2) Marangoni, *Cose gentilesche*, p. 462 et *Storia del Sancta sanctorum*, p. 118.

(3) Marangoni, op. cit. Cf. *Bull. di arch. crist.* an. 1866, p. 86, versio gallica.

(4) *Philosophumena*, IX, cc. 11, 12; versio Armellini, *De prisca refutatione haereseon recens vulgata commentarius*, Romae, 1862.

Quod sane dum demonstrat quam facile de haeresi opposita poterant tunc temporis errorum condemnatores accusari ipseque Pontifex, pariter de sectarum indole et operosa astutia testatur.

Infeliciter tamen coemeterium illud, quod iuxta viam Ardeatinam extitit, hodie omnino latet.

Etiam haec altera inscriptio visa est haereticam de unica Dei persona doctrinam sapere eo quod formulam contineat dedicationis prorsus inusitatam in Christiana epigraphia eamque facile Noetianam dixeris, cum unicum Deum Iesum Christum innuat.[1]



Tab. 98.

Alia item inscriptio, a Boldetti inventa, Cassum Vitalionem quemdam commemorans, *qui in unu(m) Deu(m)*[2] *credidit*, videtur ad eamdem haeresim alludere.

His doctrinis utrum Callistus saltem faverit necne, non est hic locus disputandi; alii enim nostri operis parti reservata est haec controversia, in qua non solum veritatis custos, verum etiam et fortissimus et admirabilis vir pontifex Callistus apparebit. Sed relatae duae ultimae inscriptiones non nisi per coniecturam possunt haeresi Sabellianorum adscribi, cum doctrinae catholicae optime possint convenire, et potius fidei adversus contrariam haeresim professionis speciem prae se ferre videan-

(1) Mamachi, *Orig. christ.* t. III, p. 18, n. 3.
(2) *Osservazioni*, p. 456.

tur. E contra de priore ambigendum sane est, atque optandum ut hypogeum illud a Marangoni aditum denuo inveniatur.

Alia denique inscriptio haereticam doctrinam sapit, quae in lucem prodiit saeculo elapso, cum ad pagana sepulcra iuxta viam Latinam detegenda effoderetur; integre pro more eam citabo:

ΦωC ΠΑΤΡΙΚΟΝ ΠΟΘΕΟΥCΑ
CΥΝΑΙΜΕ CΥΝΕΥΝΕ CΟΦΗ ΜΟΥ
ΛΟΥΤΡΟΙC ΧΡΕΙCΑΜΕΝΗ $\overline{\text{XΥ}}$
ΜΥΡΟΝ ΑΦΘΙΤΟΝ ΑΓΝΟΝ
ΑΙωΝωΝ ΕCΠΕΥCΑC ΑΘΡΗ
CΑΙ ΘΕΙΑ ΠΡΟCωΠΑ
ΒΟΥΛΗC ΤΗC ΜΕΓΑΛΗC ΜΕΓΑΝ
ΑΝΓΕΛΟΝ ΥΙΟΝ ΑΛΗΘΗ
(ετς) (ν)ΥΜΦωΝΑ ΜΟΛΟΥCΑ ΚΑΙ ΕΙC
(κολπ)ΟΥC ΑΝΟΡΟΥCΑ(ς)
(αιωνων) (π)ΑΤΡΙΚΟΥC Κ(αι)

Luminis paterni cupida et consanguinea consorsque mea Sophe, chrismate incorruptibili et puro uncta in Christi lavacris, divinos immortalium vultus videre festinasti magnum magni Consilii Angelum. — Tu ad nuptialem sedem atque thalamos paternos ascendens ...

In parte vero posteriore cippi haec leguntur:

ΟΥΚ ΕCΚΕΝ ΚΟΙΝΟΝ ΒΙΟΤΟΥ ΤΕ
ΑΟC ΗΔΕ ΘΑΝΟΥCΑ
ΚΑΘΤΑΝΕ ΚΑΙ ΖωΕΙ ΚΑΙ ΟΡΑ
ΦΑΟC ΑΦΘΙΤΟΝ ΟΝΤωC
ΖωΕΙ ΜΕΝ ΖωΟΙCΙΝ ΘΑΝΕΝ ΔΕ
ΘΑΝΟΥCΙΝ ΑΛΗΘωC
ΓΑΙΑ ΤΙ ΘΑΥΜΑΖΕΙC ΝΕΚΥΟC
ΓΕΝΟC Η ΠΕΦΟΒΗCΑΙ (1)

Non communem vitae exitum haec defuncta sortita est. Mortua est, sed vivit et lumen naturaliter incorruptibile videt. Vivit vere vivis, et mortua est vere mortuis. Terra, cur miraris hanc mortem, aut times?

(1) *Corpus Inscript. Graec.* t. IV, n. 9595 a. Cf. Garrucci, *Civiltà cattolica*, 1858, pp. 357–359, et De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1869, p. 30.

Non est dubium quin de defuncta haeretica agatur: illud enim *divinos vultus immortalium* (αιωνων) in aeonum Gnosticorum theologicam conceptionem quadrare videtur; deinde ut epigraphe Christiana omnino inaudita est.

Quinque autem abhinc annis, non longe a loco ubi inscriptio illa inventa est, parvum coemeterium casu detectum est quadraginta continens sepulcra, sed nulla Christiana inscriptione praeditum. Quaedam tamen picturae Bonum Pastorem, Noe, Danielem, Ionamque exhibentes Christianum coemeteriolum illud esse testatae sunt, atque ut tale habitum est a clarissimis Kanzler[1] et Wilpert.[2]

Non ita nihilominus egregius Marucchi censuit, nempe qui voluit demonstrare hoc coemeterium ad haereticos Valentinianos pertinuisse.

Equidem mihi dubia adhuc videtur res, sed animadversiones egregii archaeologi non sunt spernendae, eo vel magis quod perspicue demonstrant quanta sit historia et litteris Christianis instructus archaeologus oporteat in eiusmodi investigationibus; eas proinde breviter referre operis pretium est.

1° coemeterium anonymum, de quo agitur, non longe distat ab aliis viae Latinae coemeteriis Christianis, saltem a coemeterio Aproniani, quod prope Urbem erat, et insuper saeculo quarto adscribi debet. Sed coemeterium eiusmodi separatum et parvum, potest iure merito sectae haereticae tribui, cum illo tempore omnes fideles apud martyres in magnis communibusque necropolibus deponi desiderarent;

2° eo in coemeterio novae conspiciuntur architectonicae formae, ut duo cubicula cum columna tophacea in medio quasi fornicem sustinente, duo sepulcra more hebraico effossa,[3]

(1) *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1903, pp. 173–186.

(2) WILPERT, *Le pitture delle catacombe etc.* textus, p. 496.

(3) Hoc nullam revera difficultatem facessit, quia et in coemeterio Callisti, et in recens reperto Commodillae coemeterio eiusmodi sepulcra more Iudaico effossa conspiciuntur. Neque fortasse magis ad rem faciunt columnae fornices sustinentes, quippe quas nimis solutus tophus videtur requisiisse, et in Christianis extra Romam catacumbis, verbi gratia Neapoli, reperire haud rarum est.

et quoddam sepulcrum inusitatae formae; quae omnia innuunt non ibi Ecclesiae fossores elaborasse;

Tab. 99. Pictura eucharistica in recens reperto hypogeo Viae Latinae (Ex WILPERT, *Le pitt. delle cat.* tab. 265).

3° picturae ibi exstantes, praeter solita, etiam inusitato modo quaedam subiecta repraesentant, ut mensam eucharisticam cum duodecim convivis, et quattuor vasa, quorum unum ceteris maius (Tab. 98). Porro utrumque ad Valentinianorum mores et doctrinam alludere videtur, nam ex Irenaeo scimus

quemdam Marcum voluisse ut et mulieres quodammodo missam celebrarent: unde plurium vasorum usus, quorum unum, ut ex textu sequenti apparet, maius ceteris esse debebat:

« Rursus mulieribus dans (Marcus) calices mistos, ipsas gratias agere iubet praesente se. Et ubi hoc factum est, ipse *alium calicem multo maiorem* quam est ille in quo illa seducta Eucharistiam facit proferens et transfundens a *minori* qui est a muliere eucharistia factus in illum qui est ab eo allatus *multo maiorem* statim dicens ita..... et talia quaedam dicens et in insaniam mittens illam infelicem admirabilia faciens apparet quando *maior calix* adimpletus est de *minori calice* ut et supereffunderet ex eo etc. »;[1]

4° numerus quoque convivarum duodenarius cum Valentiniana haeresi congruentiam aliquam habere videtur; namque ipse Ireneus de ea loquens dixit:

« Duodecadem autem erga quam et mysterium passionis vel labis fuisse, ex qua passione visibilia fabricata esse volunt, signanter et manifestissime positam ubique dicunt.

« Et duodecim filios Iacob ex quibus duodecim quoque tribus et logion varium duodecim habens lapides et duodecim tintinnabula et eos qui a Moyse positi sunt sub monte duodecim lapides, similiter autem et eos qui a Iesu in flumine positi sunt et alteros qui transpositi sunt et portantes arcam testamenti et eos qui ab Helia positi sunt in holocausto vituli; et numerum quoque apostolorum *et omnia omnino quaecumque duodecim numerum custodiunt duodecadem ipsorum significasse volunt* ».[2]

Videlicet duodenarius numerus sacer Valentinianis erat ipsorumque societatis signum. Quae omnia indicia non quidem sunt parvipendenda, quaestionem autem ultimo non solvunt. Videbimus in secundo huius operis volumine an duodenarius numerus convivarum ad mensam eucharisticam catho-

(1) Irenaeus, *Adversus haereses*, lib. I, c. xiii, 2. Cf. *Patrol. graeca*, vol. VII, coll. 579 sqq.

(2) Irenaeus, *Adversus haereses*, lib. I, c. xviii, 4. Cf. ibidem, xv, 2.

licam convenire possit, necnon et plura vasa, quae, iuxta Wilpert, *novitatem ichnographicam* simpliciter constituunt.

Solet ut haereticorum hypogeum designari coemeteriolum quoddam viae Appiae Syncretistarum vocatum, et iam ab antiquis temporibus, non tamen ante pacem Ecclesiae, cum



Tab. CCC. Pictura saeculi IV iudicium defuncti repraesentans in coemeterio Syncretistarum. (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat.* tab. 132, 2).

coemeterio Praetextati communicans. Communicatio mero casu facta videtur. Syncretistae autem isti non quidem haeretici, sed pagani fuerunt, cum nihil de religione Christiana acceperint, sed solummodo, ceterarum orientalium religionum instar, quamdam iudicii post obitum futuri, mensaeque coelestis, necnon geniorum seu angelorum habuerint conceptionem. Rem prorsus illustrant parvuli ipsius viae Appiae coemeterii picturae. Quas tamen, ne prolixior sim, haud aggrediar hic describendas; eas enimvero in tabulis 112 et 113 invenies.

Hae quidem picturae non parvi momenti pro recta Christianarum eiusdem generis picturarum interpretatione sunt. Eo enim quod ethnicas vitae futurae conceptiones et Christianas conferre simul et componere voluerint, clare nobis protulerunt, quae numquam explicate Christiani pictores repraesentarunt. Sed de hoc infra.

Praeter haec nihil aliud invenire datum est in suburbio Romano de haereticorum coemeteriis. Quae autem in quibusdam libris archaeologiam tractantibus dicuntur et nominantur de haereticis coemeteriis, ista aut incertissima sunt, aut privata sepulcra respiciunt de quibus in praesenti nobis non est loquendum.

CAPUT IV.

Analogia inter Christianos atque ethnicos ritus funerarios.

Art. I. — Convivia funebria.

Ex meo instituto hucusque ethnica sepulcra cum Christianis sepulcris contuli, ut clarius natura rerum explicandarum perciperetur, historia praesertim duce. Eadem ratione pergens, pauca nunc de aliquibus funerariis ritibus Christianis dicam, prout in ethnicis moribus radicem habent.

Ut vidimus in citato superius testamento, quod in singulis praescriptionibus innumerabilia paene epitaphia confirmant, pars sepulcri erat *cella memoriae,* vocata quoque *cubiculum,* sicut in hoc exemplo: CVBICVLVM SVPERIOREM AD CONFREQVENTANDAM MEMORIAM QVIESCENTIVM.(1) Huic usui et solarium, idest pavimentum sepulcro superpositum, plus minusve coopertum, aut etiam sub dio, destinatum erat, interdum cubiculi vel cellae locum tenens, cui saepius veluti appendix aut complementum iungebatur.

Iuxta epigraphiae Romanae indolem, in venusto quodam titulo haec legitur invitatio: *Amici et parentes habeatis deos propitios, salvi huc ad alogiam veniatis hilares cum omnibus.*(2)

Alogia convivium significabat. In inscriptione collegii Hygeae et Æsculapii haec habentur: *Locum aediculae cum pergula et solarium tectum iunctum in quo populus collegii epuletur.*(3)

(1) De Petra ap. *Giornale degli scavi di Pompei,* 1869, t. I, p. 242.

(2) *Bull. Istit. di corrisp. arch.* 1858, p. 116. Cf. De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 475. Egregius archaeologus ex more alogiae in solariis celebrandae deducit vocabulum italicum *loggia* quod solarium et matroneum significat.

(3) R. Fabretti, *Inscript. antiq. quae in aed. pat. asserv.* p. 724, n. 443.

Idem in epigraphis funerariis invenitur, ubi *pergulae, tricliae, trichilae* cum fere semper adiuncto puteo nominantur. Ubi vero *pergula* laqueari vel fornice erat cooperta et veluti porticula facta, vitis, aut alius eiusmodi fruticis, palmitibus pictis ornabatur, unde pergula in triclinium prorsus vertebatur.

Tab. 101. Convivium funerarium in ethnico sepulcro depictum.

Notabilis est quaedam ethnica anni 299 post Christum natum inscriptio, Latafi in Mauritania inventa, qua fundatio mensae ad sepulcrum cuiusdam Aeliae Secundinae commemoratur:

MEMORIAE AELIAE SECVNDINAE
FVNERI MV*I*TA QVID*e*M CONDIGNA IAM MISIMVS OMNES
INSVP AR*a*EQV*e* DEPOSIT*a*E SECVNDVLAE MATRIS
LAPIDEAM PLACVIT NOBIS ATPONERE MENSAM
IN QVA MAGNA EIVS MEMORANTES PLVRIMA FACTA
DVM CIBI PONVNTVR CALICESQ*ue* E*t* COPERTÆ
VBLNVS VI SANETVR NOS ROD*ens* PECTORE SÆEVVM
LIBENTER FABVL*as* DVM SERA RED*d*IMVS HORA
CASIÆ MATRI BONAE LAVDESQ*ue* VETVLA DORMIT
IPSA O NVTRIT IACES ET SOBRIÆ SEMPER (1)
V*ixit* A*nnis* LXXV A*nno* P*rovinciae* CCLX
STATVLENIA IVLIA .FECIT (2)

(1) NVTRIT pro *nutrix*; SOBRIÆ pro *sobria*.
(2) S. Gsell ap. *Mélange d'arch. et d'hist.* 1895, t. XV, p. 49, n. 7.

Iam inscriptionem citavi cuiusdam Caii Edulei Ianuarii, qui *aram sodalibus suis Serrensibus donum posuit, et locum scholae ipse acquisivit.*(1) Ubi inscriptio inventa est, ibi ruinae antiqui triclinii erant perspicuae, et, ut C. L. Visconti affirmavit, circumpositae sedes apparebant pro quinquaginta circiter



Tab. 102. Antiqua exedra trichora (cella memoriae) in coemeterio Callisti (saec. III vel initio IV) et in domum rusticam mutata.

personis. Schola collegii Silvani, cuius inscriptio supra in nota citavi erat formae circularis.

Testamenti formula, quam noscimus, mentionem de exedra facit; exedra vero eius generis erat aedificium, quod abside una vel pluribus consistens, in fronte prorsus apertum esset.

(1) Vide caput proxime praecedens.

Iam vero haec hucusque recensita I. B. De Rossi et in Christianis sepulcris Romae et alibi notavit. Exedrae non defuerunt supra coemeteria Romana, et in coemeterio S. Callisti duae adhuc extant basilicae, quae origine nihil aliud quam exedrae trichorae, idest tribus absidibus instructae, fuerunt (vide tabb. 59–102).

Quin, et in vestibulo coemeterii Flaviae Domitillae, praeter circumstantia sedilia et puteum, etiam pampinorum depictorum vestigia adhuc cernere licet, neque alia fuit decoratio exedrae Christianae, immo et Christiani sepulcri; cuius rei, post pacem Ecclesiae donatam, perduravit traditio cum fornices sepulcrorum Christianorum fuere « arborum comis vitiumque pampinis adumbratae ».[1]

Vestibuli praefati iam figuram adduxi (Tab. 87) ecce nunc eius planum.



Tab. 103. Planum vestibuli hypogei Flaviae Domitillae.

Pars media *A A* antiquissima est, apostolicum pertingens aevum, quae in Flaviae gentis nobilissimum hypogeum *X* eiusdem aetatis immittit. Partes *B E*, *F G* saeculo tertio adiunctae fuisse videntur. Vestibulum in viam Ardeatinam veterem prospiciebat transeuntem ante illud. *F* puteum indicat, *C D* sunt cubicula picturis mere ethnicis saeculi III ornata et arcosoliis instructa. Haec, quae palam sub dio olim conspici poterant, hodie nonnisi in coemeterium introeuntibus videre fas est. Picturae autem quibus statim post vestibulum hypogeum decoratum est, vix differunt a picturis pompeianis.

(1) S. Hieronymus, *Ep.* 60.

Architectonicae analogiae notatae rituum etiam et morum analogiam supponunt; ita tamen, ut quidquid Christiani de idololatricis ritibus servare potuerint, id ad elevatiorem significationem conceptusque mere Christianos verterint.

Testamenti formula nobis nota dum sequentem illustrat inscriptionem, ea vicissim illustratur: *Aram vivus sibi inscripsit ut animae ablatae corpore condito multis annis celebraretur.* (1) Duae erant caeremoniae quibus « spiritus quiescentis colebatur ad eius memoriam » : sacrificium et convivium, seu *epulae.* Sacrificia profusionibus vini et lactis constabant; epulae vero aliae omnibus sepulcris communes, aliae speciales singulis erant, earumque tempus a die 13 ad 22 Februarii decurrebat. Ultimus hic dies, quia magis intimis conviviis destinatus inter defuncti propinquos, *caristia* vel *cara cognatio* vocabatur, ad eamque proximi pacifici convenire tenebantur, omni discordiarum litiumque caussa seposita; quod aliquando vel in epitaphiis indicabatur: *Hilares venite, sine quaerela, sine bile.*

Mense autem Martio caeremoniae funerariae occurrebant, *violaria* quidem vocata (*dies violationis, violae*); Maio *rosalia* locum habebant (*rosaria, dies rosationis*); Iulio, denique, cum sacrificia conviviaque renovarentur, rosarum violarumque coronae necnon cibi offerebantur (*escae*); qui, prout in *rosaliis* aut tempore vindemiae praebebantur, *rosales* aut *vindemiales* vocabantur. Hinc formulae: *coronare, coronam inferre, colere sepulturam rosis et escis, rosales et vindemiales escas ponere, praebere rosas,* veluti testamenti leges a defunctis relictae, neque raro in ipsis epitaphiis et cippis conscriptae: *Rogo..... ut mihi ponatur omnis flos suo tempore.*

Monumenta de usu agapes testantia perplura sunt; cui generi fortasse tribuenda quoque sunt sedilia ad cubiculorum parietes in catacumbis disposita, ut in Tab. 104 videre licet.

In ruinis Africanarum basilicarum non pauca indicia et monumenta notata sunt, quae luculenter probant convivia, nedum in coemeteriis, etiam in basilicis locum habuisse. (2)

(1) De Boissieu, *Inscript. de Lyon*, p. 199.

(2) Cf. S. Gsell, *Monuments antiques de l'Algérie.*

Verum ex his per coniecturam tantum quis concluderet, triclinia sive mensas pro agapis basilicas praecessisse. Nulla enim erat ratio, cur in aprico triclinium statueretur, nisi supra martyrum sepulcra; praeterea cum triclinio altare quam saepissime erigebatur, quod sub dio plerumque esse nequibat. Copia vero plurima monumentorum eiusmodi in Africa exinde est quod ibi multo largius intentiusque agapes mos viguit.



Tab. 104. Tabula convivalis in oratorio funerario S. Alexandri « Tipasae ». (Ex S. Gsell, *Monuments antiques de l'Algérie*, t. II, tab. XCV).

Notabiles sunt praesertim ruinae oratorii funerarii episcopi Alexandri, Tipasae; ubi duas tabulas pro agapis archaeologi invenerunt. (1)

Verum non semper mensa accipienda est pro tabula convivali, neque semper satis illa a mensa altaris distinguitur.

(1) I. B. Saint-Gerand, *La basilique de Tipasa* ap. *Bull. arch. du Comité des travaux hist.* 1892, p. 472; De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1894, p. 91.

Christianos enim ad martyrum sepulcra convenisse, ibique sacrificium eucharisticum celebrasse super mensam sepulcri aut sepulcro appositam, haud est dubium. In coemeterio S. Priscillae haec reperitur inscriptio in qua certissime ad illum morem alluditur:



Tab. 105. (In coem. S. Priscillae).

Eucharis est mater, Pius et pater est (mihi).
Vos precor, o fratres, orare huc quando veni(tis)
Et precibus totis Patrem Natumque rogatis.
Sit vestrae mentis Agapes carae meminisse
Ut Deus omnipotens Agapen in saecula servet.

In Actis vero martyrii S. Polycarpi legimus, statuta die atque hora, fideles ad eius martyrii domum (idest sepulcrum), congregari solitos.[1] De sepulcro S. Cypriani haec S. Augustinus scribit: « Carthaginensem Ecclesiam vivens gubernavit, moriens honoravit. Ibi episcopatum gessit, ibi martyrium consummavit. In eo quippe loco, ubi posuit carnis exuvias, saeva

(1) Οὕτως τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ ἀπεθέμεθα, ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν (*Martyrium S. Polycarpi*, c. XVIII, p. 302). Cf. PROBST, *Liturgie der drei ersten Jahrhunderte*, pp. 81 sqq.

tunc multitudo convenerat, quae propter odium Christi sanguinem effunderent Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quae propter Natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter Natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique, sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco mensa Deo constructa est; et tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur. Sed ut mensa illa, quae Dei est, etiam Cypriani vocetur, haec causa est; quia ut illa modo cingitur ab obsequentibus, ibi Cyprianus cingebatur a persequentibus: ubi nunc illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab inimicis frementibus calcabatur: postremo ubi illa erecta est, ibi prostratus est ».[1]

Haec quidem verba altare respiciunt, mensam scilicet Cypriani, *Deo constructam, in qua sacrificium Deo ..... offeratur.* Eiusmodi autem mensarum, saltem in Oriente, custodes constituebantur qui procul dubio clero adnumerati erant. Id officium vero diaconorum munus, scilicet mensis ministrandi, in mentem revocat; quem quidem morem ad saeculum usque sextum perseverasse testatur sequens inscriptio apud Ierusalem inventa:



Tab. 106. (Ex *Revue biblique,* an. 1892, p. 587).

τῶν ξυλῶν φύλαξ.....

id est: *mensarum custos.*

Sed inscriptio non excludit quominus simul de convivalibus mensis ipsa intelligatur. Ceterum non desunt textus, nempe

(1) *Serm.* CCCX, c. II.

mensis incisi, qui de mensarum institutione loquantur; ibique dubitandi de natura mensae locus non datur, atque altaria prorsus eximi debent. Dubia quidem esse potest inscriptio cuiusdam Variae, Christi ancillae, quae *fecit sibi, ipsa sana* (id est: *se viva*), *Sanctorum mensam*; at minime inscriptiones dubiae sunt sequentes:

MENSA M(*artyrum?*) ... F(*e*)LICIS NA... IN MENT(*e habeas?*)
VICTORE(*m*) PR(*es*)B(*yterum*) CVM OMNIBVS SVIS QVI FECERVNT(1)
MENSA M(*artyrum?*) FELICISS(*imorum*) ... (*Vir*)GINIS MARI(*a*)E F(*ecerunt et*) DEDICAVERVN(*t*) (...)ANVS ET CONSTANT(*tia?*) (2)
FLORE BONE MEMORIAE CONIVGI QVETVS MARITVS M(*e*)NSAM PERPETVAM POSVIT QVAE VICSIT (*sic*) ANNIS LX DECESSIT OCTAV·KAL MARTIAS ANNO PROVINCIAE CCCX (3)
(Scilicet 23 februarii an. 349).

Ut ex his et praecedentibus textibus eruitur, congregatio ad sepulcra cogebatur ut anniversarius, scilicet *natalis*, ut vocabatur, dies celebraretur, quia Christiani primaevi diem obitus veluti ortus considerabant, quo scilicet corpus quidem moriebatur, animus vero coelo atque aeternitati nascebatur; « Diem mortis celebramus » ait Origenes (lib. 3), « quia non moriuntur hi, qui mori videntur; propterea et memorias sanctorum facimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis confirmationem in fide postulantes ». (4)

Praeter scriptores et liturgica documenta, epitaphia quoque mentionem de sanctorum natalibus exhibent veluti notam temporis, neque ab hoc devotionis aliquem affectum alienum esse dicerem. Plura eiusmodi exempla proferunt Romana coemeteria, nempe coemeterium S. Sebastiani, ubi haec legitur inscriptio: MARCELLI DIE N(*atali*); coemeterium Cyriacae: NATALE

(1) S. Gsell, *Recherches archéologiques en Algérie*, 1893, p. 269, n. 319.
(2) S. Gsell, loc. cit. p. 268, n. 318.
(3) A. Audollent ap. *Comptes rendus de l'Acad. des inscript.* 1890, p. 239.
(4) Lib. 3. Cf. Cyprianus, *Ep.* XXXIV, n. 3; August. *Serm.* CCCXI.

SA(*ncti*) (*Laurenti*)I?; coemeterium Commodillae: NATALE DOMNES SITIRETIS (idest *Soteridis* [11 die Februarii]), et alia non satis perspicua. Ex Syracusanis vero catacumbis illam habemus, S. Luciae natalem proferentem:

ΕΟΡΤΗ ΤΗC ΚΥΡΙΑC ΜΟΥ ΛΟΥΚΙΑC

Vix credibile dixeris, etiam hunc morem antiquum prorsus et idololatris quoque fuisse, ut scilicet dies anniversarius alicuius carae personae ortus, vel conspicui viri, vel alicuius solemnis caeremoniae, vel initii novi rerum status, vel notabilis institutionis inaugurationis illo *natalis* nomine designaretur. Notandum insuper, in Graecia, γενέσια vocata fuisse sacrificia pro anniversario personae iam defunctae ortus oblata.(1)

Ecclesia igitur Christiana diei martyrum mortis anniversario nomen indidit *natalis*, quem missae sacrificio atque conviviis pauperibus paratis celebravit; et quemadmodum apud ethnicos a legionibus *natalis signorum* celebrabatur, a cuncto autem populo *natalis purpurae*, cum novus solio imperator potiretur (ita tamen ut *natalis* ille a natali genuino idest a vero ortus anniversario differret), sic in Christiana liturgia celebratus est *natalis reliquiarum S. Stephani,* dies scilicet anniversarius inventi ac translati protomartyris corporis; *Natalis Calicis* appellatus est anniversarius Eucharistiae institutionis;(2) *natalis Petri de Cathedra* festum Cathedrae S. Petri;(3) (*natalis*) *Bonifacii Episcopi de ordinatione,* anniversarius ordinationis Bonifacii I,(4) etc.

Dicet aliquis, Christianis nihil exemplo ethnicorum opus fuisse ut agapae instituerentur; eo magis quod funebre convivium gentilium, ex more praebendi cibos defunctis (idest manibus eorum), qui cibis quodammodo egere putabantur ortum esse sit arbitrandum; usum vero agapes Christianae ab apostolica aetate repetere fas sit, utpote ab ipso Domino in

(1) Herod. IV, 26.
(2) *Corpus Incript. Lat.* t. I, pp. 339–375.
(3) *Catal. Liberianus. Chron. min.*
(4) *Mart. Hieronym.* die 29 decembris.

ultima coena institutae, proindeque funerario convivio prorsus alienae.

Respondeo autem Agapen a Christo Domino institutam[1] (si licet ita loqui), aut potius, more Iudaeorum pascha celebrantium, usurpatam, nempe quae, sicut in ultima coena consecrationem et fractionem panis consecrati praecedere debuisset, institutionem a funerario convivio diversam omnino extitisse:[2] « De solo triclinio Christianorum retractatur », aiebat Tertullianus. « Coena nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Graecos est; quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis facere sumptum, siquidem inopes quoque refrigerio isto iuvamus ».[3] Ex quibus liquet,

(1) Hanc solvere difficultatem minime quidem ad propositum praesentis instituti facit, et prorsus supervacaneum videtur. Obiter tamen notabo, Christum forsitan ideo voluisse post coenam Eucharistiam instituere, ut facilius et solos Apostolos congregatos et mensam et opportunitatem panis et vini ad sacramenti materiam haberet; quod quidem subordinatum est praecipuae (et in Evangelio significatae) rationi, paschale convivium cum eucharistico convivio coniungendi ut alterum alterius figura esse appareret. Mandatum autem, seu verba *Hoc facite* etc. ad consecrationem et fractionem spectare dumtaxat haud dubium est. Denique si praecedens coena veluti institutio proprie dicta et adamussim servanda habenda esset, tunc eodem iure omnes Christi actiones institutiones dominicae essent, ideoque servandae, aut, quod nemo sui compos dicet, agapen Christianorum ex paschali Iudaeorum convivio repetendam esse.

(2) En quid clarissimus Duchesne de hac re loquitur: « Tout à fait à l'origine, comme on le voit dans la première épître aux Corinthiens, la cène eucharistique était précédée d'un repas ordinaire, pris en commun. C'est ce qu'on appelait l'agape. Mais cet usage comportait trop d'inconvénients pour être durable. L'agape liturgique disparut, ou peu s'en faut, moins que cent ans après la première prédication de l'Evangile. Quant à l'agape funéraire, dont il est encore question au quatrième siècle et au cinquième, c'est une institution toute différente » (*Origines du culte chrétien*, p. 49 in nota, ed. 3ª).

(3) *Apolog.* c. 39. Citabo etiam clarissimi Wilpert verba, ut studiosi opinionem sibi effingere possint; eo vel magis quod hic auctor egregie commentatur verba Plinii ad Traianum de Christianis congregationibus: « On ne peut fixer d'une manière certaine l'époque où l'Eucharistie fut séparée de l'agape; on ne peut non plus savoir si cette séparation eut lieu

agapes funebris ideam a desiderio animae defuncti suffragandae refrigerandaeque exortam esse. Super enim aut iuxta sepulcrum Sacrificium offerebatur, seu fiebat *oblatio pro dormitione*, iuxta liturgicam antiquam formulam;(1) idque primum depo-

partout en même temps. Que les deux aient été célébrées dans l'Eglise entière encore au commencement du deuxième siècle, c'est ce que prouve, outre la *Didaché*, le texte de saint Ignace que nous venons de citer, et dans lequel l'expression ἀγάπην ποιεῖν (agapen celebrare) signifie la célébration de l'Eucharistie. Quand saint Justin écrivait son *Apologie majeure* (vers l'an 150), cet ancien usage avait déjà cessé, parce que dans ces deux récits sur le sacrifice eucharistique il ne fait nulle mention de l'agape. Mais c'est à tort que quelques-uns ont conclu, de la lettre connue de Pline le Jeune à Trajan, que l'usage en question n'existait plus du temps de cet empereur. S'il est permis de conclure quelque chose de cette lettre, c'est plutôt l'opinion contraire. En effet, voici comment parle Pline, résumant les aveux des apostats: " Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo, dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen et innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram ". Il distingue donc deux réunions de chrétiens qui avaient lieu en un " jour déterminé ", soit le dimanche, l'une au matin, l'autre à l'heure du repas, " pour prendre la nourriture ". Par ces paroles on doit comprendre l'agape avec l'Eucharistie: premièrement, par la simple raison, qu'il n'est parlé ni de l'une ni de l'autre à la réunion du matin; en second lieu, à cause de l'adjectif *innoxius*, dans lequel on peut facilement reconnaître un écho de la calomnie absurde, suivant laquelle les chrétiens auraient mangé de la chair humaine à leurs réunions religieuses. La coutûme de communier le soir, après le repas, s'est conservée dans quelques sectes de l'Egypte, selon Sozomène, jusqu'au cinquième siècle: " Sed Aegyptii qui Alexandrinis vicini sunt et ii, qui Thebaidem incolunt, sabbato quidem collectam celebrant: non tamen, sicut mos est Christianorum, sacra mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt, et omni genere ciborum saturati sub vesperam oblatione facta communicant " (*H. E.* V, 22 ap. MIGNE, LXVII, 135 sqq.). SOCRATE, *H. E.* VII, 19 ap. MIGNE, LXVII, 1478, dit la même chose » (*Fractio panis*, p. 15, in nota).

(1) TERTULL. *De corona*, c. III; *De exhort. castitatis*, c. XI; CYPRIANUS, *Ep.* LXVI.

sitionis die (seu die sepulturae), deinde tertio, septimo ac trigesimo die; quotannis autem depositionis anniversario. In verbis citatis ac per integrum capitulum 39, Tertullianus totus est in discrimine stabiliendo inter ethnicum et Christianum convivium, perinde ac si ambae institutiones, aequales origine ac proposito, diversissimae usu et applicatione evasissent.

Sunt tamen qui convivium funebre continuationem fuisse agapes teneant, ex eo quod agape Christi mortis quodammodo commemoratio fuit, sicut convivium funebre plerumque martyris fuit commemoratio. Equidem haud scio an distinguendum sit quoque inter convivium et convivium.

Quomodocumque se habeat res, illud perspicuum apparet: omnes populos officiis mortuos honorasse, praesertim sacrificiis et conviviis, nec ab eiusmodi more esse Iudaeos excludendos. Namque hos scimus revertentibus a funere, tam cognatis quam lugentibus reliquis convivium instruere solitos fuisse, quod in textu haebraico *panis lugentium* vocabatur, in Vulgata vero Bibliae sacrae editione *panis dolorum* et *calix* dicitur *consolationis.*[1]

Christi autem tempore, maximis sumptibus huiuscemodi convivia parabantur ita ut divites ob hanc causam aliquando in paupertatem reducerentur; idque nihilominus praestabant ne irreligiosi populo viderentur;[2] Machabeorum aetate, etiam sacrificia pro mortuis offerebantur.[3] Ex quibus concludere fas est: non indiguisse Christianos exemplo ultimae coenae ut agapes morem inducerent. Ceterum animadvertendum quod agapae triplicis fuerunt generis: *agapae natalitiae* quae in festis martyrum celebrabantur;[4] *agapae connubiales* in nuptiarum celebratione,[5] et *agapae funerariae* in funerum diebus.[6]

(1) Os. IX, 4; Ier. XVI, 7. Cf. II Sam. III, 35; Ezech. XXIV, 17, 22; Tob. IV, 18.

(2) Ioseph. *De bello Iud.* 11, 31.

(3) II Mac. XII, 43.

(4) Theodoret. *Evang. verit.* lib. VIII.

(5) S. Greg. Naz. *Carm.* X.

(6) S. Paulin. *Epist.* XIII.

Tab. 107.



Tab. 108.



Tab. 109.

Tab. 110.

Specimen vasorum in catacumbis repertorum.

Vasa quae in catacumbis inveniuntur et amphorae, praeterquam ad oleum lampadibus nutriendis ministrandum, etiam ad aquam et vinum conviviis suppeditandum destinata erant.

Affirmare igitur licebit nihil fuisse naturae magis consentaneum quam ut Christiani primaevi, sub specie communis et generalis ritus celebrandi, ad sepulchra martyrum et carorum suorum convenirent, ibique, et Missae Sacrificium celebrarent, et oblationes colligerent fratribus egenis subveniendis pascendisque: « Haec, ait Tertullianus, quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus item naufragis, et si quis metallis, et si quis in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt ».(1)

Agens S. Augustinus in Manichaeos et praesertim in Faustum, eorumque adversus Christianos accusationes reassumens et retundens, haec de agapis habet (de agapis utique natalitiis, vel funerariis, utpote quae solae in usu permanerent tunc temporis): « Nec sacrificia eorum (gentilium) vertimus in agapes..... Agapes enim nostrae pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus, pascitur enim creatura Dei de creatura Dei quae humanis dapibus congrua est..... Quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis paganorum, quorum nonnullis in hoc quoque similes estis ».(2)

(1) *Apolog.* c. 39.

(2) *Contra Faustum*, lib. XX. c. XX. Verum non prorsus alieno marte in hoc Manichaei impetebant, non quod eorum in Christianos accusatio de ritus idololatrici imitatione, vel, ut aiebant, *de umbris defunctorum sicut gentiles vino placandis et dapibus*, aliquid haberet fundamenti; sed quod his in conviviis iam multo ante tempore et tunc praesertim abusus illi deplorabantur, qui caussam saeculo II praebuerant agapes eucharistiam praecedentis abolendae (cf. I ad Corinthios). Neque Augustinus has dissimulabat inordinationes, quae usque eo progressae sunt ut agapae ipsae funerariae supprimerentur; sed in c. XXI eiusdem operis, accusationem repellens de idololatria erga martyrum corpora Christianis ab ipsis haereticis impactam, inter alia plura haec ait: « Qui autem se in memoriis martyrum inebriant,

Iuvat hic nonnullos S. Hippolyti canones citare, qui grandiorem rei lucem afferent: « Can. 160: Si distribuatur oblatio, distribuatur etiam eleemosyna pauperibus; haec autem dispertiatur pauperibus ante occasum solis a populo. Can. 164: Si agape fit, vel coena ab aliquo pauperibus paratur κυριακῇ tempore accensus lucernae praesente Episcopo, surgat diaconus ad accendendum. Can. 169: Si fit ἀνάμνησις pro iis qui defuncti sunt, primum antequam consideant mysteria sumant, neque tamen die prima. Can. 170: Post oblationes distribuatur eis panis ἐξορκισμοῦ antequam consideant. Can. 171: Catechumenis autem curante Episcopo mittatur panis oratione purgatus ut ecclesiae associentur. Can. 172: Non sedeat cum eis aliquis catechumenus in agapis κυριακαῖς. Can. 173: Edant bibantque ad satietatem, neque vero ad ebrietatem, sed in divina praesentia cum laude Dei ». (1)

Ex quibus omnibus eruitur, agapen vespertinam fuisse, etenim *tempore accensus lucernae* celebratam, quando apud Romanos coenabatur; quod si viduae invitatae essent, ante vesperam dimitti debuissent. « Can. 183: Si quis viduis coenam parare vult, curet ut habeant coenam et ut dimittantur antequam sol occidat ». Porro in *instrumento tricliniorum* non tantum ad Christiana, verum etiam ad ethnica collegia pertinentium *candelabra et lucernae bilychnes* recensentur. (2) Praeterea quaedam

quomodo a nobis approbari possunt, cum eos, etiam si in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod praecipere iubemur, aliud quod emendare praecipimur, et donec emendemus tolerare compellimur. Alia est disciplina Christianorum, alia luxuria sacrilegorum et vinolentorum. Longe quippe minoris peccati est ebrium redire a martyribus, quam vel ieiunium sacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi: non dixi sacrificare Deo in memoriis martyrum » (*Œuvres complètes de saint Augustin*, Paris, 1870, t. 26, pp. 126–127).

(1) Licet isti canones falso (ut videtur) S. Hippolyto sint attributi, tamen eruditi quique in hoc conveniunt ut eos tertio secundove saeculo adscribant. Canones citatos ex egregio Duchesne opere *Origines du culte chrétien*, pp. 525 sqq. ed. III excerpsi.

(2) Orelli, *Inscript.* n. 3678. De lucernis, lampadibus, ampullis, balsamis aliisque similibus, infra loquendum erit.

indicantur distributiones, quemadmodum et in *Constitutionibus apostolicis* partes praescribuntur Episcopo absenti faciendae, item duplex panis vinique distributio presbyteris et diaconis, necnon pauperioribus viduis iuxta diaconi iudicium.(1) « Hic distributionum modus, ait I. B. De Rossi, circa alimenta pro cleri honorato victu, divisioni *sportularum* in municipalibus et collegialibus Ethnicorum conviviis assimilari poterat; in iis enim quantitas cuicumque competens designabatur secundum eius in municipio vel collegio gradum.(2) Nam praeter *caristiam* et *parentalia*, convivium scilicet prorsus familiare et *carae cognationis*, ethnici in communi quoque frequenter discumbebant, et inter se, gradibus diversis servatis, sportulas dividebant; idque nedum in festis dedicationum statuarum municipalibus, ac nataliciorum occasione benefactorum, etiam et saepius in collegiis funerariis, quorum numerus, dum alias maxime Christiana coemeteria dilatabantur, multis sub formis multiplicatus est ».(3)

Haec omnia S. Cyprianus confirmat, qui *sportulantes* ac *sportulis honoratos* presbyteros a fidelibus sustentatos appellavit; quae quidem disciplina hodie est in pristinum restituta, licet alia sub specie, in nobilissima Francorum natione, ubi pauci, odio in Deum pervasi, summa rerum potiti, ut clerum sibi obnoxium facerent atque a communione cum Romano ponti-

(1) *Const. apost.* II, 28.

(2) Cf. MARINI, *Arvali*, pp. 398 sqq.; *Bullettino di arch. crist.* 1864, p. 66; 1866, p. 22.

(3) *Roma sott.* t. III, pp. 501–502; cf. p. 476. In quodam ethnico collegio, singuli praesides duas cum dimidio partes in sportularum distributione percipiebant, unde *magistri* sive *magistratus sesquiplares* dicebantur (ORELLI, *Inscript. lat.* n. 7184); ac Tertullianus, iam ab Ecclesia catholica profugus, duplicem portionem praesidibus collectarum debitam non minus vitio vertens, atque ipsas agapas, ita eam acerbe commemorat: « Appendices scilicet gulae, lascivia atque luxuria, quam societatem et Apostolus sciens, cum praemisisset: Non in ebrietatibus, nec in commessationibus; adiunxit: Nec in cubilibus et libidinibus. Ad elogium gulae tuae pertinet, quod duplex apud te praesidentibus honor binis partibus deputatur; cum Apostolus duplicem honorem dederit ut et fratribus et praepositis. Quis sanctior inter vos, nisi convivandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior? . . . » (*De ieiuniis*, XVII).

fice distraherent, eum vel omni illa ope privarunt, quae, licet minima, accepta tamen iamdudum fuerat veluti iniustae ac sacrilegae spoliationis compensatio.

Praeterea, nedum pauperibus, etiam in metallis, in insulis in custodia detentis propter Christum providebatur, ut patet ex citatis Tertulliani verbis, qui illos in sua epistola *ad Martyres*, martyres vocat designatos: « Inter carnis alimenta, bene-



Tab. III. Fragmenta cupparum convivalium in catacumbis inventa.

dicti martyres designati, quae nobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrat » (c. I).

Veri est simillimum hanc Christianorum sportulam ultimae S. Perpetuae consociorumque martyrum coenae in carcere cibos suppeditasse. Mos enim erat apud Romanos ut pridie ludorum gladiatoribus ac bestiariis commissatio concederetur, graece *orgia*, quam *coenam liberam* vocabant, cui et populus adsistere poterat. Hac vero coena etiam damnati gaudere poterant ut ex ipsis patet Ss. Perpetuae et Felicitatis actis: *Pridie quoque cum illa coena ultima, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non*

coenam liberam sed agapen coenarent.[1] Scilicet coenam liberam in agapen verterunt.

Convivii idea refrigerii etiam cogitationem includebat, quapropter vasa vitrea quae conviviis inserviebant non raro omina ita inscripta habebant in fundo, ut legi a convivis possent dum biberent. Ibi etiam figura martyris convivio honorati saepe cernebatur, vel virginis Mariae, vel apostolorum Petri et Pauli, vel patroni.

En aliquae acclamationes convivales in vitreis cuppis inventae:

Dignitas amicorum pie zeses cum tuis omnibus bibe et propina
(Dig)nitas amicorum (pi)e zes(es) (cum tuis omnib)us bibas.
Dignitas amicorum vivas cum tuis feliciter zeses.
Dignitas amicorum vivas in pace Dei zeses.[2]

Istae et aliae, quas brevitatis caussa omitto, acclamationes dubium est utrum ad defunctos an ad viventes attineant; equidem dicam potius ad viventes, nam legimus in Tertulliano: *inopes quoque refrigerio isto iuvamus – indigentibus refrigeramus.* Quae verba de sportulis dicta sunt; et licet exempla luculentissima habeantur de eiusmodi acclamationibus ad defunctos certo pertinentibus,[3] non tamen ista in cyathis convivalibus, sed in sepulcris tantummodo cernuntur, ibique ad convivium coeleste, sicuti quaedam convivii repraesentationes in catacumbis depictae,[4] alludunt.

(1) *Passio S. Perpetuae*, n. 17. Moris erat quoque ut in carceribus detenti possent cibos a parentibus et amicis recipere (cf. *Passio S. Pionii*, n. 11); non raro enim cibus, avaritiae caussa, insufficiens erat (cf. *Passio S. Perpetuae*, n. 16); a Cypriano autem scimus, Christianos quosdam fuisse qui inedia in carceribus mortui sint.

(2) Cf. CABROL–LECLERCQ, *Monumenta eccl. liturg.* t. I; DE ROSSI, *Bullettino di arch. crist* an. 1882, pp. 113 sqq.

(3) Quod acclamationes in cuppis convivalibus respicerent viventes est sententia I. B. De Rossi (*Bull.* 1882, p. 126) et paene omnium antiquitatis peritorum.

(4) Hic mentis conceptus melius et data opera explicabitur cum sub respectu dogmatico erunt monumenta consideranda. Iuvat tamen statim

Si igitur viventibus acclamationes vasorum convivalium referuntur, ne in hoc quidem Christiani proprium induxere morem. Etenim Syncratius ille qui, uti vidimus, scholam sodalibus suis instituit, orat ut isti in pace refrigerent: *Peto aego* (ego) *Syncratius a bobis* (vobis) *unibersis sodalibus ut sene* (sine) *bile refrigeretis*;[1] atque titulo sepulcrali cuiusdam equitis Romani haec subiuncta fuit formula: *Lupercus cucurrit uius* (huius) *loci refrigeras* (refrigerans); nempe unus ex huius loci conviva, hic depositus, adscriptus erat Lupercorum sacerdotio.[2]

Iam quaerere quis poterit num inter tot conviviorum repraesentationes in picturis catacumbarum, sit aliqua convivium funebre exhibens? Dicam prius quid varii archeologi senserint, qui insigniter discrepant inter se. Antonius Bosius, Severanus, Aringhius et omnes plerumque archaeologi saeculo XIX anteriores putarunt, quoties convivium in monumentis funerariis appareat, funebre convivium repraesentari. Hinc textuum copia demonstrare nituntur auctores illi, nihil cum ethnicis parentalibus commune habere convivium in catacumbis depictum, idque dignum esse quod in sepulcris repraesentaretur, cum per ipsum requiem defunctis deprecaretur ac pauperibus subveniretur.[3]

Raoul-Rochette, qui aliquid proprium Christianam antiquam artem habuisse negavit, nullum docuit interesse discrimen inter eiusmodi agapas atque convivia ethnicorum funeraria.[4]

Polidori ex adverso inficiatus est agapen unquam potuisse

animadvertere maximam esse congruentiam inter convivium caeleste et refrigerii cogitationem; nam praeter certissima neque pauca documenta epigraphica, textus biblici, praesertim parabolae evangelicae, Patrum expositiones et Christiani antiqui scriptores mirum quantum eam illustrant.

(1) FABRETTI, p. 102, n. 238.

(2) DE ROSSI, *Bull. d'arch. crist.* an. 1870, pp. 35-36. Refrigerare in epitaphiis idem est atque discumbere, convivium facere (cf. MARTIGNY, *Dictionn. des ant. chrét.* art. *Refrigerium*; CABROL, *Dictionn. d'arch. chrét. et de liturg.* art. *Agape*).

(3) BOSIO, *Roma sotterranea*, MDCL, ap. 642 sqq.

(4) *Mémoire sur les antiquités chrétiennes* in *Mém. de l'Acad. des inscr.* an. 1836, t. XIII, p. 775; *Tableau des catacombes*, p. 142.

in sepulcris repraesentari;[1] I. B. De Rossi convivia depicta in caelestia et eucharistica convivia distinxit; Wilpert, denique, et agapen et coenam caelestem et eucharisticam mensam potuit in picturis dignoscere.

De recentioribus auctoribus non est cur loquar quorum nempe praecipui, ut H. Leclercq, et Kaufmann, parum demonstrant se cognoscere picturas de quibus tractant.[2]

Dicam statim mihi verisimiliorem Wilpert sententiam videri, idque propter has rationes. Sunt convivia, in quibus numerus convivarum, vel canistrorum, vel panum et piscium ad prodigiosas multiplicationes in Evangeliis narratas certissime alludit, aut ad convivium septem discipulorum in littore lacus Tyberiadis. Haec nota aliaque indicia non pauca excludunt, quominus de simplici agape funeraria agatur. Alibi in hoc opere haec specialiter tractandi locus erit; sed in praesenti dicam illas ad locos evangelicos alludentes quidem congruentias iisdem esse explicandas Patrum commentariis, quibus ipsi loci aetate picturarum aut ea paullo posteriori explicati sunt.

Sunt praeterea alia convivia, quae facile agapas aut etiam ordinaria convivia dixeris, nisi indicia inessent altioris conceptionis: videlicet appositus est piscis, convivae clamant: *Irene da calda, Agape misce mi.* Haec autem nomina ancillarum quae mensae potum suppeditant, certe personarum sunt inductiones

(1) *Dei conviti effigiati a simboli nei monumenti cristiani*, Milano, 1844 (estratto dall'*Amico cattolico*, VII, 390; VIII, 174, 262).

(2) Ne quis credat iniuriam auctoribus illis me facere; de H. Leclercq, alioquin eruditissimo auctore, sufficiat notare: ideo, ex eius sententia, circa stibadium esse tantum septem personas, quod Christus in medio sit, et ad latera, spatio deficiente, sex, pro duodecim, apostoli repraesententur (CABROL, loc. cit. coll. 836–837). Atqui hoc erratum est, et insuper ubi nominatim apostoli repraesentantur, scilicet in picturis saeculi quarti, quater in coemeterio Domitillae, bis in coem. Marci et Marcelliani, semper sunt duodecim; et semel tantum in coem. S. Pontiani octo apparent revera propter spatii defectum. Auctor autem lectorem remittit ad articulum *Agneau* nuncupatum eiusdem lexici, quasi vero rarissima monumenta saeculi quinti vel sexti, quae sex agnos pro duodecim symbolis apostolorum exhibent revera ratione spatii, septenarium convivarum numerum explicent in picturis secundi et tertii saeculi, in quibus spatium abundat.

dona illa significantium quibus ad caelestem mensam discumbentes laetantur sine fine. De hoc etiam suo loco copiosius erit loquendum; hic satis sit notare, tam ista, quam prius commemorata convivia omnino differre a quattuor aliis convivalibus picturis, ubi, licet appositus sit piscis, non tamen desunt alii cibi; neque numerus convivarum neque cetera adiuncta permittunt ut ista cum illis prioribus conviviis confundantur. Haec, cum ad rem praesentem faciant, aliquantum evolvenda sunt.

Convivia funeraria non erant indigna, quae in sepulcris repraesentarentur, propter eorum praecipuum finem, quod enim erat honorare martyres, defunctis suffragari, subvenire indigentibus omnimodis.[1] Ipsi enim Patres qui, aut agapas eiusmodi detrectarunt aut iis abolendis animum adiunxere propter earum abusus, summis tamen earum institutum laudibus extulerunt. Ut Tertullianum omittam, qui malo et haeretico animo aspernatus est quod prius laudaverat;[2] citabo aliquos nominatissimos Patres, qui eumdem morem maxime commendarunt.

S. Gregorius Nazianzenus loquens de coitione Christianorum ad convivium instituendum haec habet: *Si ad hunc modum coimus, aut confluimus, haud dubium, festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus.*[3]

Et Theodoretus: *At illos* (idest gentiles) *Deus cassos gloria, vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro Pandiis, et Diasiis, ac Dionysiis (hoc est Iovis, Liberique patris*

(1) Vide supra textum Tertulliani citatum (*Apolog.* 39).

(2) Non sunt tamen praetermittenda haec verba Tertulliani, quae agapae quomodo fierent describunt: «Non prius discumbitur quam oratio ad Deum praegustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur; ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medio Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Aeque oratio convivium dirimit. Inde discedit non in catervas coesionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiae, et pudicitiae; ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam. Haec coitio Christianorum».

(3) *Orat. ad Greg. Nyss.*

solemnitatibus), Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur; proque illa veteri pompa, pro turpi obscenitate, atque impudentia, fiunt modestae, castae et temperantia plenae, non cachinnis solutae, sed vivis canticis personantes, etc.(1)

Et Origenes: *Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus convocantes; fideles una cum clero invitantes; ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus quarum memoriam celebramus; nobis autem efficiatur in odore suavitatis in conspectu Dei.*(2)

Notandum praeterea est, in libello orationum et precum, collectas inveniri praesidi conventus recitandas in agape; qui praeses, iuxta Hippolyti citatos canones, episcopus aut praesbyter esse debebat, vel etiam diaconus; quod si, deficientibus illis, laicus senior praesederat, frangere quidem panem, sed minime illum benedicere poterat.(3)

Ex quibus eruitur minime repugnare quod in parietibus sepulcrorum etiam aliquando agape fuerit depicta, cum haec ex sua institutione et defunctorum suffragium, et martyrum honorem, et egenorum solacium veluti finem haberet, ac fraterni inter fideles vinculi quasi effigies ac signum foret. Idque, denique, in more apud Patriarchas fuit, et in capite IV libri Tobiae, hic, in extremo vitae, filium ita legitur alloquens: *Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus* (v. 18).

Ceterum non desunt picturae et inscriptiones quae defunctos exhibeant in arte, quam in vita coluerint, se exercentes. Quae quidem vitae ordinariae repraesentationes multo minus

(1) *Evang. verit.* lib. 8.

(2) ORIG. *In Iob.* lib. 3.

(3) Can. 178, 179, 180, 181. Ritus agapes quamdam affinitatem habebat cum ritu eucharistico, et in *Libello orationum et precum*, a Tommasi evulgato, partes quae ad ritum illum pertinent ita sunt dispositae: *Oratio ad agapen pauperum, – Item pro iis qui agapen faciunt. Praefatio, – Item alia, – Oratio, – Secreta, – Infra actionem, – Post communio* (TOMMASI, *Opera*, edit. Vezzosi, t. II, p. 552).

quam agapes descriptio convenirent, quippe quae nullum suffragandi, sublevandi honorandique cogitationem includant.

Tab. 112. Convivium funebre. « Pictura saec. IV in hypogeo Syncretistarum, sinistra viae Appiae antiquae ».

Sunt postremo convivia depicta quae nullam proprie differentiam a conviviis ethnicis funebribus prodeant: eccur de-

Tab. 113. Convivium caeleste. « Pictura saec. IV in hypogeo Syncretistarum, sinistra viae Appiae antiquae ».

bemus eis tales significationes adscribere, quibus nihil in re obiective respondeat?

In tabula 111 habes repraesentationem ethnici funerarii convivii, et aliam in tabula 112, quam, depictm in hypogeo Syncretistarum, via Appia videre adhuc licet. Nihil prorsus ad coeleste convivium, immo ipso in loco vera caelestis coenae est repraesentatio, ut ab ethnicis illis concipi poteret, sed quam a convivio Tabulae 112 diversa! (Tab. 113).



Tab. 114. Repraesentatio omnium antiquissima convivii funebris in Christianis monumentis. « Pictura coemeterii Flaviae Domitillae, saec. I ».

Haec postremo veluti consequentia est cuiusdam ipsius loci picturae, quae iudicium defuncti nobis refert: scilicet post iudicium, defuncta ad convivium caeleste admittitur, quam sane cogitationem ethnici illi a Christiano dogmate derivarunt.

Libertas autem illa, qua artifices gaudebant, non potuit officere quominus actus religiosus erga defunctos ibi pingeretur, ubi non raro, praesertim primis temporibus, decorationes mere paganae aut saltem prorsus indifferentes elaboratae sunt.

Sunt quidem qui distinguunt inter agapen et convivium funerarium; sed neque hoc ullam facessit difficultatem, immo con-

vivium funebre, cum relationem haberet ad defunctum, inter non paucas pietati fovendae idoneas repraesentationes, quas prae se ferunt Christiana sepulcra, locum obtinebat.

Iam ecce omnium antiquissima convivii imago in catacumbis inventa (Tab. 114).

Facile intuenti apparet, neque de eucharistico, neque de caelesti convivio hic agi: Non de primo quidem, quia in eucharisticis conviviis septem semper apparent convivae, in uno excepto ubi sex personae cernuntur, quia etiam desunt canistra panibus repleta ad multiplicationes panum alludentia: non de secundo autem, quia, cum sit pictura secundae saeculi primi partis, in ea supponendus esset quidam in symbolorum indolis progressus qui nequit in casu admitti.

Tab. 115. Convivium funerarium in coemeterio Ss. Petri et Marcellini dipictum secundum Iosephi Wilpert restitutionem. (Wilpert, *Le pitture delle catacombe romane*, Textus, tab. 49, p. 466).

Pictura vero hoc habet proprium, quod convivae non discumbant sed sedeant. Cibus non amplius apparet, sed etiam si ab elapsae aetatis archaeologis relatae imagines quae piscem et tres panes exhibent in tripode, fideles habendae essent, id parum referret ad eorum sententiam, qui eucharisticum putarunt convivium illud. Etenim etiam in ethnicis conviviis piscis appositus aliquando conspicitur, utpote divitum cibus.

Alia eiusmodi repraesentatio cernitur in cubiculo VI coemeterii Petri et Marcellini, quae parum a priore differt. Hic nihil prorsus est in tripode, sed vir accipit cuppam de manu pueri et ex parte dextera ancilla stat dominae inserviens (Tab. 115, 11). Cum etiam panis in convivio desit, eo minus poterit quis ideam eucharistiae huic picturae aptare. Quod si, ut demonstrat Wilpert, figura praecedens ei refertur, tunc nihil aliud absolute convenire poterit, nisi ut dicatur esse convivium funebre, ad quod celebrandum mulier aliquid emit, fortasse flores.[1] Hoc innuit collatio cum aliis eiusmodi figuris, sed praesertim similitudo inter binas muliebres imagines, quae easdem personas repraesentare videntur.

Postremo moris erat ut sepulcra floribus ornarentur, idque potissimum convivii occasione; sed de hoc redibit mox sermo.

Tertia, chronologice, pictura convivii funebris in eodem Petri et Marcellini coemeterio invenitur, eiusdem auctoris atque prior, sed ab illa differens propter numerum convivarum qui sunt sex et sexus diversi. Nullus cernitur cibus, forsitan quia vetustate parietis evanuit, sed qui dextrum cornu tenet vir accipit cuppam quam ei puer porrigit. Huius picturae vero imagines, Wilpertina excepta, infidelissimae sunt ac prorsus decipiunt;[2] nullius igitur sunt utilitatis.

(1) *Le pitture delle catacombe*, textus, pp. 166–169.

(2) En quid habet Wilpert (op. cit.) circa picturae nostrae exemplatas imagines: «L'Avanzini fece una copia, la quale prova ch'egli comprese tutto al rovescio la composizione. Presso di lui (Avanzini) trovansi nello sfondo quattro orci informi; il cuscino è convertito in una tavola a semicerchio con drappi che scendono in basso. A questa tavola, contro ogni convenienza, siede uno dei convitati; due altri ospiti si leccano le dita e il penultimo

Ultima eiusmodi figura item in eodem coemeterio conspicitur (cubiculo X) estque primae saeculi IV partis (Tab. 116).

Ut ex citatis Patrum textibus patet, convivium funebre vel agape pauperibus praesertim proderat, et memorabilia sunt quae de matre sua habet S. Augustinus: « Itaque cum ad memorias sanctorum (idest ad sepulcra martyrum), sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum adtulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque oboedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quam facile accusatrix potius consuetudinis suae quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit ..... Abstinuit se libentissime et, pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat, ut et quod posset daret et sic communicatio dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati et coronati sunt martyres ..... Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis praegustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat, et si multae essent quae illo modo videbantur honorandae memoriae defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat; quo iam non solum aquatissimo, sed etiam tepidissimo, cum suis praesentibus per sorbitiones exiguas,

beve in una maniera possibile con un corno (*rhyton*), ma non con un bicchiere. Questa copia alterata fu pure pubblicata nei piccoli manuali di archeologia cristiana, ed interpretata comunemente, a causa dei pretesi orci, per le *Nozze di Cana* (pp. 472–473) ». Picturam autem ita describit: « I sei ospiti, secondo ogni apparenza, uomini e donne alternati, giacciono sul sigma (idest super triclinium, quod sigmatis instar dispositum erat), appoggiandosi col braccio sinistro al cuscino. L'uomo sdraiato al posto d'onore (idest in cornu dextro) prende con la destra il bicchiere presentatogli da un inserviente. Quest'ultimo è distrutto ad eccezione del braccio col bicchiere ... Il terzo convitato beve e il quinto solleva il bicchiere quasi volesse augurare a qualcuno πίε ζήσῃς. Delle donne, le due prime stendono le destre alle vivande preparate su tre tavole rotonde, che però oggi sono molto sbiadite: la terza, come Giona in riposo, sostiene con la destra il capo. Le tavole si riconoscono tuttora chiaramente; come dicemmo, dall'Avanzini furono trasformate in brocche, anzi una fu decorata con foglie d'acanto (p. 473) ».

Tab. 116. Agape funebris. « Pictura primae saec. IV partis, in coem. Ss. Petri et Marcellini ». (Ex WILPERT, *Le pitture delle cat. rom.* tab. 167).

partiretur, quia pietatem ibi quaerebat non voluptatem».[1] Iam vero, notat Wilpert, imaginem in pariete anteriore depictam super arcosolii arcu apud cubiculum X praedicti coemeterii, monumentalem exhibere probationem huius in conviviis funerariis commendabilis moris ab Augustino memorati.

Tab. 117. Reproductio picturae tabula 116 repraesentatae tempore Bosii facta. (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* textus, tab. 51, pag. 474).

Incredibile est autem quam falso fuerit ante Wilpert haec pictura relata et ideo quam a veritate archaeologi aberraverint in illa interpretanda. Unum tamen fideliter adumbratione repetitum est, nempe actus unius convivarum qui pauperi aliquid largitur de mensa. Tabula 117 est reproductio Avanzini, Bosii pictoris.

Ut lector sibi persuadeat[2] in his picturis convivium neque

(1) S. August. *Confess.* 6, 2.

(2) Praestat, praesertim quia tabula sine coloribus paulo obscurior apparet, citare verba clarissimi Wilpert picturam describentem: « L'affresco rappresenta un convito tenuto da due uomini e una donna. I commensali non sono già sdraiati, come altrove, sul sigma, ma siedono dietro una tavola quadrangolare, la cui mensa è decorata di intarsi ed è posta su due cavalletti ... L'ospite seduto all'angolo sinistro tiene nella destra un bicchiere e l'offre a un uomo vestito con discinta e scarpe, e che stende la destra al bicchiere appoggiandosi colla sinistra a un bastone. Il bastone induce a credere che l'artista in questo uomo volle raffigurare un povero che chiede l'elemosina ed è rifocillato dai commensali con del vino. Così risulta anche chiaro che la scena rappresenta un convito funebre, giacchè un povero è inconciliabile col banchetto paradisiaco. La figura di mezzo,

caeleste neque eucharisticum adesse, ecce in tabulis 118 et 119 specimina eucharistici et caelestis convivii.

In priore piscis, uti iam notavi, numquam deest neque canistra ad



Tab. 118. Convivium eucharisticum. « Coem. S. Callisti, cub. sacramentorum A^6 » (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* tavole, tab. 15).

una donna, giustamente disegnata dall'Avanzini, solleva la destra col gesto di comando e tiene la sinistra appoggiata avanti a sè sulla tavola. Nessun cibo è imbandito: il vaso a larga bocca e senza anse, le scodelle e i pani che vediamo nelle copie, nell'originale invece non sono che la decorazione della mensa. L'uomo barbato dell'angolo destro è di pieno profilo: parla ad un servo che ha discinta (discinta dicitur tunica sine cingulo) e scarpe, e frettoloso porta un recipiente con fuoco. Questo in un convito era assolutamente necessario, sia per preparare e riscaldare le vivande, sia per la bollitura dell'acqua occorrente all'annacquamento del vino » (op. cit. p. 474). Mos erat apud antiquos vino aquam calidam miscere, quae digestioni prodesse putabatur. Cum autem numquam hoc omitteretur, vox *miscere* synonima facta est vocum *convivium facere*, *discumbere* et aliarum eiusmodi.

multiplicationes panum alludentia. Convivae autem sunt septem excepto in pictura quae *Fractio panis* nuncupatur, ubi sex tantum cernuntur discumbentes.

In posteriore vero adsunt aut vocantur ancillae *Agape* et *Irene*, quasi personas exhibentes charitatis et pacis, quae praecipua sunt bona quibus in caelesti convivio gaudent electi.(1)



Tab. 119. Convivium caeleste. (Ex *Bull. d'arch. crist.* an. 1885, tab. IV).

Confundere inter se haec tria conviviorum genera nequimus, etiam post simplicem picturarum considerationem. Quid si huc afferrem testimonia e monumentis et scriptis excerpta, quae ad symbola eucharistica pertinent? Sed nunc non est hic locus; interim tantum animadvertam, has, quas convivium funebre dixi repraesentare, picturas nullo modo, nisi prorsus arbitrario, ad caeleste aut eucharisticum significandum convivium posse referri. In coemeterio Praetextati, in quadam remota regione a paganis Syncretistis effossa, quaedam est imitatio sym-

(1) Fuerunt qui dixerint Agapen et Irenen revera ancillarum nomina esse quae convivis famularentur. Verum haec nomina occurrunt pluribus in locis, et ubi ancillae in convivio non apparent (cf. I. B. De Rossi, *Bull. di arch. crist.* 1882, p. 126); quin nomina ista adhibita sunt in acclamationibus aeternae felicitatis, ut patet ex his inscriptionibus: *Iuste nomen tuum in agape* (in museo Lateranensi, cl. XVII, n. 4); *Corpus sanctis commendavi: irene tibi cum sanctis. Quinta vale in pace* (Mommsen, *Corp. Inscrip. Lat.* X, n. 4529).

bolorum Christianorum; videlicet sunt duo in eodem loco convivia, quorum unum evidentissime est agape, alterum convivium caeleste. Cum nullo possint modo in dubium haec picturae revocari circa specialem earum significationem, sequitur et in conviviis Christianis depictis eamdem distinctionem necessario esse faciendam, cum illi ethnici imitati sint Christianos sicut in modo sepeliendi, ita quoque in modo sepulcra decorandi propriamque fidem in novissima exprimendi (Tabb. 112-113).

Tab. 120. (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* textus, pag. 437, tab. 42).

Eutropius sanctus Dei servus in pace, filius fecit.

Quod in Tabula 112 non agatur de convivio caelesti, hoc clare praeter nomina et modum repraesentationis declarat tertia pictura (Tab. 113), ubi e contrario certissime convivium caeleste habetur. Scilicet in ista, post iudicium (vide Tab. 100), Vibia introducitur ad convivium paradisiacum; in illa autem initiati quidam ad mysteria dei Sabbatii epulantur, quod etsi funebre convivium non satis appareat, neque tamen ullam congruentiam cum gloria caelesti habere videtur, et alioquin fingere non debemus nobis quod in re non sit.[1] Atque id etiam

(1) De his Syncretistarum picturis en quod I. B. De Rossi scripsit: « Nei dipinti degli ipogei etruschi le scene di convito sono state con certezza riconosciute alludere ai defunti negli inferi ed alla loro felicità. Ma troppo lontane esse sono dai tempi e dai concetti degli artisti cristiani. Contemporanei a questi sono i dipinti di Vincenzo e di Vibia iniziati ai misteri Sabazii ove *due banchetti sono espressamente distinti e dichiarati da*

pro inscriptionibus valere debet; immo in his evidentior patet distinctionis necessitas. Namque si in epitaphio est defuncti figura bibens, procul dubio agitur de defuncto qui in locum refrigerii pervenit (Tabb. 120, 121); si autem est superstes qui bibens repraesentatur, tunc allusio ad funerariam agapen magis non posset esse perspicua, ut in tabula 122 liquido patet.

Sed de hoc satis multa. Ad abolitionem huius agapes ritus tandem veniamus, quae neque statim ubique, neque eodem

Tab. 121.

modo evenit. In textu S. Augustini relato, vidimus S. Monicam cibaria et vinum ad martyrum sepulcra tulisse ut praesentibus pauperibus distribueret, ipsa paullulo vini aquae mixti contenta. Sicuti S. Monica quidam Cristor egit, atque in tabula quaedam sepulcrali coemeterii S. Domitillae (Tab. 122), dum filia eius Criste defuncta apparet orans, ipse altera manu bibens, altera autem urceum tenens repraesentatur.

epigrafi scritte sopra le figure: il funebre dei superstiti, PII, *e quello dei defonti,* IUDICATI, *introdotti dall'*ANGELUS BONUS *nella vita beata dopo il giudizio* » (*Bull. di arch. crist.* an. 1882, p. 123). Cf. HOLLOENDER, *De anaglyphis sepulcralibus graecis, quae coenam repraesentare dicuntur*, Berolini, an. 1865.



Tab. 122. (Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* textus, tab. 50, p. 470).

Cristor filiae suae Criste receptae in pace fecit quae vixit annos quattuor.

Ita etiam defunctos suos bibendo honorarunt quidam Florentinus, Fortunatus et Felix, ut ex hac inscriptione patet:

... IIDVS · FEBR · | ... CONSS GRATIANI III ET EQVITI | ... FLORENTINVS FORTVNATVS ET | FELIX AD CALICEM BENIMVS (*sic*) (1)

Sic denique alii innumeri. Ut vero a Gregorio Nisseno conscripta eius vita testatur, S. Gregorius Thaumaturgus, cum in propria dioecesi vulgus vidisset voluptatibus rapi ad cultum idololatricum, ab hoc tantummodo plebem distrahere valuit agapas instituendo, in quibus cum laetitia omnimoda martyres honorarentur. Iam vero talem morem facile in abusus dilabi posse non est cur demostretur; et alioquin historice constat ita revera evenisse.

Disputatum est utrum agapae et convivia funeraria locum in subterraneis habuerint, an in exedris sub dio et trichilis tantum. Sane si aliquando in cryptis convivia celebrata sunt, parum esse laeta debuere. At cum martyria sive ecclesiae extrui coeptae essent super martyrum sepulcra, tunc istae

(1) De Rossi, *Bull. di arch. crist.* an. 1888, tabb. VI, VIII; 1890, pp. 72–80. Cf. Marucchi, *N. Bull. di arch. crist.* an. 1901, pp. 100 sqq.

electae sunt ad convivia paranda; ut iam circa mediam saeculi quarti aetatem Concilium Laodicense illum contra morem canone 28 praecipiebat: « Quod non oportet in locis dominicis, vel in ecclesiis, eas quae dicuntur agapas facere, et in domo Dei comedere et accubitus sternere ».[1] Qui abusus neque in Phrygia tantum invaluerat, neque saeculi quarti est; nam tertium Concilium Carthaginiense canone 30 vetat ne quis, sive episcopus, sive clericus, convivia statuat in ecclesiis, nisi ad peregrinos recipiendos;[2] et secundum concilium Aurelianense (an. 541), canone 12, cautum habet « ne quis in ecclesia votum suum cantando, bibendo vel lasciviendo exsolvat; quia Deus talibus votis irritatur potius quam placetur ».[3]

Quod si Patres interrogemus, idem fas erit concludere, scilicet agapas in abusum esse dilapsas et quidem non solum in Africa, ubi texte Augustino iam vidimus quam inordinate epulae celebrarentur, sed et in Italia et in Galliis et ubique.[4] De viduis Christianis Romae haec Hieronymus profert in sua XXII epistola: *Cum ad agapen vocaverint, praeco conducitur.*

Ipse Augustinus de Vaticana hasilica scribebat: *De basilica beati Petri apostoli quotidianae vinolentiae proferuntur exempla.*[5]

Sed die *carae cognationis* (22 Februarii), idest die *parentalium* maximae solemnitatis, aegre potuit populus Christianus ab epulis celebrandis prohiberi, quae iuxta ethnicam traditionem praescribebantur. Cum autem eodem illo die festum *S. Petri de Cathedra* occurreret, ita vocatus est *dies S. Petri epularum.* Ad has idololatrici ritus relliquias sustulendas ani-

(1) MANSI, *Conc. ampl. coll.* t. II, col. 570: ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριανοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν καὶ ἐν τῷ οἴχῳ Θεοῦ ἐρθίειν καὶ ἀκκούβιτα στρωννύειν.

(2) MANSI, loc. cit. t. III, col. 885.

(3) MANSI, loc. cit. t. VIII, col. 837.

(4) Cf. S. ZENO, *Tract.* XV, 1; S. AMBROSII *De Elia et ieiunio*, c. 7; S. PAULINI NOLANI *Natal.* IX, vv. 558 sqq.; S. GREGORIUS NAZIANZ. *Carmina*, lib. II, sect. II, n. 29, ap. *P. G.* t. XXXVIII, col. 99; THEODORETUS, *Hist. Eccl.* lib. III, c. XXII, ap. *P. G.* t. LXXXII, col. 1120.

(5) *Epist.* XXIX *ad Ulpium*, § 10.

mum adiunxerunt Patres; at in Galliis usque ad sextum ad finem vergens saeculum perduravit, illumque in concilio Turonensi damnari necesse fuit. (1)

ART. II. — **De usu lampadarum et luminum.**

Ad sepulcrum divitum etnicorum saepe lampas vel lucerna ardebat, idque aliquando speciem legati legisque testamentariae induebat. Sic parentes cuiusdam puellae defunctae rogant collegii sodales, *ut huius* (puellae) *manibus lucerna quotidiana ex oratione publica..... poni placeat;* et in metrico elegantissimo epitaphio, saeculo ultimo invento apud viam Latinam, ita carmen concluditur:

Et semper vigilet lucerna nardo.

Exemplum, veluti istiusmodi testamemtariam voluntatem exhibens, refert Aringhi in primo *Romae Subterraneae* libro: (2) *Severus meus et Eutychia et Irene, ancillae meae, omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento alternis mensibus lucernam*

(1) DE ROSSI, *Roma sott.* t. III, p. 504: « Anche delle *Rosalia* nel mese di maggio rimase a lungo qualche vestigio nell'impero orientale. Nel glossario di Cirillo si legge: ῥοδισμός, *rosalia*; ma nella grecità bizantina fino al secolo XIII si mantenne il vocabolo latino e si diceva ῥουσάλια. Lo insegna Teodoro Balsamone negli scolii al canone XLII del concilio costantinopolitano *in Trullo*; e testifica che tra le *prave consuetudini ibride*, miste cioè di residui del gentilesimo, ai suoi dì (nel secolo XIII) in Oriente non ancora al tutto diradicate, v'erano τὰ λεγόμενα ῥουσάλια, le così dette *rosalia*, celebrate dopo Pasqua fuori della città. Il Mazzocchi assai prima delle scoperte epigrafiche che molta luce han dato sulle antiche *rosalia*, dottamente trattò *de rhodismo seu rosalibus* nell'antichità pagana e nella cristiana (*Kal. eccl. Neap.* pp. 51-52). Ed insegnò che il ῥοδισμός in alcune feste dei santi null'altro era, che la sparsione di rose e l'*inghirlandata* di rose e corone; col quale vocabolo, *inghirlandata*, sogliono i Napoletani designare la festa della traslazione di S. Gennaro. Tutto ciò ha confermato l'Avellino, dichiarando il *feriale* pagano dell'anno 587, scoperto nell'anfiteatro di Capua, nel quale è segnato: III IDVS MAI ROSARIA AMPLE AFRE (*Opuscoli*, t. III, pp. 265 sqq.). Il Morcelli però dimostra, che nella festa al sepolcro di S. Giovanni l'Evangelista in Efeso agli 8 di maggio il ῥοδισμός equivaleva alla *manna*, unguento rosato, che da quel sepolcro si raccoglieva » (*Roma sott.* loc. cit.).

(2) C. XVIII, p. 87, 2.

accendant, et solemnia mortis peragant. Nec dicit ubinam inscriptio inventa fuerit.

Ad Christianos quod pertinet, nihil eis communius fuit quam lampades ac balsama sepulcris apponere. Non potes vel vestigium facere in catacumbis cuiuscumque orbis regionis, quin istud animadvertere queas. Ubi erant lampades, adhuc ibi nigredo fumi cernitur, multaeque ampullae et vasa tam vitrea quam fictilia, quae olim sanguine repleta martyrum putabantur, maxima ex parte pretiosa olea et aromata continebant: « In Christianis subterraneis sepulcris », ait I. B. De Rossi, « lucernae, cerei, oleaque aromatica profuse adhibebantur ».[1]

Ista vero aromatica olea abundantius ad martyrum sepulcra urebantur, idque maxime post pacem Ecclesiae donatam, quando scilicet sanctuaria coemeterialia peregrinantium *ad limina* veluti metae facta sunt. Sed de hoc postea loquendum.

En iam plura lampadarum in catacumbis inventarum specimina, chronologice disposita:

LAMPADES PRAECONSTANTINIANAE ETHNICAE.



Tab. 123.

Tab. 124.

(1) Usus balsamorum huc praeterea spectabat, ut putor emanans e sepulcris licet clausis restingueretur. De ampullis ut indicium martirii habitis infra tractabitur.

Tab. 125.

Tab. 126.

Lampas Tabulae 123 depicta est flavo colore; secunda item depicta colore rubro quem Pompeianum vocant; refert autem impressam figuram alati quadrupedis currentis; in tertia apparet simulacrum solis, in quarta aquila.

LAMPADES PRAECONSTANTINIANAE CHRISTIANAE.



Tab. 127.



Tab. 128.

Prima est pisciformis; secunda habet symbola eucharistica, scilicet in superiori parte vitis pampinos cum uva, in parte inferiori tres frumenti spicas.

Inter praeconstantinianas numeranda est lampas tabulae 15 Carthagine inventa.

LAMPADES CONSTANTINIANAE.

Tab. 129.



Tab. 130.

Tab. 131.

Tab. 132.

In prima (Tab. 129) *Bonus Pastor* repraesentatus videtur; in secunda est gallus; in tertia et in quarta est Christi monogramma litteris X P constitutum. Verumtamen in quarta monogramma dicam tres litteras continere: nempe X cum corona in medio, in parte superiori P, in inferiori I eodem modo atque X delineatum. Fortasse legendum *Iesus Xristus*, quae mea est tantum coniectura.

LAMPADES POSTCONSTANTINIANAE.

Tab. 133.

Tab. 134.



Tab. 135.

In prima (Tab. 133) est monogramma cum cruce immissa; in secunda homo saltans inesse videtur qui sibi in capite coronam aptat aut tenet manibus;[1] in tertia palmae et corona cernuntur.

Usus lampadum eiusmodi non fuit tantum funerarius, sed etiam domesticus, dicam et religiosus, qui quidem ultimus usus illustratione indiget.

(1) Clarissimus magister meus Ioseph. Wilpert affirmat ibi Venerem nudam repraesentari sibi caput exornantem.

Lucis Christi cogitatio, seu ut ita dicam, concepta notio e S. Scriptura orta est, et exinde profluit in liturgiam. Antequam vero ritus ecclesiasticos ingrederetur, ut in antiquissimis liturgiis invenitur, videtur ritibus funerariis inhaesisse; quod quidem patet ex non paucis epitaphiis saeculum secundum et sequentia saecula pertingentibus. In epitaphio Pectorii, Augustoduni (Autun) invento, Christus ΦωC TO ΘANONTωN appellatur, et fragmentum quoddam sepulcralis tabulae, Romae, in coemeterio Callisti repertum, hanc hucusque unicam in arte Christiana compositionem prae se fert:



Tab. 136.

Est scilicet columba faculam dextro tenens pede, cum flamma ad Christi monogramma versa.

Sed in Oriente eiusmodi idea prorsus familiaris est, non raro siglis tantum expressa: ✳ Φ (vide p. 307, 4); immo in quadam lampade Graeco–Iudaica haec legitur formula:

Φῶς X(ριστο)ῦ φένι (= φαίνει) πᾶσιν καλ(ῇ). (1)
Lux Christi lucet omnibus pulchra (Tab. 137).

Eadem videlicet sunt verba, si ultimum excipias, quibus liturgia S. Basilii incipit. Haec autem liturgia Jerosolymae praesertim in usu erat apud Graecos in ritibus Sabbati sancti, quod nimirum ignis sacri, vel proprie magis dies dicebatur luminis sacri – τὸ ἅγιον φῶς. Et cum non sit hoc unicum huius generis cimelium, pronum est concludere cum egregio Cler-

(1) Notandum hanc vocem καλή non afficere nomen φῶς, neque ad praecedentia verba referri; sed praesupponere nomen lampadis vel lychnarii, ut ex alia eiusmodi testa apparet, in qua legitur: λυχνάρια καλά, *lampades pulchrae.*

Id procul dubio conferendum est cum illo dicto in lampadibus Africanis inscripto: «Emite lucernas colatas ab *asse*». Est scilicet quod hodie gallice vocamus: *réclame*. Cf. *Revue biblique*, an. 1898, pp. 485–489.



Tab. 137.

mont-Ganneau lampades illas pro candelis et taedis aliisve faculis in praefatis caeremoniis adhibitas fuisse.[1]

Usus apponendi lampades ad sepulcra non solum perseveravit, sed ita congruus visus est, ut hodie etiam apud nonnullos populos vigeat, neque unquam obsoleturus videatur. En exem-

(1) « Je me demande, en conséquence, si les *lychnaria* portant cette formule n'étaient pas destinés à jouer un rôle dans cette cérémonie, où, aujourd'hui encore, les fidèles recueillent avidement le feu censément descendu du ciel. On se sert de cierges à présent; on pouvait fort bien se servir de lampes autrefois, surtout les petites gens; la cire devait coûter assez cher, tandis qu'on pouvait se procurer un lychnarion en terre cuite pour quelques sous; c'était le cierge du pauvre. Les *lychnaria* consacrés par cette illumination miraculeuse devaient être conservés précieusement par les fidèles comme le sont encore nos cierges bénits, et l'on s'explique qu'à ce titre, ils aient pu être souvent déposés dans les tombeaux, où beaucoup d'entre eux ont été trouvés » (*Revue bibl.* loc. cit.).

pla lampadarum et multo Constantiniano aevo posteriora, et in dissitis inter se regionibus inventa: (1)



Tab. 138. Lampas aegyptia.

In Palestina videtur extitisse officina, in qua genus Byzantium in lampadibus effingendis etiam sacrorum bellorum, seu, ut vulgo dicitur, Cruciatarum tempore servaretur, ut apparet

(1) Nihil melius, ut puto, quales quantaeque sint archaeologorum controversiae et disputationes ostendere potest quam quae, de interpretandis huius testulae figura et verbis, dicta sunt, in coetu Christianae cultorum archaeologiae, mense ianuario anni 1878, Romae, in Vicarii Cardinalis palatio, habito. Ipsa verba, ut relata sunt in *Bullettino di archeologia cristiana*, huc referre est, ut arbitror, operae pretium: « M. Schultze présente une lampe d'argile et chrétienne trouvée à Alexandrie d'Egypte, appartenant aujourd'hui à M. Helbig, et où l'on a cru voir une peau de bélier; tout à l'entour sont disposés des croix et des lettres:

ΣΤΑΥΡΟC ΤΩΧΗΜΑ

σταυρὸς τὸ ὄχημα. Il dit que le bélier était regardé chez les anciens comme un symbole de protection contre les esprits mauvais, et que cette superstition pouvait s'être conservée dans le peuple chrétien, particulièrement à Alexandrie, où se confondaient tant de nations et de religions diverses. Il croit en conséquence pouvoir interpréter l'inscription comme ceci: *la croix est le soutien*, c'est-à-dire une défense efficace contre les puissances mal-

ex lampade tabulis 139, 140, 141 repraesentata, in Arabia inventa, aliisque similibus testis eiusdem regionis.

faisantes, et il conclut que la lampe appartient probablement à la seconde moitié du cinquième siècle.

« Le comm. de Rossi fait observer que, selon sa signification naturelle et ordinaire, le vocable ὄχημα veut dire véhicule et même navire: or, comme la forme de la lampe se rapproche de celle d'une nacelle, il propose comme plus probable l'interprétation suivante: *la croix est le véhicule* (au port du salut). Mais un doute est soulevé parmis les assistants sur le sujet représenté; au lieu d'une peau de bélier, quelques uns y verraient plutôt une grenouille.

« M. le chan. Fabiani explique les significations de la grenouille dans les hiéroglyphes et le symbolisme égyptien: elle est surtout, dit-il, allusive à la résurrection, comme l'atteste Cheremont. Les fidèles de l'Egypte purent donc adopter la figure, comme symbole d'un des dogmes fondamentaux de la foi chrétienne. (M. Fabiani a publié depuis un article sur cette signification de la grenouille dans les hiéroglyphes de l'Egypte, dans la revue: *Gli studi in Italia*, mai-juin 1878, p. 333 et suiv. Voyez aussi la note de M. Maspero dans la *Revue critique*, 1870, n. 10, p. 199) ».

Ad quod I. B. De Rossi apponebat notam hanc: « La lampe produite par M. Schultze est surtout remarquable par l'inscription rapportée ci-dessus, plutôt que par la représentation dont elle est ornée. D'autres lampes, d'un type semblable, et où la figure de la grenouille n'est pas douteuse, sont venues de l'Egypte en Europe. J'en connais un exemplaire au musée de Turin avec cette inscription ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΑΝΑCΤΑCIC, qui semble dénoter évidemment un symbole de résurrection. L'abbé Greppo en possédait une qui a été publiée par M. Chabouillet, *Catalogue général des camées de la bibl. imp.* p. 607, qui y voit lui aussi le même symbole. M. Le Blant en connait beaucoup d'autres, il en a parlé naguère au sein de l'Institut de France, et il les attribue aux hérétiques Brachites. Cependant il n'en connait aucune avec l'épigraphe CΤΑΥΡΟC ΤΩΧΗΜΑ (v. *Revue arch.* mars 1879, p. 187; *Revue critique*, 1879, n. 9). D'après la variante de l'épigraphe produite par M. Schultze, et après l'avoir confrontée avec d'autres inscriptions nombreuses et fort diverses de lampes alexandrines, j'ai conçu la pensée que la formule ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΑΝΑCΤΑCIC (*ego sum resurrectio*) n'a pas une connexion directe avec la grenouille. Je ne nie pas que la grenouille ne soit, en Egypte et sur les objets chrétiens de cette nature, un symbole de résurrection. Mais les épigraphes citées plus haut pourraient aussi, comme beaucoup d'autres, se rapporter aux sanctuaires et lieux de pélérinage; d'où les dévots rapportaient dans ces lampes de l'huile bénite ».

Inscriptionem sic legit Clermont-Ganneau: *hoc fabricavit Djeîroûn* (?) *Filius Yousef* (?), *Gerasae anno 129* (vel 127).[1]

Aliae lampades similes crucem prae se ferunt; haec vero astrum portat, quod apud Arabes *sigillum Salomonis* dicebatur



Tabb. 139-140-141. Lampas arabica. (Ex *Revue biblique*, an. 1898, p. 485).

et cui maxima contra quaelibet pericula virtus tribuebatur; sed ablatis lineolis astrum in crucem fere mutatum est.

Atque haec de lychnariis et lucernis sufficiat; infra denuo de iis tractabitur, quatenus colendis martyribus et locis sanctis referuntur; alio autem operis huius loco, erit denuo de iis tractandum veluti de supellectile liturgica.

(1) Intelligi debet anno 129 Hegirae, ut vocant (cf. *Revue biblique*, an. 1898, p. 486), idest anno 744-745 aevi nostri.

ART. III. — **De usu florum.**

Alius communis inter ethnicos et Christianos funerarius mos fuit scilicet floribus ornare sepulcra. « Christiani, ait Martigny,(1) usum antiquum ornandi floribus foliisque sepulcra adoptarunt ». Re enim vera nihil in sepulcris Christianis evidentius apparet, ubi tum picta, tum sculpta folia, flores, pampini conspiciuntur. Inter auctores, id Prudentius praesertim testatur:

> Nos tecta fovebimus ossa
> Violis et fronde frequenti
> Tumulunque et frigida saxa
> Liquido spargemus odore.(2)

Et Hieronymus, ad Pammachium scribens: « Quod cum ceteri mariti super tumulos coniugum violas rosas, lilia floresque purpureos spargerent et dolorem pectoris his officiis consolarentur, ipse sanctam favillam (Paullinae scilicet, coniugis suae defunctae) ossaque veneranda eleemosynae balsamis irrigaret, hisque pigmentis atque odoribus foveret cineres quiescentis »;(3) Laudans vero, fortasse praeter modum, Nepotianum: « Hoc idem, inquit, possumus et de isto dicere, qui basilicas ecclesiae, et martyrum conciliabula, diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis obumbrabat.(4)

Ex his et aliis scriptorum textibus, quos facile coacervarem, liquido patet Christianos floribus usos esse in martyrum et fidelium sepulcris decorandis nec non et ecclesiis. Qui mos certo alludit ad cogitationem triumphi; triumphaliter enim putabatur ad sepulcrum corpus martyris deferrendum, sicuti de corpore S. Cypriani in eius Actis legitur: « Inde per noctem sublatum (corpus) cum cereis et scolacibus ad areas Macrobii Candidiani procuratoris, quae sunt in via Mappaliensi iuxta piscinas, cum

(1) *Dictionnaire des antiquités chétiennes*, art. *Fleurs*.

(2) *Cathemerin*, hymn. X, vv. 169-172.

(3) *Epist.* XXVI *ad Pammachium*.

(4) *Epist.* III *ad Heliod.* ap. *Epist. Nepot.* Cf. Notae Baronii ap. *Mart. Rom.* die 23 iunii.

voto et triumpho magno deductum est »,[1] et in commentariis S. I. Chrysostomi: « Dic mihi quid sibi volunt istae fulgentes lampades? Annon defunctos tamquam athletas deducimus? Quid etiam hymni? Annon Deum glorificamus, et gratias agimus quod eum, qui excessit, iam coronaverit? Quod a laboribus liberaverit? Quod abiecto metu eum apud se habeat? Nonne ideo sunt hymni? Nonne ideo psalmodiae? Haec omnia sunt laetantium ».

Quod autem de sepulcris, de corporum Martyrum translatione deque ecclesiis, id etiam affirmare cogimur de exequiis generatim. Neque in hoc imitationem ullam esse cultus idololatrici dicendam, sed in mentem revocandum est quod iam ante innui: Ecclesiam scilicet, ut larga eius indoles, optima quaeque sibique apta, etiam ex moribus gentilium servasse; itaque, si hodie quidem, cum defunctus defertur in loculum, florum coronarumque profusio signum sit aliquando tenuis aut nullius relligionis, eo quod improbet aut saltem minus probet

(1) Verum apud Romanos quoque flores, aut saltem corona capiti defuncti imposita triumphum et praemium significabat, nam in XII Tabularum legibus sic habetur: « Qui coronam paret ipse pecuniaque eius, virtutis ergo arduitor, ipsique mortuo, parentibusque eius, dum intus positus erit, florisque feretur, sine fraude imposita esto ». Quae verba ita Ioannes Azor exposuit, ut eae coronae ad funera adhiberi permittantur, quas quisque vel per se ipse, vel per servos, equosque suos virtutis ergo in publicis ludis certaminibusque sibi peperisset; ac si lex dicat, tamquam praemium virtutis victoribus proponantur coronae in sepulcris eorum qui easdem consecuti sunt. Verum, ideo praesertim mortui coronabantur, quod pro diis habebantur: « Letho datos, ait Cicero, divos habento (lib. II, *De leg.*) »; et in quibuslibet ethnicorum sepulcris verba *Dis Manibus* legimus. Est venustissimum exemplum Romae in vinea Codini adhuc extans: NE TANGITO | O MORTALIS | REVERERE | MANES DEOS; unde illa verba Tertulliani irridentia: « Quid omnino facitis ad honorandos deos, quod non etiam vestris mortuis conferatis? aedes proinde, aras proinde, idem habitus et insignia in statuis, ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Iovis silicernium? a sympalo obba? ab aruspice pollinctor? nam et aruspex mortuis apparet » (*Apol.* c. XIII). Cf. LACTANTIUS, lib. II, c. IV; S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei*, lib. VIII, c. XXVI.



Tab. 142. Fornix floribus depictis ornatus. « Coem. Maius ».
(Ex Wilpert, *Le pitture delle cat. rom.* tab. 171).

nunc talem usum Ecclesia, hoc solum disciplinae ecclesiasticae mutationi tribuendum est, quae disciplina illis priscis temporibus multis de caussis, quas ignoramus, id tolerabat quod hodie non plane approbat.

Ceterum etiam in usu florum pro funeribus, apud primaevos Christianos, aliquid erat ita proprium, ut veluti signum contradictionis in disputationibns paganos inter et Christianos factum sit.

Vitio enim Christianis vertebatur, quod mortuos suos non coronarent. Tertullianus, exaggerare solitus in omni quod defendendum aut impugnandum susciperet, ne in vita quidem coronari cuiuslibet Christiani caput licitum putabat. Notum est

quomodo hic auctor militem quemdam Legionis Augustae summis extulerit laudibus, qui, aliter atque sui commilitones, se, coronam manu gestantem non autem in capite, praesentavit ad recipiendum donativum.[1] Hoc circa annum 198 evenit, et valde probabile est, talem eventum (a militis commilitonibus ut intempestivum reprehensum), caussam vexationum in Christianos milites Africanae provinciae fuisse.[2] Ab enim anno 199, haec erga Christianos milites huius provinciae tolerandos mitius et indulgentius agendi ratio, quam propter iamdudum tranquilli vivere potuerant, adhiberi desiit; Tertullianus vero hinc occasionem arripuit scribendi ad fideles in carceribus detentos opusculum cui titulus *Exhortatio ad Martyres*, illos Martyres designatos vocans ad similitudinem consulum Romanorum, qui designati dicebantur post electionem antequam munus adirent.[3] Verum, ut Tertulliano satisfieret, coronam aliter portare sufficiebat: miles enim ille, inter commilitones (utique Christianos neque paucos) iuxta Tertullianum ideo solus Christianus apparuit, quod solus libero capite, corona in manu otiosa donativum receptum prodiret. Quin omne flagitium cessabat, si quis ex humero coronam pendentem habebat: « Erubescite, romani commilitones eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithrae milite. Qui cum initiatur in

(1) Usuvenerat in Romano imperio, ut quoties novus quis imperator solium primum ascenderet, scilicet *natalis purpurae* recurreret, militibus largitiones fierent, quod *donativum* appellabatur, capite quidem lauro coronato recipiendum.

(2) Agitata etiam quaestio fuisse videtur inter Christianos milites de corona capite ferenda, ut patet ex Tertulliani verbis: « Exinde sententiae super illo, nescio an Christianorum, non enim aliae ethnicorum, ut de abrupto, et praecipiti, et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit: solus scilicet fortis, inter tot fratres commilitones, solus christianus ... Mussitant denique, tam bonam et longam pacem periclitari ... At nunc quatenus et illud opponunt: Ubi autem prohibemur coronari? hanc magis localem substantiam causae praesentis adgrediar ... » (*De Corona*, I). Cf. ALLARD, *Histoire des persécutions*, vol. II, pp. 30 sqq.

(3) « Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quae vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant ... » (*Ad Martyres*, I).

spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, et in humerum si forte transferre, dicens Mithram esse coronam suam. Atque exinde nunquam coronatur ».[1]

Tab. 143.

Verum, etiam exemplo militis neglecto, hoc pro certo habendum est, coronari viventes generatim pro actu idololatrico

(1) *De Corona*, c. XV, in fine. De hoc Tertulliani opusculo vario modo iudicarunt ac disseruere auctores, verius autem ceteris recentiores. Inutile haud est duo animadvertere, scilicet neque inauditam observantiam voluisse Tertullianum inducere aut imponere, neque haeretico iam aestuantem spiritu locutum Africanum doctorem fuisse. Nondum enim cum Montanistis damnatus fuerat, et quod propugnavit, etsi intempestivum, immo periculosum in illis adiunctis, ac prudenter vitandum, nihilominus fere generatim usu receptum erat, ut liquet ex eis quae in textu sequentur. Illud etiam libri sacri Sapientiae ab hoc more inducendo alienum fortasse non fuit: *Coronemus nos rosis antequam marcescunt* etc.

tunc temporis aliquatenus esse habitum.[1] Dixi autem generatim, proptereaquod, licet legamus in Cypriano: « Diaboli coronam ferre non potuit, coronae se Domini reservavit », haud dubium est, locum exceptionibus datum fuisse, ut ex monumentis eruitur. In vitro ex catacumbis extracto, quod P. Garrucci S. I. evulgavit,[2] saeculo quarto adiudicato (Tab. 143), Christus duos coronans sponsos apparet; cui monumento verba illa consonant S. I. Chrysostomi, morem plene saeculo quarto receptum innuentia: « Ideo coronae capitibus (sponsorum) imponuntur, symbolum victoriae, quod, antea invicti, sic ad thalamum accedant, quia non superati sunt a libidine. Quod si, a libidine captus, meretricibus sese dediderit, cur coronam capite gestat, cum superatus fuerit? »[3]

Iam ad mortuos quod pertinet quaestio brevis est, pene dixerim absoluta; nam mortuos coronare idem apud Romanos erat atque deos illos facere: « Coronae, ait Plinius, deorum honos erant, et larium publicorum, privatorumque, ac sepulcrorum, et manium ».[4] Quod igitur Christiani a mortuis coronandis relligionis caussa se abstinuerint, id evidentissime patet ex illis verbis, quibus Minucius Felix Octavium ethnico Caecilio respondentem inducit: « Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus nos rosam veris et lilium, et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur mollibus ad solutis, et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus ignoscite ».[5] Non

(1) « Ipsae denique fores, ipsae hostiae et arae, ipsi ministri et sacerdotes eorum (scil. ethnicorum) coronantur » (TERTULL. *De corona milit.* c. X).

(2) GARRUCCI, *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri dei Cristiani primitivi di Roma*, tab. XXIX, 1.

(3) *In I ad Tim.* homil. IX, 2.

(4) *Hist. nat.* lib. XXI, c. III.

(5) *Octavius*, ed. Lugd. Batav. 1672, pp. 346–348. Non possum mihi temperare quin verba P. Bonaveniae huc adscribam, quae optima possent huius brevis tractationis esse conclusio. « È molto arbitraria l'opinione di coloro, i quali fra le usanze dei primitivi Cristiani e di quelli del quarto, del quinto secolo e anche più verso noi, stimano vi siano state troppo

immorabor ultra hoc in argumento; legat qui amplius velit scire egregium P. Bonaveniae articulum *De usu florum*, apud *Civiltà cattolica* anni 1899, pag. 475; hoc unum tantum adiungam, scilicet saeculo exeunte quarto iam manifeste usum florum in funeribus piorum vituperationem subire. Ut rem exemplo illustrem, S. Ambrosius, in morte Valentiniani Imperatoris sibi carissimi, ita scripsit: « Non ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam.

forti differenze in punti delicati come questo. Sfidiamo in tanta copia di monumenti per lo meno sino all'ottavo secolo, a trovare una sola pittura, una scoltura, un musaico, un cimelio qualunque cristiano, in cui si vegga la corona dei fiori, o qualunque altra corona propriamente detta posta aderente al capo di alcun santo. Invece di fiori sciolti e liberi, di festoni o encarpi, di vasi a fiori, di serti, di maggiori ghirlande, di corone isolate, o messe in mano ad aurighi, a vittorie, a geni, e sovratutto in mano di santi che le presentano a Cristo o da lui le ricevono, è una dovizia indescrivibile. Possibile dunque che dove si sfoggia tanto in fiori e corone dipinte e scolpite nel misterioso silenzio dei sepolcri, niun uso si dovesse fare dei veri fiori e delle vere corone nelle esequie dei fedeli defunti? Non sappiamo persuadercene. Intendesi bene che le dimostrazioni di onore e di affetto verso i defunti furono sempre *magis vivorum solatia, quam subsidia mortuorum*, al dire di Agostino (ap. MIGNE, vol. XL, col. 591); ma si noti quel *magis*, il quale ci lascia intravedere che la cura del funerale, la condizione della sepoltura, le solennità dell'accompagnamento, i cerei, i fiori, i balsami (ora andati in disuso) furono altresì opera buona e meritoria: altrimenti non direbbe quivi lo stesso Agostino che a Dio *placent etiam talia pietatis officia*: poichè dinotano, che anche i corpi dei morti appartengono alla provvidenza e mirano ad affermare la fede nella risurrezione: *propter fidem resurrectionis adstruendam.*

« Così finisce il nostro breve studio, il quale sembra riuscire nel suo complesso a stabilire, che quei primitivi e ferventi Cristiani non dovessero del tutto aborrire da un qualche uso di fiori nelle esequie dei loro defunti. Non vorremmo però che di qua si traesse una falsa conseguenza: dunque nelle esequie usiamo pure dei fiori a nostro talento. Niuna conseguenza sarebbe meno logica di questa, siccome illogico e stranissimo sarebbe che vescovi e sacerdoti dei nostri tempi di privato arbitrio improvvisamente uscissero all'altare ed agli altri santi ministeri in vesti sacre bensì ma alla foggia antica, non per altra ragione che l'averle vedute e studiate nei vetusti musaici delle basiliche o nelle pitture delle catacombe. Trattasi di disciplina ecclesiastica » (loc. cit. in fine).

Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo ».[1]

ART. IV. — **Christianorum cadaverum et Martyrum depositio.**

Sicut in florum usu necessarium non est credere, Christianos imitatos esse paganos, ita alii sunt mores ritusque ambabus communes relligionibus, quos ipsa natura dictavit, immo quos pagani a Dei populo mutuati sunt; unde adamussim hic valent illa S. Augustini. « Cum a daemonum misera societate sese animo separat, debet ab eis accipere Christianus ad iustum usum praedicandi Evangelii vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tantum accommodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere, atque habere licuerit in usum convertenda Christianum ».[2]

In lue describenda, quae Aegyptum initio saeculi quarti vastavit, Eusebius nobilissima extollit laude magnitudinem eorum animi, qui curandis cadaveribus se devovebant: « Hi ergo, ait, sanctorum corpora saepius manibus ac gremio excipientes, oculos illos et ora claudentes; ... paulo post eadem officia ab aliis consequuti sunt ».[3] Post clausos oculos, corpora lavabantur, qui mos innumeris potest exemplis comprobari ex actibus martyrum aliisque scriptis; idemque usus diu apud Christianos permansit, nam de eo et Gregorius Magnus[4] et Gregorius Turonensis[5] loquuntur. Enumerans Tertullianus varia a Christianis non minus atque ab ethnicis negotia exercita, et cadaverum lotionem festive lepideque nominat: « Non lavo sub noctem Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam; attamen lavo et debita hora et salubri, quae mihi et calorem et sanguinem servant, rigere et pallere mortuus possum ».[6]

(1) *De obitu Valentiniani consolatio.*

(2) *De doctrina christ.* lib. II, c. 40.

(3) *Hist. Eccl.* lib. VII, c. 22.

(4) Homil. 39, *De sorore sua vita functa.*

(5) Lib. *De grat. confess.* c. 104.

(6) *Apol.* XLII. Etiam apud Iudaeos lotio cadaverum moris erat, unde vel ab apostolico aevo hic usus apud Christianos inductus est, ut Lucas Evangelista, qui Apostolorum gestorum historiam texuit, loquens de di-

Post lotionem unctio fiebat aromaticis oleis, balsamis, unguentis, quo nihil sane cum Iudaeis tum paganis usitatius fuit. Immo Graeci et Romani, cum non amplius corpora ungere possent imposita iam rogis, istos oleis perfundebant et odoribus.(1) Disertus esse possem, si huc testimonia conferre historica et probationes enunciatae rei vellem. Notare sufficiat, Romanas leges primum servilem uncturam, idest, ne servorum cadavera ungerentur, vetasse; deinde ne sumptuosa nimirum respersio fieret, neque myrrhata potio mortuo inderetur.(2) Myrrhata autem potio, seu « myrrhina, ait Aringhius,(3) potio quaedam fuisse putatur miro artis studio confecta et magno comparanda sumptu ».

Ad Christianos quod pertinet, etiam Tertullianus, in opere iam citato eodemque modo deridens ethnicos, est testis: « Thura plane non emimus: si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari quam diis fumigandis ».(4) Maior igitur balsamorum copia in cadaveribus Christianorum perungendis adhibebatur quam in diis fumigandis. Omnes norunt, Christum ad sepulcrum allusisse dum Magdalena pedes eius unxit: *Mittens enim haec unguentum*

scipula Tabitha a mortuis excitata testatur: « Factum est autem, in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo » (*Act.* IX, v. 37).

(1) In Vergilianis carminibus de Miseni funere id canitur:

> ... congesta cremantur
> Thurea dona, dapes, fuso crateris olivo.
> (*Aeneid.* 6, v. 225).

Item Apuleius: « Iam miseri, inquit, illius membra omnia aromatis perpersa: iam os ipsius unguine et odore delibutum ». Et sic alii auctores passim.

(2) *XII Tab. leg.* 8.

(3) *Roma subterranea*, t. II, lib. I, c. XXIII, n. 2: « Illud autem, ait ipso in loco egregius auctor, tantummodo inter quasque gentium nationes, quae eiusmodi ritu gaudebant, discrimen ponitur, quod Aegyptii exenterato corpore, et cerebro per nares extracto, condimenta intrinsecus reponebant. Iudaei vero unguenta ex aromatibus confecta cadaveri extrinsecus infundebant ».

(4) *Apolog.* c. XLII. Capitulum hoc atque plura sequentia magna cum utilitate recreationeque leguntur, quippe festiva forma conscripta, praecipuumque Christianos inter ac paganos mores discrimen producentia.

hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.[1] Pariter unctiones illi mortuo factae sunt, ac piae mulieres eum perfundere iterum balsamis iam conditum in sepulcro intendebant.[2] Omitto brevitatis caussa quae de more Iudaico in Veteri Testamento leguntur. Saeculo autem quarto cum Christiani innumeri essent, magisque in diem multiplicarentur, unctio fere in desuetudinem ivit, et tantum paucis aspergebatur cadaver balsami stillis et myrrhae, ut Prudentius testatur:

Aspersaque myrrha, Sabaeo
Corpus medicamine servat.[3]

Ita ergo corpus pollinctum aut adspersum, linteis involutum, in loculo, vel arcosolio, vel etiam in sarcophago, sive fictili,



Tab. 144. Loculus cum vase et inscriptione in calce.
(Ex De Rossi, *Roma sotterranea*, t. III. tab. XXIV-XXV, n. 33).

sive marmoreo, aut denique in formis et sub pavimentis ambulacrorum deponebatur. Probabile est, ipsa vasa et ampullas, quas saepe in catacumbis saeculi quarti et quinti loculorum calci affixas videmus, huic aspergendi usui inserviisse.[4]

(1) Matth. 26; Marc. 14; Ioannes, 72.

(2) « Cum transiisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum » (Marc. 16).

(3) *Cathem.* hymn. X.

(4) Verum id non excludit, aliquas inter multas eiusmodi ampullas martyris sanguinem continuisse.

Tab. 145 exemplum sepulcri profert in quod poterat per quoddam foramen oleum vel balsamum infundi. Haud dubium in eiusmodi sepulcra perforata, quae alioquin raro inveniuntur, cadavera ita fuisse aromatibus condita ut vel minimum foetorem non exhalarent.



Tab. 145. Arcosolium foraminibus instructum pro olei balsamique perfusionibus. » Catacumbae Syracusanae ». (Ex *Römische Quartalschrift*, an. 1894, t. VIII, p. 156).

In tabula 146 videre licet quo situ cadavera in loculis deponebantur et componebantur: supina scilicet, nihil in manibus habentia, brachiis iuxta latera extensis. Iam illud Tertulliani citavi, de quadam « muliere vernacula, quae ad primum habitum orationis, manus a lateribus dimotas, in habitum supplicem conformavit, rursumque condita pace situi suo reddidit ».(1)



Tab. 146. Cadaverum dispositio in loculis ex alto conspectis.

Cadavera insuper nunquam nuda sepeliebantur, sed involuta sindonibus, aliquando ita fasciolis constricta, ut mos He-

(1) *De anima*, c. 29.

braeorum observaretur ad unguem. Sindonibus, quae ultimo destruuntur, tribuendum est si ossa non raro veluti maculata fumo igneque videantur. Martyrum autem corpora, saltem plerumque Phrygianis vestibus involvebantur. Refert Eusebius, corpus S. Marini martyris ab Asterio senatore pretiosis vestibus coopertum fuisse: « Asterius etiam, vir e senatorum romanorum numero... S. Marini martyris cadaver tollit, splendida et pretiosa veste obtegit, atque humeris impositum inde deportat, quod cum magnifico et sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulcro condidit ».[1] Non pauca equidem testimonia eiusmodi citare mihi in promptu esset, sed brevitati studens, exempla duo tantum recentiora proferam. Saeculo elapso, in coemeterio S. Hermetis a P. Marchi reperiebatur corpus martyris S. Hyacinthi parvo clausum loculo, quia crematum fuerat aut supplicii causa, aut ne corpus a Christianis repeti posset. Itaque haec affirmat P. Marchi cum capsa in qua collecta fuerant ossa aperta fuit: « Cum capsae observans instarem, alia lux oculos meos feriit, veluti reflexi radii in auratam superficiem incidentis. Erat reapse ibi aurum ».[2] Hoc valde admiratus est egregius archaeo-

(1) *Lib. Hist.* VII, c. 14.

(2) *Monumenti delle arti cristiane primitive*, 1844, p. 266. Praestat quaedam verba subiicere duplicis documenti redacti in S. Hyacinthi corporis recognitione:

« 1° Copia d'istromento di relazione, rogato dal Monti, notaro dell'Eminentissimo Vicario, li 29 aprile 1845 ...

« Due cose destarono la sorpresa del perito. Prima perchè li frammenti ossei in tutto o in parte li rinvenne assolutamente *carbonizzati*, lo che esprime che il santo corpo di cui il perito non ne sapeva il nome, fosse stato assoggettato all'energica e comburente azione del fuoco, perchè la caratteristica è talmente marcata da non potersi occultare: l'altra cosa fu che in parecchi degli indicati frammenti, tra la esterna lamina dell'osso e la umida terra che le ricopriva, vide un tessuto come di drappo con filamenti d'oro che conserva il suo fulgore: di qual sorte fosse il tessuto, se bambagino o serico ... » etc. (MARCHI, loc. cit. p. 267, in nota).

« 2° Copia d'istrumento ... etc. Io sottoscritto ... etc.

« Ciò che si trovò degno d'attenzione furono i molti filamenti d'oro solido che osservansi sulla terra, e in essa alcuni di questi filamenti vedonsi disposti nella doppia direzione dell'orditura della trama » (MARCHI, loc. cit. p. 268, in nota).

logus, ac reverti ad coemeterium voluisset ut terram sepulcri attentius examinaret. Armellini denique affirmat se, in quodam S. Agnetis coemeterii loculo, stamina aurea antiqui indumenti vidisse.[1]

De sindonibus amplis candidisque innumeri item auctores mentionem faciunt; Prudentius eas commemorat hymno in exequiis defunctorum :

Candore nitentia claro
Praetendere lintea mos est.

Saeculo quarto, paullatim usus involvendi linteis cadavera in abusum cessit, atque inanis fastus locum relligionis occupavit, illam submovens.[2] Defunctorum indumenta divitibus nunquam satis erant pretiosa ac de tanta vanitate saepe questi sunt Patres.

Ut videtur, monilibus nunquam cadavera consulto ornabantur; verum, ut etiam hodie fit, annulo, aliove diuturne gestato ocello non privabatur defunctus, sed cum eo sepeliebatur. Ipse ego huius rei testis sum, qui nullius vel minimi valoris obiecta eiusmodi cum ossibus inveni.

Tab. 147.

Tab. 148.

(1) Mariano Armellini, *Gli antichi cimiteri cristiani di Roma e d'Italia*, p. 6, sub finem.

(2) S. Aug. *in Ps.* 48.



Tab. 149.

Tab. 150.

Tab. 151.



Tab. 152.

Tab. 153.

Tab. 154.

Tab. 155.

Tab. 156.

Tab. 157.

Tab. 158.

(Biblioteca Vaticana).

Tab. 147 aetas praecostantiniana. — **Tabb. 148, 149, 150, 151** aetas constantiniana. — **Tabb. 152, 153, 154** aetas postconstantiniana. — **Tabb. 155, 156** saeculum quintum. — **Tabb. 157, 158** saeculum sextum. Ad saeculum quintum quoque pertinet encolpium tab. 25 repraesentatum, pag. 181. (Ex *Bull. di arch. crist.*, an. 1869, tab. III, cf. pagg. 33-45).

In sepulcris saeculi quinti non raro encolpia, ut Graeci aiunt, reperire licet; numismata, nimirum, cruces, reliquiarum capsellas quae e collo pendere possent. De encolpiis fusius erit tractandum; interim observationem quamdam lectoribus humanissimis subnotandam subiiciam, moris fuisse, scilicet, ut fideles etiam infimae sortis ad collum gestarent aureas atque argenteas aliquando cruces vel alia encolpia. Hinc perspicuum fit, non esse de episcopo sepulto cogitandum, si super cadaver, quinto vel sexto saeculo depositum, crux aurea inventa fuerit.(1)

In tabulis 147, 148, 149, 150, 151, 152, 153, 154, 155, 156, 157, 158 varia eiusmodi encolpiorum exemplaria habes.

Parva supellex in sepulcris invenitur, eaque quam rarissime

(1) « L'anno 1863, nei sepolcri rinvenuti sotto il piano della basilica costantiniana di S. Lorenzo nell' agro Verano, ora magnificamente trasformata a cripta sepolcrale del papa Pio IX di sa. me. si rinvenne un cadavere tutto involto in tele ed imbalsamato e ricoperto di gesso: sul petto dello scheletro fu trovata una bella croce d'oro, cesellata ed ornata di incisioni parte in greche lettere parte in latine: da un lato era scritto in greco " Emmanuel " ed in latino " nobiscum Deus ", dall'altro " Crux est vita mihi mors inimice tibi ", il quale inimico è evidentemente il demonio » (Armellini, *Gli antichi cimiteri cristiani di Roma e d'Italia*, p. 8). Cf. De Rossi, *Bullettino d'arch. crist.* 1863, pp. 31 sqq.

alicuius pretii, maioris autem in Orientalibus sepulcris. Plerumque sunt vasa vitrea aut fictilia eiusdem prorsus generis atque in Romanis sepulcris cernuntnr. Romae, saeculo quarto, saepius fixa apparent in calce commissuras tabularum claudente extra sepulcra.

Tab. 159.

Tab. 160.

Tab. 161.



Tab. 162.

Tab. 163.

Tab. 164.

Notatu digna est similitudo inter funerariam supellectilem Christianam, atque ethnico–Palestinensem (Tab. 165).

Tab. 165. Vasa et urnae cinerariae in sepulcris ethnicis apud Tyrum inventae (Ex *Revue biblique,* an. 1904, tab. VI).

Cum infantibus aliquando pueriles deliciae, pupae, tesserae, taxilli, tintinnabula aliaque id genus crepundia condebantur. Hinc

tamen frustra quis deduceret priscos fideles eadem superstitione fuisse infectos ac Aegyptii aliique Orientales populi, qui ideo crepundia cum infantibus defunctis condebant, quia hos putabant adhuc illis post mortem gaudere posse.

Sed fiebat tunc temporis quod etiam hodie evenire videmus: defuncti enim corpus imaginem adhuc viventis praebet caris suis, et ab istis, quasi semetipsos fallere volentibus, veluti vivens consideratur; quod omnino naturale est homini, qui cordi potius quam menti in familiaribus affectibus morem gerit.

Nolo tamen priscos Christianos ab omni vel minima superstitione immunes fuisse affirmare; formulae enim quaedam adiurationum, amuleta, tesserae aliaque id genus in sepulcris inventis contrarium aliquatenus docent, idque praesertim in regionibus Orientalibus ubi praefata monumenta reperta sunt.[1] De magicis potionibus et libationibus loquuntur Patres, praecipue S. I. Chrysostomus,[2] et scimus haereticos S. Augustinum calumniatos esse, quod philtrum amatorium in pane eulogiarum occultasset;[3] sed ista non pauca, quae nobis superstitiosa videntur, et revera nonnunquam superstitione, immo quadam daemoniaca pravitate haud carent, propter plebeculae ignorantiam necnon paganarum inconsiderata consuetudinum vel apud Christianos perseverantiam, excusanda sunt.

Contra quidem eiusmodi diabolicas versutias atroces poenas Christiani imperatores comminati sunt,[4] et notabilis est quaedam imperatoris Leonis constitutio, in qua haec inter alia leguntur: « DE INCANTATORUM POENA..... Ego, vero promulgatam a veteribus legislatoribus legem considerans,

(1) Cf MASPERO, *Nouvelle « tabella devotionis » découverte à Hadrumète*, pp. 101 sqq.; DELATTRE, *Revue archéologique*, 1888, t. XII, pp. 157 sqq.; HIRSCHFELD, *De incantamentis et devinctionibus amatoriis apud Graecos Romanosque*, 1863; LECLERCQ, *Dict. d'arch. chrét. et de lit.* art. *Adjuration*.

(2) Homil. XXIX in *Ep. ad Roman.* Cf. S. HIERON. *Vita S. Hilarionis*, c. XXI; *P. L.* t. XXIII, col. 39.

(3) S. AUGUSTINUS, *Contra Petilianum*, lib. III, c. XVI; *P. L.* t. XLIII, col. 357.

(4) *Cod. Theod.* lib. IX, tit. XVI, 3: *De maleficiis et mathematicis*; item tit. XXXVIII, 6, 7; *Novell.* CXV, c. IV, 5.



Tab. 166. Crepundia in Christianis sepulcris infantium reperta. (Ex Aringhi, *Roma subterranea*).

quae modo quidem incantamentum malum rata id punit, modo vero illud admittit, quippe non ex utentis proposito malum

demonstratum, sed sua natura malitiam producens, ut sterquilinia malos odores, illis legislatoribus reprehensioni esse non dixerim, sed ne quis legem vituperet, quae vituperationem in se habet, eam ex legum fundo extirpandam puto ... Sane, si quis omnino incantamentis usus deprehensus fuerit, sive curationem corporis valetudinis, sive depulsionem damni a frugibus praetendat, is apostatarum poenam subiens, supremum supplicium sustineat ».[1]



Tab. 167. Lampades et vasa Bersabeae inventa. (Ex *Revue biblique*, an. 1904, pag. 88).

1. Statua fictilis — 2. Vas vitreum — 3. Cupreum instrumentum auratum
4. Vas vitreum — 5, 6, 7. Lampades fictiles — 8. Vas fictile.

Erat mos apud ethnicos populos Orientales aliquod idolum sive tutelaris divinitatis statua iuxta defunctos deponendi ut apud inferos eis faveret. Quid mirum si noviter ad Christi fidem conversi, praecipue rudes et ex servorum genere qui inter ethnicos degere debebant eisque servire, quid, inquam, mirum si nonnihil de priscis eiusmodi superstitionibus retinuerint?

(1) *Constitutiones*, LXV.

Tabula 167 res varias repraesentat in quodam Syriae sepulcro inventas quod Christianum perhibetur. Inter alia est dimidiatae deae matris statuae imago (dimidiata, quia integra oculos castos offenderet) cum brachiis instar orantis expansis elevatisque. (1)

Praeter lampades et vasa de quibus redibit sermo, aliae res in calce sepulcrorum fixae reperiuntur quae duplici de caussa videntur inesse: aut enim sunt veluti signacula et ornamenta, sicut conchae, annuli ossei, musivi operis taxilli, numismata et omnis generis frustula; aut aliquam habent cum defuncto congruentiam sive propter affectus eius dum viveret, sive propter eius post mortem statum.

Huiusmodi sunt praesertim cuppae quae ad funeraria convivia adhibitae sunt, aut ad alios ritus ut baptisma, matrimonium, etc., quorum occasione cuppae veluti dona offerebantur. Haec autem non raro ductas auro figuras repraesentant Iesu Christi vel Mariae, vel apostolorum, vel aliorum sanctorum, necnon aliquando ipsarum personarum viventium, in quarum honorem convivia instruebantur. Quo in argumento, cum iam verbum de eo fecerim loquens de agapis, non immorabor amplius. Unum tamen subiiciam, scilicet non esse a veritate alienum quaedam eiusmodi vasa, praesertim si Domini Salvatoris aut beatae Virginis imaginem referant, liturgicis et augustissimis ritibus potuisse inservire. (2)

(1) En quid de hac statua habet egregius R. Savignac apud *Revue biblique* anni 1904, p. 89: « Il faudra sans doute ne point perdre de vue que l'objet provient d'une nécropole apparemment chrétienne; que, d'autre part, il n'est pas rare de rencontrer en Syrie et Palestine des motifs d'une inspiration toute païenne ou d'un sensualisme réaliste jusqu'à en être repoussant employés dans la décoration des monuments chrétiens. Inutile d'étaler ici des références érudites relativement aux premières mosaïques chrétiennes, au mobilier funéraire, aux bas-reliefs chrétiens archaïques, où des nudités grossières, des poses risquées offusquent souvent les yeux délicats. Il a fallu longtemps à la pensée chrétienne pour pénétrer l'art antique, en transformer le caractère et en renouveler les procédés ».

(2) Cf. Buonarroti, *Osservationi sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati nei cimiteri di Roma*, Firenze, 1716; Garrucci, *Vetri ornati di figure in oro*, Roma, 1858; *Bullettino di arch. crist.* an. 1868, pp. 1-5.



Tab. 168. Concha marina et petrarum fragmenta in calce cuiusdam loculi fixa.



Tab. 169. Lampas testea et duo numismata in calce cuiusdam loculi fixa.

Postremo praecipua officia quae tam pie praestabantur defunctis, his S. Ioannis Chrysostomi verbis continentur: « Exinde cum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, iubent parentes officia adhibere: manus componunt, oculos claudunt, caput directe statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulcro condigno, dignis funeribus, condunt ».(1)

(1) *Homilia in Iob.*

De elatione corporis satis erit, post ea quae iam commemoravi, dicere, plerumque noctu cadavera ad sepulcra deferri consuevisse, cum cereis, comitatu, psalmorum cantu recitationeque.[1] At, facile intelligitur haec a temporum et locorum adiunctis dependisse. Ad hoc autem vehicula adhibebantur binarum rotarum, carrucae sive birotae vocata, aut etiam sandapilae (quas Itali *bare* dicunt); unde nomen « sandapilarii », eorum scilicet qui cadavera efferebant, et « lecticarii » a lectica, quae apud Christianos locum sandapilae, praesertim post pacem Ecclesiae, obtinuit. Scimus Constantinum, cum sedem Byzantinam instituisset, ecclesiae eius civitatis corpus nongentorum quadraginta lecticariorum sive decanorum designasse, qui eodem fere munere fungerentur atque nostris temporibus confraternitates. Postremo fossores, sive copiatae, ii scilicet qui loculos parabant et corpora condebant, cadavere in sepulcro deposito, praecibusque peractis, calce, si ad cohibendos putores opus esset, cadaver cooperiebant, deinde loculum tabulis marmoreis vel testeis[2] claudebant, calce in commissuris inducta.

Apud ethnicos, Romae, cadavera plebeiorum pauperum, pro quibus nihil omnino solvi in funus poterat, vespillonibus (italice *becchini*) humanda relinquebantur. Verum hoc sepeliendi officium cum vilissimum omnium putaretur, qui illo fungebantur despectui erant omnibus. Sic Suetonius, ut quam ignobiliter Domitiani cadaver fuisset sepultum exprimeret, ita scripsit: *Cadaver eius per vespillones deportatum.* Item de eodem imperatore Eutropius: *Funus eius*, ait, *cum ingenti dedecore per vespillones exportatum et ignobiliter sepultum.* Civilibus turbationibus Gracchorum tempore concitatis, scimus nobilium factionem, lata de popularibus victoria, praecepisse ut corpora Tiberii Gracchi eiusque amicorum in Tiberim proiicerentur; illi vero qui mandatum complendum curaverat, aedili nempe Lucretio, ve-

(1) Noctu elatio cadaveris fiebat, paganorum superstitionis caussa, qui pompam funebrem, sole lucente, urbem profanare putabant, idque lege cautum erat (*Cod. Theodos.* IX, 27, 4).

(2) Ea facultas parentum defuncti erat ut sepulcrum marmore aut tegulis clauderetur; item ut meliori loco sepulcrum effoderetur.

spillonis cognomen plebs, vituperationis caussa indidit, et exinde vocatus est iste *Lucretius Vespillo*. E contrario nobilissimum et misericordiae officium erat apud Christianos sepelire mortuos, neque, ut videbimus in secunda huius libri parte, parvi aut minoris habebantur fossores qui tanto perfungebantur officio.

Praeter oblationem pro dormitione, praeter natales, vigiliae fiebant in coemeteriis ad martyrum sepulcra; sed istae, agapae et mos genuflectendi ante genua sacerdotum, fortasse ad exomologesim faciendam, occasionem praebuerunt paganis, turpissimas insimulationes in Christianos impingendi.(1) Non est cur tempus insumam ad has retundendas calumnias; certum est, nihilominus, per noctem potuisse in coemeteriis quaedam scelera committi; perinde ac vero in quibuscumque locis; occasione forsitan praesertim arrepta ex praesentia foeminarum ad vigilias. Unde pro Hispania concilium Eliberinum (can. 38) haec tulit: « Placuit prohiberi, ne foeminae in coemeterio pervigilent: eo quod saepe, sub obtentu orationis, scelera latenter committant ».(2)

ART. V. — **De Martyrum reliquiis - Martyrum sepulcra - Ampullae cruentae - Martyres vindicati - Monumenta martyrum non authentica.**

Quaestio implicata et perdifficilis, nec solummodo hodierno agitata tempore, ea est quae circa martyrum sepulcrorum re-

(1) MINUT. FELIX, *Octav.* t. III, *Bibl. PP.*

(2) Notandum tamen, Patres Eliberitanos de omnibus paullo iudicasse severius. Credere iuvat, cum nihil alioquin ex historia constet, persecutionum temporibus, veluti ecclesias catacumbas habitas fuisse, ideoque reverenter frequentatas. Idem fortasse dici non poterit de postconstantiniano aevo, ut aliquatenus innuere videntur calumniae a Manichaeis in Christianos impactae. Huic quaestioni lucem parvam eamque incertam afferunt verba S. Hieronymi: « Vigiliarum dies, et solemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, ut ne transversum quidem unguem a matre discedat »; atque haec S. I. Chrysostomi explicitiora: « Virginibus interdici debere pompas funebres, et publica pervigilia, quoniam novit ingeniosissimus diabolus per bona opera suum virus disseminare » (HIERONYMUS, *Ep.* VII *ad Laetam*; S. I. CHRYSOST. lib. III, *De sacerdotio*. Cf. BARON. in *Not. ad Martyrolog. Rom.* die 5 ianuarii, et *Annales*, an. Chr. 51, n. 71). Nam agitur de iis quae omnino ad pudicitiam servandam necessario praecavenda sunt; de virginibus enim loquuntur Patres illi.

cognitionem versatur. Equidem non est mihi in animo quaestionem resolvere, sed tantum afferre diversas auctorum rationes diversaque argumenta, quibus unusquisque propriam tuetur sententiam. Sunt nihilominus quaedam indicia, olim ut criteria certissima habita, sed quae hodie ore uno omnes eruditi falsa declarant. Ab his igitur declarandis libet incipere; persequemur deinde indicia incerta, vel quae exceptiones admittant, et denique indicia indubia.

PALMA. Palma nequit indicium martyrii esse, quia, nedum apud christianos etiam apud ethnicos in usu erat, neque aliud nisi victoriam significat: *Palma*, ait Origenes, *victoriae signum est illius belli, quod inter se caro et spiritus gerunt.* Quapropter, licet aliquando ad martyris sepulcrum potuerit apponi, quia, ut ait Tertullianus, *vincimus cum occidimur*,(1) nihilominus per se prorsus insufficiens indicium palma evadit, et sicut in militum sepulcris vel aurigarum et gladiatorum describebatur, ita et in sepulcris Christianorum incidebatur ut signum spiritualis victoriae; quod hodieque apparet in superstitibus catacumbarum loculis non paucis, ubi certissime martyres depositi non fuere.

Notamus denique, palmas et in Hebraicis epitaphiis inveniri veluti victoriae signa, ut in hoc exemplo, quod ad Macchabeorum aetatem, ut minimum, pertinet.



Tab. 170. (Ex *Revue bibl.* an. 1893, p. 114).

Dominus heros est in bello, Dominus est nomen eius. Domine, duxisti eum. Veni, benedicte a Domino. Nihil ut Deus Israël.(2)

(1) *In Ioan.* c. XXI.

(2) Versio P. Lagrange ap. *Revue biblique*, loc. cit. ad tabulam.

Ut patet, inscriptio haec Psalmi XXIV, octavum versiculum et varia Genesis loca redolet, et est canticum triumphale in morte herois a Deo ad victoriam ducti; scilicet in locum populi heros subrogatur.

Ad auctoritatem S. C. Rituum quod pertinet, notandum est ad eam provocatum fuisse, ut norma certa haberetur. Congregatio autem, die 10 aprilis, anno 1668, hoc dedit responsum: *Cum ..... de notis disceptaretur ex quibus verae sanctorum martyrum reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint: eadem Congregatio, re diligentius examinata, censuit palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse.* (1)

Maximum de palma ortum est dissidium, cui Benedictus XIV finem posuit eorum amplectens sententiam, qui palmam insufficiens et incertum martyrii indicium iudicarunt. (2)

MONOGRAMMA ☧. Hoc signum literis Graecis consistens X et P, significantibus ΧΡΙΣΤΟΣ, raro ante pacem Ecclesiae invenitur, neque ut merum signum Christiani, sicut hodie esset crux, sed plerumque tamquam quoddam inscriptionis elementum, in locum scilicet nominis Christi; quo in casu etiam sub aliis formis invenitur, ex gr.: *Augurine in Domino et* ☧ (idest: *et in Iesu Christo*). Hinc liquet quantum erraverint, qui eiusmodi signum, quasi litteris latinis constaret, pro PAX CHRISTI aut PASSVS *pro* CHRISTO acceperunt, atque, ita intellectum, ut signum sepulcri martyris illud censuerunt.

Hoc ultimum occasionem porrigit loquendi de acclamatione epigraphica *in pace* vel *pax tecum*. Prior est posteriori antiquior, neque saeculum secundum videtur transire, estque veluti iterata prolatio salutationis qua, post resurrectionem, Christus

(1) *Decreta authent. S. C. Indulg.* etc. Romae, 1863. De hoc anni 1668 decreto vario modo iudicatum est. Mabillon et Papebrochius putarunt ita duo indicia cumulative praescribi, ut sola palma non sufficeret, sed cum vase cruento solummodo valorem haberet. Quod contra docuit Boldetti, sed in hoc non paucos adversarios eosque insignes habuit. Cf. PAPEBROCHIUS, *Acta Sanct.* maii, t. V, p. 223; MABILLON, *De cultu sanctorum ignotorum*, praef. et p. 12; FABRETTI, *Inscript. domest.* Romae, 1699, p. 555; MURATORI, *Antiq. med. aevi*, Mediolani, 1738–1742, t. V, pp. 33–35.

(2) BENED. XIV, *De servor. Dei beatificatione*, c. VIII, n. 26.

utebatur apparens discipulis, ut isti ab omni timore sibi temperarent.

Quod *pax tecum* plerumque optativa sit formula nemo negabit, unde generatim martyrem designare nequit; quod vero altera semper sit optativa formula negari debet. Haec enim formula in multis epitaphiis invenitur ubi verbum optativum deest neque subintelligi potest, ubi nempe aliud adest verbum, indicativum quod non solum statum in altera vita, sed exitum ex hac ad pacem vel in pace cum Deo significat. Exempla:

DORMIS IN PACE (1)
RECESSIT A SAECVLO INGRESSA IN PACE (2)
LEA CVM PACE IACET (3)
DIACONVS ISTE SEVERVS FECIT MANSIONEM IN PACE QVIETAM (4)

Egregius prof. Marucchi visus est affirmare, acclamationes *pax tecum* et *in pace* numquam aliter quam precem sive omen sonare. (5)

Allata exempla me eximunt a re demonstranda, eo vel magis quod ab egregio archeologo illud affirmatum est ut acclamationes eiusmodi negarentur posse in sepulcris martyrum inveniri. In qua sententia multos consentientes certo habebit, sed non omnes. Equidem dicam, adhuc incertam esse rem, propterea quod, licet numquam una cum titulo martyris inveniantur formulae illae, nihilominus leguntur ubi valde probabiliter martyres depositi sunt.

In cubiculo Callistiano, exempli gratia, quod *dei cinque Santi* (quinque sanctorum) vocant, acclamatio *in pace* quinquies conspicitur super capitibus figurarum orantium, quae defun-

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 285.
(2) De Rossi, *Roma sott.* t. I, p. 228.
(3) De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 111, tab. XVIII, 42.
(4) De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 46, tab. V, 3.
(5) *N. Bull. di arch. crist.* an. 1906, p. 295. Verum enim alibi in suis operibus egregius archaeologus aliter sentit.

ctorum animas repraesentant. (1) Orantes autem inter arbores, flores et aves apparent, quae omnia paradisum innuunt, sicut in pictura S. Caeciliae et in aliis non paucis. Si igitur, ut veri simillimum est, ibi agitur de quinque martyribus, acclamatio *in pace* etiam sanctis conveniret, neque optativa solum esset; immo cum illo S. Scripturae congrueret, quod Ecclesia de martyribus canit: *Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* (2)

Vulgaris fuit opinio, arcosolia semper fuisse martyrum sepulcra, simul et altaria; qua in opinione duo sunt errores, alter historicus, alter archaelogicus. In *Libro pontificali* de pontifice Felice I legitur: *Hic constituit supra sepulcra martyrum missas celebrare.* (3) Textus hic quibusdam auctoribus visus est omnia quaecumque sepulcra mensa instructa veluti altaria et martyrum sepulcra exhibere; sed quia certum est et quoslibet fideles in eiusmodi supulcra depositos fuisse, hinc efficitur, verba citata opinioni illi minime suffragari. Ceterum vita illius pontificis maioribus erroribus scatet, quam ut possit textus citatus accipi ut sonat. Patet enim, non a decreto Felicis I morem coeptum esse missae in sepulcris martyrum celebrandae, sed eum viguisse iam inde ab apostolicis temporibus, Felix I potius eum confirmasse et sanxisse dicendus est.

Idea martyrum sub altari sepultorum primum in Apocalypsi S. Iohannis habetur, eamque belle explicarunt Patres saeculi IV, inter quos eminet S. Maximus Taurinensis, cuius en verba praecipua: « Non immerito, velut consortio quodam, illic occisi est tumulus constitutus, ubi occisionis dominicae

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. III, tabb. I, II, III; Wilpert, *Le Pitture delle cat. rom.* tab. 110.

(2) *Sapientia*, 3. Egregius Marucchi insistit in eo, quod numquam praefatae acclamationes leguntur una cum martyris titulo; sed hoc nullam facessit difficultatem, cum perpaucae sint inscriptiones illo titulo munitae, et aliunde epitaphium redundans fuisset. Illud potius certum apparet, quaestionem solutam minime esse.

(3) Mommsen, *Gesta pont. Romanorum*, p. 37.

membra ponuntur; ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet ».[1]

Praeterea certum est, *mensae* vocabulum, in epitaphiis sepulcralibus, ipsum indicare *lapidem qui sepulcro insternitur*, proindeque, ut ait I. B. De Rossi, non qualiscumque mensa vel altare portatile (*mensa Domini*) intelligi debet, sed ipsa mensa sepulcri.[2] Ita Donatistae, cum suos consectatores Circumcelliones, occisos in tumultis ab ipsis excitatis, tamquam martyres honorare voluissent, eorum sepulcra veluti *aras* seu *mensas dealbatas* composuere.[3]

Sunt qui putent, Felicem I amplius fecisse quam antiquum sancire morem; scilicet cum usus esset etiam supra fidelium sepulcra sacra facere, hoc privilegium ad martyrum mensas pontificem limitasse. Id profecto ut coniectura tantum licet affirmari; De Rossi autem conditiones Ecclesiae praesertim Romae mutatas secunda saeculi tertii parte notavit, ex quo necessitatem eruit sanciendi quod prius iam in usum inductum erat.[4]

Quomodocumque sit, neque omnia arcosolia ante pacem Constantinianam fuerunt martyrum sepulcra, et post illam innumerabilia excisa sunt arcosolia, quin martyres deponi possent. Valde igitur distinguendum est. Fortasse quidem quoddam esset indicium, si in luna aut in parietibus arcosolii alia sepulcra excavata fuerint. Ita enim signum esse possent venerationis erga corpora in arcis deposita, cum sciamus, Christianos semper cupivisse locum sepulturae iuxta martyres, quod dicebatur *ante, retro, iuxta, ad sanctos*. Sed de hoc infra erit sermo.

Praeterea certissima extant testimonia Patrum quae non solum supra martyrum, verum etiam supra sacerdotum se-

(1) *Sermo LXIII, de natali sanctorum*, edit. Romana 1784, pp. 599 et 600.

(2) Du Cange, *Gloss. med. latin.* v. *Mensa*. Cf. Marini, *Arvali*, p. 588, et Fabretti, *Inscript.* p. 584.

(3) Optatus, *De schism. Donat.* III, 4.

(4) *Roma sott.* t. III, pp. 489-492.

pulcra affirment missae sacrificium saeculis IV et V celebratum fuisse: *Dignum est enim*, ait de seipso S. Ambrosius, *ut ibi requiescat Sacerdos ubi offerre consuevit*;[1] et Paulinus Nolanus de sepulcro Clari, sanctissimae conversationis presbyteri, haec scripsit: *Sancta sub aeternis altaribus ossa quiescunt. Digna pio domus est altaria..... Casta tuum digne velant altaria corpus, Ut templum Christi contegat ara Dei.*[2]

Minus vero incerta indicia sunt *mensae oleorum*, de quibus vide p. 235, Tab. 60 et seq. Tab. 177; vera enim esse possunt venerationis signa erga sepulcra, quibus appositae sunt, cum balsama sustinerent et olea, quae iuxta martyres exarsisse certo scimus; neque improbabile est, veluti altaria olim inserviisse, sicut de mensa ad sepulcrum S. Cornelii eo quod illud esset clausum, ut I. B. De Rossi arbitratus est. Ceterum in splendidioribus sepulcris mensa eiusmodi fere semper invenitur; ista autem martyrum fuisse plerumque sepulcra nemo negabit.

VAS vel AMPULLA CRUENTA estne martyrii signum? En vere signum contradictionis archaeologis simul et theologis catholicis. Circa hoc enim argumentum dissertationum congeries est coacervata, et tamen longe est ut quaestio soluta dici possit. Meo quidem iudicio, cum non est absolute ampulla pro martyrii signo accipienda, tum vero, si reapse sanguinem continuerit, nequit a numero criteriorum certorum excludi. Itaque quaestio mihi hoc modo videtur exponenda:

1. Fuitne usus, apud primaevos Christianos, sepulcro martyris eius sanguinem adponere, quasi testem martyrii?

2. Estne etiamnum possibile experiri, utrum in ampullis martyrum sanguis adsit an alia materia?

3. Quid de decretis S. C. Rituum?

4. Quid de diversis sententiis auctorum?

Primum quaesitum dividi potest in duas partes, nimirum an Christiani soliti essent, sanguinem martyrum colligere, et quod illum in phialis asservaverint ad ipsorum martyrum se-

(1) S. AMBROSIUS, *Epist.* XXII, 15.
(2) S. PAULINI NOLAN. *Epist.* XXXII, al. XII.

pulcra. Prima pars historice certissima est, in Passione enim S. Vincentii legimus: *Videres circumstantium frequentiam sancti vestigia certatim deosculando prolambere, vulnera totius laceri corporis pia curiositate palpare,* SANGUINEM LINTEIS EXCIPERE, SACRA VENERATIONE POSTERIS PROFUTURUM. (1)

Quod hic textus affirmat prorsus naturale est; immo hodieque idem quodammodo videmus evenire, cum praesumpti quidam martyres ex socialistarum anarchicorumque genere, quos potius turbatores dixeris publici ordinis, militum plumbo vulnerati cadunt in media via; sanguis enim eorum orariis a comitibus relligiose nonnunquam excipitur.

Passionem illam cognoscere debuit Prudentius, cum hos versus scriberet:

Coire toto ex oppido
Turbam fidelem videres,
Mollire praefultum torum,
Siccare cruda vulnera.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis;
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris. (2)

Ex quibus textibus, si certo colligitur fideles sanguinem collegisse domique servasse, non excluditur tamen quod pars sanguinis ad sepulcrum adposita fuerit. Quod ceterum de sanguine etiam de membris factum est, ut in Passione S. Fructuosi legitur, (3) idemque de sanguine Cypriani.

Secunda quaesiti pars non minus est certa, sed minime ille generalis videtur fuisse usus, ut sanguis in phialis asservaretur ad sepulcra. Loquens S. Ambrosius de inventione corporum Ss. Vitalis et Agricolae, haec habet: *Nos legimus mar-*

(1) RUINART, *Acta sincera*, Amstelodami, 1713, p. 731.
(2) *Peristephanon*, hymn. V, verss. 333 sqq.
(3) RUINART, loc. cit. Parisiis, 1689, p. 223.

tyris clavos et multos quidem ... COLLIGIMUS SANGUINEM TRIUMPHALEM *et crucis lignum*;[1] et de Ss. Gervasio, Protasio et Nazario: *Ossa omnia integra, sanguinis plurimum.*[2] In quo non licet intelligere quasi sanguis ille esset sparsus vel effusus e vulneribus post corporum depositionem, sed collectus in vase clauso, ut adhuc post multos annos dici posset *plurimum sanguinis, sanguis triumphalis.* Effusus enim sanguis una cum corpore corruptus fuisset, et in vaporem solutus, aut spongiosa rupe absorptus esset, neque aliud nisi maculae remansisset.

Huic sententiae vero ex parte ab aliquibus repugnabitur; nam si de Ss. Gervasio, Protasio et Nazario res extra dubitationem posita est, propter haud ambiguum S. Gaudentii testimonium mox citandum, evidens tamen non apparet in primo exemplo, cum ex Prudentii citatis verbis sciamus, sanguinem collectum fuisse ut domi servaretur. Respondeo unum alterum non excludere, quod et alioquin certissimis testimoniis probatur. In recognitione corporis S. Caeciliae legimus una cum corpore *linteamina cum quibus sacratissimus sanguis abstersus est de plagis, in quibus spiculator trina percutione crudeliter se gesserat, ad pedes beatissimae virginis revoluta, plenaque cruore* inventa fuisse, idque seculo ineunte IX;[3] quod Actuum narrationi ad unguem respondet, legimus enim: *cuius sanguinem omnes bibulis linteaminibus populi, qui per eam crediderant, extergebant.*[4]

Sed est textus S. Gaudentii Brixiensis, qui quaestionem conficit, et expressis verbis affirmat, in sepulcro Ss. Gervasii, Protasii et Nazarii, sanguinem gypso collectum se invenisse: *Post ipsos habemus Gervasium, Protasium atque Nazarium beatissimos martyres... quorum sanguinem tenemus gypso collectum, nihil amplius requirentes; tenemus enim sanguinem, qui testis est passionis*[5].

(1) *Exhort. ad virgines*, c. II, ap. *P. L.* t. XVI, col. 354.

(2) S. AMBROS. *Epist.* XXII, II, ap. *P. L.* t. XVI, col. 1063.

(3) PASCHAL. PAPA I, *De inventione reliquiarum S. Caeciliae*, epist. II, ap. MANSI, *Conc. ampliss. coll.* t. XIV, col. 374.

(4) *Passio S. Caeciliae* ap. RUINART.

(5) S. GAUDENTIUS, *Serm.* XVII, ap. *P. L.* t. XX, col. 963.

Testimonia eiusmodi plurima sunt, sed omnia affirmant sanguinem in sepulcris inventum fuisse. Sic in S. Marciani corporis inventione hoc narratur: *Invenerunt vas vitreum eius sanguine plenum, necnon et spongiam, qua beatus Secundus (martyr inclytus) eius sanguinem collegit, et iuxta corpus collocavit.* (1)

Ex quibus omnibus illud certissime concluditur: priscos Christianos solitos esse sanguinem martyrum linteis et spongiis excipere, non solum ut domi tutamen posteris asservaretur, sed etiam ut cum martyris corpore deponeretur, aliquando etiam in vase conclusus.

Tab. 171.



Tab. 172. Vasa vitrea ad sepulcra apposita reperta.

(1) *Acta Sanct. mart.* t. I, p. 422.

Hoc veluti firmissime posito, quaeri potest: utrum omnia vasa in sepulcris inventa sanguinem martyrum continuerint, nullum vero cruorem adservaverint vasa extra sepulcrum adposita?

Neque primum neque alterum dici debet; nam non desunt exempla in quibus non quidem sanguis, sed alia prorsus ma-

Tab. 173.



Tab. 174.

Tab. 175.

Vasa fictilia ad sepulcra apposita reperta.

teria in ampullis continebatur: cuius rei ipse testis sum, qui non paucas eiusmodi phialas in coemeterio S. Callisti inveni.

Immo hoc et in sepulcris ethnicis et Hebraicis inventum est, et egomet aliunde vasa fictilia et vitrea in sepulcris catacumbarum inveni quae nihil unquam continuisse aut omnino vacua deposita fuisse videntur. Deinde, etsi nullum historicum testimonium habeatur quod ampulla cruenta extra sepulcrum adposita fuerit, tamen rei possibilitatem negare nequimus, idque clarius patebit ex iis quae sequentur.

Veniamus nunc ad secundum quaesitum. Potestne post tam longum saeculorum cursum sanguis inveniri aut eius prima elementa? Sunt qui negant, et qui affirmant: sunt denique qui distinguunt secundum conditiones loci, naturam rupium, maiorem minoremve altitudinem a soli superficie, naturam vasis, clausuram eius. Istis adstipulamur libenter. Positis igitur certis quibusdam conditionibus, non frustra ampulla, quae sanguinem videtur continere, experimento fit obnoxia; quod reapse perfectum est anno 1877 a Michaële Steph. De-Rossi, cuius analysis, circa liquorem qui in ampulla quadam continebatur, haec est summa et conclusio: « Analysis promissis respondit, et quidem ita adamussim, ut numquam antea factum est. Cum enim ex examine chimico una cum corporis animalis essentialibus elementis etiam ferrum patuerit in liquore (ampullae), ideo et sanguinis praesentia affirmatur, et omnis alia organismi animalis pars excluditur. Natura deinde animalis liquoris revelata etiam est analysi microscopica; unde in ampulla anno 1872 in coemeterio



Tab. §176. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. III).

inventa, quod S. Saturnini appellatur, et ubi iam ter sanguis liquidus repertus est, scientifice hodie fas est affirmare: sanguinem revera inesse».[1] (Tab. 176).

(1) *Roma sott.* t. III, appendice, p. 717. Praestat integre processum analysis describere.

« *Analisi chimica.*

« 1. L'ampolla, della quale ho dato il disegno alla grandezza naturale, è di vetro alquanto verdastro, perfettamente diafano e integerrimo; tranne leggera ossidazione nella parte inferiore dove posava. Il liquido, che ne riempie i due terzi della capacità, è rosso nerastro assai acquoso. Ha l'apparenza di sangue decomposto e assai diluito in molta acqua; lasciato lungamente in riposo vedesi formare nel fondo un deposito grumoso, che ha tutti i caratteri esterni del sangue.

« 2. Evaporato il liquido della quantità di un'oncia ridotta a secchezza, cioè a pellicola solida lucente, quella pellicola esposta al calore rosso nel tubo di platino ha dato vapori ammoniacali con odore sensibilissimo di materia animale.

« 3. La medesima operazione ripetutasi molte volte sopra altre quantità varie ed anche minime di liquido preso talora alla superficie, talora nel mezzo, talora al fondo del medesimo, ha sempre manifestato in grande abbondanza i suddetti vapori. Questa diligenza si è adoperata per assicurarsi, che i suddetti vapori non potessero provenire dalla materia delle mosche cadute nel liquido, il quale poi essendo assai diluito con la molt'acqua introdottavi, allorchè era analizzato in minima quantità, non avrebbe potuto svolgere tanta quantità di quei vapori, se la materia animale non fosse stata il principale costituente della materia rossa disciolta nell'acqua.

« 4. Al residuo della materia, di cui si è parlato nel n. 2, si è aggiunta qualche goccia di acido nitrico e se n'è ottenuto il completo incenerimento, osservandosi nel tempo istesso lo svolgersi di vapori rutilanti. La cenere poi ripresa con acqua distillata acidulata per acido cloroidrico, ha dato un liquido, il quale coll'aggiunta del solfocianuro di potassio si è colorito in rosso sangue, come avviene nelle soluzioni dei sali di perossido di ferro.

« 5. L'aspetto della reazione ottenuta in proporzione della quantità di liquido analizzata è perfettamente consentanea alla quantità del ferro, che dovrebbe manifestarsi in una uguale quantità di sangue.

« 6. Da questi dati chimici risulta essere stato trattato un liquido positivamente animale, che per l'aspetto fisico e per la quantità di ferro in esso contenuta si rivela chiaramente per sangue.

« *Analisi microscopica.*

« 1. Ricercato se vi fosse traccia dei globuli sanguigni, si è verificato

Triplex illa sanguinis liquidi inventio cui auctor innuit, his Marangoni verbis commemoratur: « In inferiori parte coemeterii S. Saturnini reperimus loculum testaceis tabulis clausum, ac vasculo vitreo sanguine resperso foris obsignatum, quo reserato ad pedes martyris inventa fuit ampulla vitrea figurae sphaericae, ultra medietatem sanguine adhuc liquido plena, ita ut pars sanguinis rubicunda in ima parte iaceret, aquea vero sive serosa superemineret: unde, agitata ampulla, utraque pars ita misceretur, ut totus sanguis appareret, ac deinceps quiescente motu iterum serum album a rubro sanguine separaretur. Collum vero atque orificium ampullae stillicidiis sanguineis undique respersa apparebant, eratque tophaceo parvo saxo, et eo sanguine resperso, obturatum ».(1)

Item: « In coemeterio S. Saturnini die 29 novembris a. 1742 reperi in parte superiori ampullam vitream sanguine liquido fere plenam, cuius pars superior est serum, in fundo autem croceus liquor. Erat apposita in medio quattuor loculorum, in quorum uno aderant tria corpora martyrum. Collum est vivo sanguine undique respersum ».(2)

che il grado di decomposizione cui era giunto il liquido, non poteva permettere di discernere le tracce dei medesimi.

« 2. Si è però notato esservi gruppi di piccolissime forme cristalline prismatiche, delle quali non si potè determinare il sistema cristallino per la natura del liquido, il quale perciò si rivela di natura colloide.

« 3. Si è osservata la presenza di sporule di diverse forme e qualche lieve brandello di insetti disfatti e che non possono provenire dalle mosche cadute; mentre queste si sarebbero disfatte consumandosi per mezzo di organismi parassiti, e tenendo a calcolo le condizioni favorevoli ad una pronta e completa decomposizione dei loro resti avvenuta entro tanta quantità di acqua.

« 4. Si è veduto esservi numerosi piccoli peli completi e striati longitudinalmente del tutto simili ad altri numerosi, che si videro ancora piantati sopra i resti di epidermide di insetti; i quali molto probabilmente debbono essere i resti di quei vermi o delle loro crisalidi che vissero nella putrefazione delle sostanze animali.

« 5. Si osservò sulle pareti della fiala una crosticella d'apparenza sanguigna, nella quale si vedevano impigliati taluni filamenti di materia tessile » (loc. cit. pp. 715-716).

(1) MARANGONI, *Acta S. Victorini*, p. 66.

(2) DANZETTA, ap. cod. Vat. 8324, *e schedis autographis Marangonii.*

Idem testantur pluries se vidisse Bosius, Aringhi, Landucci, Boldetti et alii.

Ex his quae hucusque edisserui liquido patet, quam prudens consilium S. C. Rituum fuerit, in decreto anno 1863 emanato, quo huic quaestioni: *An phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae quae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant martyrii signum?* respondebat: *Affirmative.* Quo autem sensu decretum eiusmodi sit accipiendum, egregius Archangelus Scognamiglio, qui tunc temporis custos erat Ss. Relliquiarum, nobis aperit, dicens, illud non respicere *vasa et phialas, quae ad sepulcra coemeteriorum reperiuntur indiscriminatim omnes; sed eas tantum, in quibus vere sanguis vel praesentia sanguinis vestigia reperiantur*; affirmat insuper praxim esse receptam apud custodes Ss. Relliquiarum, *martyrum corpora non ea censere, ad quorum sepulcra vas vel ampulla quaecumque inveniatur; sed ea tantum, quae vas vel ampullam habeant cruentam.*(1)

Igitur S. C. Rituum perfecte habuit perspectum, quod experientia constat, nimirum, quod sanguis aliquando, non solum balsama aliaque, depositus est tum intus tum foris sepulcrum, ideoque caute procedendum in sepulcrorum martyrum recognitione; praeterea formula ipsa decreti, ut recte notat I. B. De Rossi, normam reproducit iam a Patribus saeculi IV formulatam: *Tenemus sanguinem, qui testis est passionis, nihil amplius requirentes*, quibus verbis nihil non hypotheticum opponi potest.(2)

Auctores qui hanc quaestionem tractarunt saeculo elapso, cum inficiari amplius nequirent revera sanguinem aliquando in phialis coemeterialibus inveniri, in diversas ierunt sententias, quarum praecipuas pretium est operae huc adducere. Atque inprimis illud vitare debemus ne tamquam possibile admittatur omnes ampullas coemeteriales potuisse sanguinem continere, qui error in futilissimas quaestiones de numero ampullarum

(1) *De phiala cruenta*, p. 76.

(2) « Alle quali (parole) non veggo che la scienza archeologica possa seriamente opporre od alcun fatto certo contrario o alcuna teoria positiva e non ipotetica » (De Rossi, *Roma sott.* t. III, p. 618).

in Romanis coemeteriis invento earumque notis chronologicis cum numero Romanorum martyrum conferendo nos traheret, et aliunde recentes in coemeteriis Ss. Marci et Marcelliani et Commodillae fossiones melius in lucem posuere quod iam plerisque persuasum erat, maximum nempe ampullarum eiusmodi numerum in regionibus postconstantinianis inveniri. Idem de authentiae quaestione circa corpora iam extracta; scimus enim quae fuerint in his extrationibus criteria saeculo XVI adhibita, non est igitur cur repetamus quod in catholicorum ore locus communis (*banalità*) recte vocaretur; in ore autem haereticorum fit maligna insimulatio, non quidem contra hunc vel illum relliquiarum custodem qui amplius nequit respondere, sed contra institutum ipsum Ecclesiae, cuius quanta fuerit hac in re cautela omnes, incorrupte indicantes, perspectum habent.

Sunt igitur tres diversae sententiae a F. X. Kraus,(1) P. De Buck(2) et Edmundo Le Blant,(3) viris eruditissimis, propositae quasi quaestionem soluturae; sed longe abest ut quaestio soluta dicatur. Kraus putat ampullas cruentas ideo appositas fuisse, ut essent veluti indicium eorum martyrum qui vindicati non fuerant, vindicatio autem illius temporis nostrae *canonizationi* respondebat, atque per eam tantum poterat nomen *martyris*, aut sigla illi aequivalens, sepulcro apponi.

Sententia haec, iam a Ch. Trochon Oratorii presbytero confutata(4), merito simplex hypothesis et pura mentis fictio nuper ab H. Leclerq appellata est;(5) sed ea multo infirmior mihi videtur P. De Buck sententia, iuxta quam non quidem martyrum sanguinem sed vinum sacrificii Dominici et panem obla-

(1) *Die Blutampullen der Römischen Katakomben*, von F.-X. KRAUS, Frankfurt, 1868.

(2) *De phialis rubricatis quibus martyrum romanorum sepulcra dignosci dicuntur*, Bruxellis, 1855. Huius opellae viginti tantum exemplaria edita sunt.

(3) *La question du vase de sang*, Paris, 1858.

(4) *Une théorie allemande sur la signification de la fiole de sang* ap. *Revue des questions historiques*, 1869, pp. 220–226.

(5) *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie*, art. *Ampoule* (*de sang*), vol. I, col. 1756.

tionis idest species ipsas eucharisticas phialae continuissent. Monumenta enim et facta quae afferuntur praterquam incerta, etiam plerumque tardiora sunt quam ut possint de usu saeculi III et IV testari. Ceterum cum sanguis non solum intus, sed etiam extra sepulcrum inventus sit, De Buck sententia cum negat quod negare non licet, tum vero affirmat quod non nisi per abusum, tarde rarissimeque factum est.(1)

(1) En quid de hac sententia I. B. De Rossi scripsit in III tomo *Romae subterraneae*, pp. 499-500: « Il sacrificio offerto *ad sepulcrum* per i defonti ha dato origine a una strana opinione o ipotesi, che merita poche parole d'esame e di confutazione. Nei vasi di varie forme e di classi diverse murati all'esterno dei loculi o degli arcosolii nei sotterranei cimiteri taluni hanno immaginato, che fosse contenuto il vino consecrato; residuo dell'*oblatio pro dormitione*, compiuta nell'atto di seppellire il defonto. L'ipotesi è priva di qualsivoglia fondamento, anzi inammissibile. L'abuso, riprovato da alcuni concilii dell'Africa e delle Gallie, di dare l'eucaristia ai defonti (BINGHAM, *Orig. et antiq. christ.* XV, 4, 19, t. VI, pp. 424-425; SELVAGI, *Antiq. christ.* 2ª edit. t. III, p. 319) nulla potrebbe avere di comune con codesti pretesi vasi eucaristici. Quell'abuso cominciò quando il seppellire nei nostri sotterranei cimiteri veniva cessando. Nei canoni dei predetti concilii si parla dell'eucaristia sotto la specie del pane data ai defonti e consepolta con essi. Vasi recipienti di liquidi, murati all'esterno delle tombe ed all'aperto, niuna attinenza possono avere con quel rito abusivo e proibito. Finalmente in quei vasi, quasi tutti vitrei e perciò fragilissimi, aperti ed esposti ad ogni danno, chi mai avrebbe osato infondere parte del calice sacrosanto, o come mai sarebbe stata le cento e cento volte tollerata in Roma siffatta temerità ed irriverenza; mentre positivamente sappiamo da Tertulliano e da Origene per i primi secoli, dai Padri del IV e del V per i posteriori, con quanto *ansio timore*, con quanta *cautela e venerazione* i fedeli curavano, che non una goccia cadesse dal calice, *ne parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur*; reputandosi essi, in tale caso di negligenza, rei di assai grave colpa? Laonde non solo gratuita, ma inammissibile ed assurda è la discussa ipotesi. Che se per avventura si potesse ravvisare sedimento di vino in alcuno dei vasi cimiteriali (ciò che io non credo, nè forse è dopo tanti secoli chimicacamente possibile); siffatto sedimento non altro sarebbe, che residuo ed indizio della riprovevole ed a poco a poco abolita pratica di quei rozzi Cristiani, i quali nel secolo quarto volgente al quinto credevano fare onore ai martiri e ai defonti spargendo vino sulle loro tombe (*perfusis mero sepulcris*), come nel seguito ...» etc. Cf. TERTULL. *De corona*, c. 3; ORIGEN. *Hom.* XIII *in Exod.*

Edmundi Le Blant sententia novam praesumit solutionem porrigere quaestionis, nempe admittit praesentiam sanguinis



Tab. 177. Sepulcrum PP. S. Cornelii mensa oleorum praeditum. (Ex De Rossi, *Roma sott.* t. I).

in aliquibus ampullis, et quidem martyris, non autem illius, cuius sepulcro ampulla apposita est, qui e contrario martyr esse nequit.' Scilicet cum, post pacem Ecclesiae, fideles omni nite-

rentur ope ut sibi apud corpora sanctorum locus pateret sepulturae, cumque non omnes tantum privilegium obtinere possent, sanguine vel aliis martyrum relliquiis munierunt sepulcra. Verum huic opinationi aperte contradicit S. Gaudentii textus citatus: *Tenemus sanguinem qui testis est passionis, nihil aliud requirentes*; et insuper quae ad illam corroborandam afferuntur



Tab. 178. Sepulcrum Ss. Felicissimi et Agapyti carmine Damasiano insignitum. « Restitutio architecti R. Kanzler ». (Ex *N. Bull. di arch. crist.* an. 1895, tab. IX-X).

ab eius adstipulatoribus,(1) ut summum demonstrant aliquando relliquiarum custodes errasse in martyrum sepulcrorum recognitione, quod ab omnibus facile admittitur, neque mirum, *errare* enim humanum est.

Iam ad certissima indicia gressus faciamus, quae duplicis

(1) COCHET, *Sépultures gauloises, romaines, franques et normandes faisant suit á la « Normandie souterraine »*, Paris, 1857, pp. 420–421; CHARLES LENORMANT, ap. *Le Correspondant*, février 1859, pp. 365 sqq.

generis sunt: ea quae cubicula aut cryptas martyrum indicant, et ea quae ipsa sepulcra ubi martyres positi sunt designant.

Priora illa sunt quae nobis cryptas historicas revelant; cryptae autem historicae illae vocatae a I. B. De Rossi sunt quae a peregrinantibus visebantur, unde ibi vestigia videre licet eorum aditus frequentis, inscriptiones videlicet in corio parietum stilo inscriptas, quae non raro piae ad martyres acclamationes sunt et preces. Item ea omnia quae propter venerationem erga



Tab. 179. Inscriptiones corio parietis incisae (graffiti) in coemeterio Priscillae. (Ex *Nuovo Bull. di arch. crist.* an. 1907).

sanctuaria facta sunt, idest ingressus restaurati et ampliati post pacem Ecclesiae, picturae byzantinae saepe ipsos martyres loci repraesentantes, oratoria sive ecclesiae (Dominica, Martyria) super martyrum sepulcra erectae. Atque ista sunt veluti communia omnibus locis indicia. Romae pretiosa sunt carmina Damasiana, cum plerumque, ut notum est, in martyrum honorem composita illa sint.

Tandem indicia quae nominatim sepulcrum martyris indigitant sunt inscriptiones quae evidenter titulum *Martyris* sive extensum sive in siglam contractum exhibent. Istae paucissimae sunt, sicuti pauci quoque erant martyres quorum sepulcra

a peregrinantibus VI, VII et VIII saeculi visitabantur. Cuius rei ratio ex eo, iuxta non paucos antiquitatis cultores, repetenda est, quod nomen martyris esset signum vindicationis, sive, ut hodie dicitur, canonizationis, neque apponi posset nisi post declarationem quamdam publicam solemnamque ecclesiasticae potestatis.

Re enim vera ut quis titulum martyris haberet, martyrium non erat sufficiens, sed ut vere martyr recognosci, iuxta antiquam ecclesiasticam disciplinam, debebat. Iam textum S. Cypriani retuli ex quo colligimus quanta esset episcopis cura in martyribus albo liturgicae commemorationis referendis. Quod autem maius est, dum etiam in carceribus mortui fideles martyris nomine ornabantur, immo etiam in exilio defuncti, ut pontifex Eusebius qui quod *Pertulit exilium Domino sub iudice laetus*, et *Litore Trinacrio mundum vitamque reliquit*, a pontifice Damaso martyr in solemni et publico documento vocatur; eos e contrario qui, aut statuas idolorum evertendo, aut ultro se persecutoribus offerendo mortis poenam meriti essent, ab honoribus martyrii exclusos invenimus. Sic in actis S. Polycarpi legimus: Οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς;[1] et in Actis proconsularibus S. Cypriani haec habentur: *Cum disciplina prohibeat ut quis se ultro proferat* ...[2] itemque in epistola LXXXIII eiusdem sancti: ... *nec quisquam vestrum aliquem tumultum fratribus moveat, aut ultro se gentilibus offerat.*[3] Denique concilium Eliberinum can. LX haec praecipit: *Si quis idola fregerit, et ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.*[4] Atque haec ante edictum Mediolanense.

Quod vero incredibile dixeris illud est quod de Lucilla quadam refert Optatus Milevitanus: « Quae (mulier) ante spiritalem cibum et potum, os nescio cuius martyris, libare dice-

(1) C. IV, *Opera Pp. Apost.* edit. Funk, Tubingen, 1887, t. I, p. 286.
(2) C. I, *Acta sincera* ap. RUINART, pp. 38, 216.
(3) *P. L.* t. IV, col. 446.
(4) MANSI, *Conc. ampliss. coll.* t. II, col. 15.

batur; et quum praeponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, et si martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit».[1] Scimus ex hoc initium sumpsisse schisma Donatistarum tam Ecclesiae catholicae infestum; mulier illa nedum reprehensionem diaconi Caeciliani, etiam censuram episcopi incurrit, atque hoc satis aperit cur nomen martyris tam raro in epitaphiis inveniatur. Hinc etiam, ex I. B. De Rossi sententia, repeti debet, quod sigla martyrem indicans in inscriptione S. Fabiani pontificis alia manu leviorique scalpro incisa fuerit. Praestat ut rei paullisper immoremur.

Quum primum I. B. De Rossi epitaphium S. Fabiani invenit, non leve notavit intercedere discrimen inter nomina ΦΑΒΙΑΝΟC ΕΠΙσκοπος et siglam ΜαρΤυΡ. Cum vero sibi non posset persuadere titulum illum fuisse omissum propter persecutorum metum, atque aetate multo posteriori ab aliquo deceptore incisum, in hanc devenit sententiam, quae veri est simillima omnibusque probatur: nempe, post mortem pontificis Fabiani (an. 250), cathedra apostolica ultra annum vacavit quia imperator Decius electionem eius vetuerat et quoad potuit impedivit. Clerus autem Romanus, in suis ad S. Cyprianum litteris, plura se ad futurum pontificem Romanum negotia expedienda reservare affirmat; ac proinde etiam fortasse solemnem martyris titulum tum liturgico albo inserendum, tum sepulcro antecessoris apponendum. Ex hoc facile intelligitur cur scalptor, quem eumdem fuisse tam in priori quam in posteriori epitaphii parte incidenda I. B. De Rossi affirmat, siglam et interpunctionem leviter debuerit inscribere, ne lapis iam suo loco applicatus et parvus crassitudine cavumque claudens, ictibus scalpri rumperetur.

Equidem etiamsi applicatio nominis huius gloriosi non nisi post vindicationem martyris fieri potuerit, non mihi tamen persuadetur omnes martyres vindicatos titulum hunc habuisse. In sepulcro celebris martyris Afrae, nihil nisi eius nomen in

(1) Optatus, *De schism. Donatistarum*, lib. I, 16.

plumbea tabella incisum lectum est. Id quidem demonstrat fuisse nomen martyris omissum quia sepulcrum subdiale esset; sed etiam in subterraneis coemeteriis raro nimis titulus ille apparet ante edictum Mediolanense, saepe vero de martyribus est mentio quorum numerus legebatur, nomen autem Deo soli erat cognitum; unde Prudentius cecinit:

Sunt et multa tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora quae solum significant numerum.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum
Quanta virum iaceant congestis corpora acervis
Nosse licet quorum nomina nulla legas. (1)

Ex documentis peregrinantium saeculi sexti septimi et octavi colligitur *multa millia sanctorum*, idest *martyrum, quorum nomen Deus scit*, in coemeterio S. Callisti et alibi iacuisse; quorum sepulcra praefati peregrinantes in regione praesertim quae *ad S. Xystum* et *ad S. Caeciliam* dicebatur venerabantur. Indicationes istae illud Damasi in mentem revocantes:

Hic congesta iacet quaeris si turba piorum,

fictae dici nequeunt, atque ultimi Prudentii relati versus cum illis congruere videntur.

Martyris denique nomen ita aliquando contractum in sepulcris inventum est, ut facile cum nota mensis depositionis confunderetur, quod liquido patebit ex quadam inscriptione mox referenda.

Tab. 180 quinque loculos exhibet in coemeterio Priscillae inventos, quorum unus martyris videtur nomine Verecundi. Nomen enim in duas contiguas tegulas descriptum, sigla quadam divisum est, cuius nexus MARTYR significare plerumque aestimatur.

Antequam huic articulo finem imponam, praecipua adducam exempla inscriptionum et phialarum non authenticarum, quae tamen longum per tempus ut genuinae habitae sunt.

(1) *Peristephanon*, XI, vv. 9 sqq. Cf. Visconti, *Atti della pont. accad. d'arch.* t. II, pp. 600 sqq.; *Inscript. Christ.* t. I, pp. 3–4.

Omnium prima illa sit inscriptio cui praeter modum non pauci, saeculis elapsis, auctores innixi sunt, ut catacumbas probarent non quidem, extremo persecutionum furore, veluti li-



Tab. 180.

turgica loca adhibitas aliquando fuisse, sed apta quasi hominum domicilia grassante persecutione extitisse; mirum autem est hodieque eiusmodi inscriptionem ab eruditissimo H. Leclercq nonnihil fieri.(1)

(1) Dom Cabrol, *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de liturgie*, art. *Agape*, col. 814, nota 5, et col. 815.

ALEXANDER MORTVVS EST SED VIVIT SVPER AS
TRA ET CORPVS IN HOC TVMVLO QVIESCIT VITAM
EXPLEVIT CVM ANTONINO IMP · QVI VBI MVLTVM BENE
FITII ANTEVENIRE PREVIDERET PRO GRATIA ODIVM
REDDIT GENVA ENIM FLECTENS VERO DEO SACRIFICA
TVRVS AD SVPPLICIA DVCITVR O TEMPORA INFAVSTA
QVIBVS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM
SALVARI POSSIMVS QVID MISERIVS VITA SED QVID MISERIVS IN
MORTE CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI
NEQVEANT TANDEM IN CAELO CORVSCAT PARVM
VIXIT QVI VIXIT IV · X · TEM ·

Sola lectio sufficit ut ea inter apocryphas inscriptiones reiiciatur, neque enim latinitas convenit, neque epigraphica forma, neque denique tempus. Notandum praesertim abbatem Crescentium, qui eam protulit una cum aliis non paucis, parum varietati studentem in epitaphiis effingendis, pluries in hanc declinasse dictionem, quae prorsus inaudita est in Romanis epitaphiis: *Tandem in coelo coruscat*, eam tamen parum aliquid mutans: *In pace tandem quievit; Tandem in coelo quiescit.* (1) Praeterea inscriptio cruce instructa est, non quidem simplici ut in antiquissimis monumentis, in quibus tamen quam rarissime ea conspicitur; (2) sed eius generis quae in monumentis saeculi v et sequentium possit dumtaxat inveniri. Est denique monogramma quod Constantinianum vocant, quodque si ante Constantini aevum extitit, nihilominus perraro usitatum est, et solum veluti inscriptionis elementum, loco nominis *Christi*. Unum vero et alterum praeconstantinianum exemplum quod producitur, in quo scilicet hoc monogramma est simplex religionis signum, nota temporis caret, ac non nisi per coniecturam aetati praeconstantinianae tribui potest; illud denique numquam tempori Antonini, etiamsi de imperatore Caracalla agatur, poterit adscribi.

(1) Cf. Bosio, *Roma sott.* lib. III, c. xxiii, edit. mdcl, pp. 298–299.
(2) Wilpert, *N. Bull. di arch. crist.* an. 1902, pp. 5–14.

Alia inscriptio ab eodem abbate efficta apparet:

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS MARIVS ADO
LESCENS DVX MILITVM QVI SATIS VIXIT DVM
VITAM PRO CHO CVM SANGVINE CONSVNSIT
IN PACE TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES CVM
LACRIMIS ET METV POSVERVNT
ID · VI

Non repetam quae de Christi monogrammate supra dixi, quod monogramma hic vel minus convenit utpote in inscriptione Hadrianeae aetatis: notabo tantum illa verba: *cum lacrimis et metu posuerunt* prorsus cum indole Christianae epigraphiae pugnare, et computationem iduum, siquidem nota est temporis illud ID·VI, omnino ab inscriptionibus illius temporis esse alienam. (1)

Putavit etiam idem abbas Crescentius se invenisse sepulcra Ss. pontificum Felicis I et Caii, quorum epitaphia en quomodo in *Roma subterranea* Severani exhibentur:





Ad priorem quod pertinet non est cur loquamur, vera enim inscriptio pontificis Gaii reperta est mutila a I. B. De Rossi, ab eoque completa in partibus deficientibus:

Γ(ΑΙΟ)Γ · ΕΠΙ(ϹΚΟΠΟΓ)
ΚΑΘ.
(ΠΡΟ. Ι.) ΚΑΛ ΜΑΙω(Ν)

Inscriptio vero pontificis Felicis I authentica non est tum propter nullam cum ceteris pontificalibus epitaphiis analogiam, tum vero propter nimiam cum ficta pontificis Gaii inscriptione

(1) Cf. De Buck, *De phialis rubricatis*, p. 189; Le Blant ap. *Revue archéologique*, nouv. série, 1869, t. XIX, p. 441; F.-X. Kraus, *Die Blutampullen*, p. 40.

similitudinem. Etenim ex pluribus documentis constat Felicem I in pontificum hypogeo coemeterii S. Callisti sepultum fuisse; inscriptiones autem pontificum ibi inventae omnes in marmore incisae sunt, lingua Graeca redactae, cum titulo: ΕΠΙC(κοπος). Quomodo admitti potest sepulcrum pontificis Romani tegulis fuisse clausum? Quomodo titulum PAPAE ipse habuerit, quem eius immediati successores non habuere, eumque habuerit cum nondum usu venisset ita Romanum pontificem vocari?

At perridiculum est illud: PP. I, perinde quasi lapicida de successoribus eiusdem nominis cogitaret primum (I) hunc Felicem vocans. Felicem autem secundum antipapam fuit tempore Liberii, ante quod tempus ne Syxtus quidem pontifex saeculi III secundus appellatus apparet ut patet ex calendario Philocaliano seu Liberiano.

Deinde eiusdem auctoris opus apparet atque inscriptio Gaii, idest eiusdem falsarii, unde etiam ex hoc capite licet concludere: si illa ficta est et ista pariter ficta esse debet.

Ficta quoque est famosa illa inscriptio architecti amphitheatri Flavii quam opus Pirri Ligorii non immerito multi arbitrantur esse:

SIC PREMIA SERVAS VESPASIANE DIRE
CIVITAS VBI GLORIE TVE AVTORI
PREMIATVS ESMORTE GAVDENTI LETARE
PROMISITISTE DAT KRISTVS OMNIA TIBI
QVI ALIVM PARAVIT THEATRV IN CELO

Tab. 181.

Nunquam in christianis epitaphiis acclamatio ad imperatorem apparet: Litterarum forma, ait egregius H. Marucchi, interpunctionis signa et ipse textus falsitatem inscriptionis revelant. (1)

(1) *Elèments d'archéologie chrétienne*, vol. I, p. 20. Cf. DELEHAYE, *L'amphithéâtre Flavien et ses environs dans le texte hagiographique*, ap. *Analecta Bollandiana*, t. XVI, 1897, p. 216.

Unum his animadversionibus opponi potest, nempe epitaphia ista multo post eventus commemoratos tempore, sed utique antiquissimo facta fuisse. At etiam postconstantiniana epigraphia a notatis formulis abhorret, et alioquin haud intelligitur quomodo tam insignis martyr, ut architectus amphitheatri Flavii, potuerit in posterorum memoria prosus oblitterari.

Sed multae insuper sunt inscriptiones quae vere quidem sunt, at minime martyrum sicut perhibitae erant. Duas tantum citabo:

AELIO M XI

Sensus est: *Aelio mensium undecim*; sed olim lectum est: *Aelio Martyri XristI.*

Tempore Urbani VIII, a quadam Hispana dioecesi indulgentiae apud hunc pontificem sollicitatae sunt ut solemnitas festi cuiusdam sancti Viaris augeretur. At Romae ipsa sancti existentia negata est, cum nullo alio historico fulciretur documento nisi fragmento inscriptionis eiusmodi: S VIAR, cuius complementum facile suppleri potuit: *praefectu*S VIAR*um*.(1)

En iam trium phialarum exemplar quae sanguinem martyrum S. Saturnini et aliorum continerent si inscriptiones verae essent. Sed quid non videt eamdem fuisse manum quae in singulis exemplaribus scripsit? Animadvertet studiosus praesertim litteram S, quae eadem manu facta apparet; et tamen diversis in locis ampullae illae inventae sunt.(2)

Votum nunc mihi est solvendum, ut ubi de nulla eiusmodi relliquiarum aut monumentorum authentia constet, etiam omnis

(1) Cf. MABILLON, *Iter Italicum*, p. 143.

(2) De his ampullis ita scribit r. Dom. Martigny, in suo lexico antiquitatum Christianarum: « De savants paléographes, M. De Rossi, d'après des documents authentiques, et le R. P. Garrucci, d'après la forme des caractères (cf. *Hagioglypta*, in-8°, Parisiis, 1856, p. 107), on reconnu que ces monuments sont faux. Ils avaient été remis par le faussaire lui-même à l'abbé Crescenzio, qui, à son tour, avait, sans le vouloir, induit en erreur Severano, éditeur de Bosio. C'est ainsi que ces vases avaient été introduits dans la *Roma sotterranea* ».

subsannandi occasio auferatur; ubi vero in dubio et controversia res versetur, omnis a scriptoribus cura adhibeatur ne

Tab. 182, 183, 184.

vulgus fidelium sine sufficienti caussa in suis devotionis affectibus turbetur.

ART. VII. — **Martyrum cultus – Sanctuaria – Peregrinationes Eulogiae – Translationes.**

Uti vidimus, ipsa erga martyrum devotio effecit, ut circa eorum sepulcra coemeteria paullatim effoderentur aut fabricarentur; dum alioquin nihil ab ecclesiastica potestate praeceptum invenitur quo fideles ad communia coemeteria conferri obligarentur. Quae quidem devotio, pace Ecclesiae concessa, cohiberi nequivit neque ullo modo imminui; unde factum est ut inter iam stabilita sepulcra locus quaereretur sepulturae, praesertim apud martyres.

Tabulae 185, 186 graphice nobis exhibent eiusmodi ampliationum ideam sufficientem, in quibus diversae regiones aut punctis aut numeris inter se distinguuntur. Chronologicus autem earum ordo ex epigraphicis formulis et architectonicis lineis eruendus est, quae successivam arearum additionem ampliationemque supponunt. Sed de hoc alibi loquendum.

Neque aliter factum est de coemeteriis subdialibus, ubi circa *martyria* et supra martyrum sepulcra *formae* innumerae effossae, aut arcae coarcervatae sunt (Tab. 187).

Evidens quoque est, tum propter numerum fidelium magis in diem augescentem, tum propter novas inter Ecclesiam et civilem potestatem conditiones novaque negotia inde exorta, proprie et proxime ecclesiasticam coemeteriorum administrationem amplius non perdurasse, licet coemeteria conspicua fierent sanctuaria proindeque peregrinantium praecipuae metae.

Dum vero in urbibus basilicae extruebantur, Constantino praesertim eiusque posteris faventibus, etiam martyrum sepulcrorum mutabatur facies. Picturae, marmora, musiva opera et quidquid ad exornandum aptum esset abunde circa ea adhibebatur; non raro in ecclesias cubicula ipsa vertebantur: marmoreae nempe columnae trabes sustinebant ex quibus aulae, seu pendentia velaria, iuxta antiquum ritum, sanctuarium quodammodo determinabant.

Huius rei exemplum nobis praebet illud hypogeum coemeterii S. Callisti, quod cubiculum *pontificum* vocatum est. (Tab. 188).



Tab. 185. Area gentis Caeciliae duarum ampliata arearum additione ante pacem Constantinianam.

Sed fortasse antiquiora exempla sunt in eodem coemeterio, cubicula nimirum S. Eusebii, S. Miltiadis, Ss. Marci et Marcelliani aliaque non pauca, in quibus, praeter alia, dispositio altarium notanda est quae crucem constituit.

Cubiculum S. Eusebii (Tab. 189) matroneo instructum est quod quam rarissime alibi invenitur.



Tab. 186. Areae coemeteriales partim ampliatae, partim inceptae et additae coemeterio Callisti post pacem Constantinianam.

Cubiculum vero S. Miltiadis sedilia circum circa exhibet, quae ad liturgicas congregationes parata, eamdem dispositio-

nem habent atque Romanum triclinium. Nempe extrema sedilia apud ingressum elevatiora sunt utpote in locis honoratioribus; in cornu autem dextro, praeter hoc, alio additamento sedile distinguitur, ita ut clare appareat illum praesidentis locum fuisse.

Cubiculi, quod Ss. Marci et Marcelliani non immerito putatur, pars tantum dextera in tab. 191 exhibitur; eius vero com-



Tab. 187. (Ex E. Le Blant, *Etudes sur les sarcoph. d'Arles*, tab. 36).

plexus, ut ex ruinis coniicere fas est, superat quidquid de subterranei Christianis sepulcris fingi potest.

At coemeteria cum in potestatem fossorum paullatim devenissent, isti sepulturas martyribus proximiores coeperunt largius offerenti vendere. In quo nihil fuisset mali si suo loco et sine sanctuariorum deturpatione cadavera deposita essent; et ceterum ad ipsam coemeterii conservationem quaedam sepulturae expensae requirebantur.

Huius rei luculentissima Romae extant testimonia; inscriptiones enim quae de sepulcrorum emptionibus apud fossores loquuntur a Damasiana aetate plerumque incipere videntur. Sed fuerunt qui, simplici loculo contenti, effosso in cubiculi martyris pariete, intervalla inter iam existentes loculos occuparunt; alii, divites, qui novum curarunt effodiendum cubiculum retro

ipsius martyris sepulcrum, et tunc illud vocabatur cubiculum aut crypta *retro-sanctos: crypta nova retro sanctos.* Alii denique



Tab. 188. Cubiculum Pontificum
iuxta restitutionem M. S. De Rossi. (Coem. S. Callisti).

iuxta ipsam martyris arcam, aut in luna eius arcosolii locum quaesiere, non raro cum decorationis, picturarum operisve musivi ingenti destructione. Hinc epigraphicae expressiones: *Ad*



Tab. 189. Cubiculum S. Eusebii Papae. (Coem. S. Callisti).

sancta martura – ad sanctum Cornelium – ad Ippolitum – ad domnum Caium – ad sanctam Felicitatem – ad pedes Martini ad Medianum martyrem, etc.

Neque id proprium fidelibus Romae tuit tantum, sed viri sanctissimi et ubique eiusmodi sepulturas cum martyribus

exoptarunt. Sic S. Ambrosius, primum, sepulcrum fratris sui Satyris apud martyrem Nazarium paravit, ut ex epitaphio ab ipso composito patet;[1] deinde vero et sibi eodem in loco sepulturam habere curavit, cuius rei rationem ipse his verbis aperit: « Commendabiliorem Deo futurum esse me credam



Tab. 190. Cubiculum dictum S. Miltiadis Papae sedilibus instructum. (Coem. S. Callisti).

quod supra sancti corporis ossa quiescam ».[2] Nobilissima omnium sepultura eiusmodi fuit Sanctae Paulae sepulcrum; erat scilicet paratum *subter Ecclesiam*, ut ait S. Hieronymus, *et iuxta specum Domini.*[3]

Praeterea martyris sepulcro veluti ecclesiae instar conside-

(1) GRUTER, p. MCLXVII.
(2) *De excessu fratris sui Satyri*, l. I, § 18.
(3) Ep. LXXXVI.

rato, aliquando partes et tituli referuntur quae ecclesiae conveniunt. Sic quidam fossor hanc sibi inscriptionem paravit:

... ACCEPIT SEPVLCRVM INTRA LIMINA SANCTORVM QVOD MVLTI CVPIVNT ET RARI ACCIPIVNT (1)



Tab. 191. Cubiculum dictum Ss. Marci et Marcelliani nuper a Iosepho Wilpert detectum. (Coem. S. Callisti).

Limina sanctorum quoque legitur inter inscriptiones in pariete ductas apud cubiculum S. Crescentionis in Priscillae

(1) De Rossi, *Inscript. christ.* t. I, p. cvii.

coemeterio; et in ambulacro quod ante ingressum eius extenditur, quaedam sepulcralis inscriptio haec habet:

FELICISSIMVS ET LEOPAR*da* (*fecerunt* vel *emerunt*?)
BISOMVM AT CRISCENT*ionis* (*martyris*?)
INTROT*um*

Hic mos, igitur, qui communis fuit omnibus Christiani orbis regionibus, ut innumera pene epitaphia confirmant,[1] Romae ita omnem transgressus est modum, ut ipse papa Damasus tanto abusui repugnaverit; et in carmine quodam in Pontificum hypogeo adposito, ita scripserit:

HIC FATEOR DAMASVS VOLVI MEA CONDERE MEMBRA
SED CINERES TIMVI SANCTOS VEXARE PIORVM

Quibus in versibus non solum reverentiam ac quasi verecundum timorem erga martyres, necnon monitum ad fideles, verum etiam profundam pontificis humilitatem admiraberis.

At non omnes ita moderate ac modeste egerunt, et ideo quidam archidiaconus, Sabinus nomine, in suo sepulcro hos inscribendos versus curavit:

Nil iuvat immo gravat tumulis haerere piorum;
Sanctorum meritis optima vita prope est.
Corpore non opus est, anima tendamus ad illos,
Quae bene salva potest corporis esse salus.[2]

Quando autem basilicae et oratoria (martyria) super martyrum sepulcra constructa sunt, quando et antiquae cellae memoriae, quae in persecutione Diocletiani solo quidem fuerant aequatae, restauratae sunt ut frequentes recipere possent peregrinantes, tunc eas veluti subdialium coemeteriorum centra habuere fideles; neque solum in regionibus ubi coemeteria subterranea non fuere (scil. in Africa fere ubique, in Hispania,

(1) Cf. Dom. Cabrol, *Dictionn. d'archéol. chrét. et de liturg.* vol. I, *Ad sanctos*, coll. 490 sqq.

(2) *Bull. di arch. crist.* 1864, p. 33.



Tab. 192. Antiqua exedra triabsidalis in sanctuarium Christianum mutata. (Coem. S. Callisti).

in Galliis et alibi) sed etiam Romae, ubi ipsa ecclesiastica potestas paullatim propter praefatos abusos magis atque magis prohibuit, quominus martyrum sepulcra amplius vexarentur.

Tabula 192 frontem exhibet oratorii trichori quod I. B. De Rossi a S. Soteride appellavit. Circa illud sepulcra parata sunt (formae) hodie humo coopertae. Alteram et omnium antiquissimam subdialem basilicam babes in tabula 193.



Tab. 193. Antiquissima omnium basilica, tempore pontificis S. Fabiani constructa in formam exedrae trichorae, Ss. Syxti et Caeciliae vocata. « Status hodiernus ». (Coem. S. Callisti).

Ubi vero arcae adhibitae sunt (ut praesertim in Italia superiori et in Galliis), hae fere acervatim inveniuntur, et exemplum habes in tabula 188.

Sanctuaria ista non minus quam ipsae magnificentissimae urbanae basilicae frequentia erant; statutis diebus per ea processiones fiebant, et scimus schismaticos, post Damasi electionem, *per coemeteria martyrum stationes sine clericis celebrasse.* Coemeteria vero tunc temporis ipsae vocabantur basilicae, quod et super coemeteria extructae, et centra coemeteriorum subdialium essent.

Eodem tempore peregrinationes coeperunt, quarum praecipua meta Roma fuit. Harum sanctuaria suburbana vestigia notabilia adhuc servant, potissimum coemeterium Callisti. Ut naturale prorsus est hodieque fit ubique, pii visitatores saepe memoriam sui aditus in parietibus sanctuariorum reliquere, et in vestibulo hypogei pontificum adhuc inter alia multa haec leguntur:

FELIX PBR PECCATOR
SANCTE XVCTE (*Xyste*)
SANCTE SVSTE IN MENTE
HABEAS IN ORATIONE
SANCTE SVSTE IN MENTE HABEAS
IN HORATIONES AVRELIV REPENTINV
PETE PRO ME EVSTACHIVM
IERVSALE CIVITAS ET
ORNAMENTVM
MARTIRV *Domini*
CVIVS (1)

Notabilia sunt ista quae, eadem manu conscripta, diversis in locis apparent:

SOFRONIA VIVAS CVM TVIS
SOFRONIA VIVAS IN DOMINO
SOFRONIA DVLCIS SEMPER VIVES DEO
SOFRONIA VIVES ... (2)

(1) De Rossi, *Roma sott.* t. II, *Appendice*, pp. 381–384.

(2) «Non a caso, ait I. B. De Rossi, in queste acclamationi la formola, che da principio secondo l'uso solenne era ottativa, *vivas*, diviene ripetutamente affermativa *vives*. Il sublime addio, non dell'eterno *vale* pagano, ma della cristiana speranza e fiducia, *semper vives Deo*, è scritto propriamente in una delle due cripte, che l'esame architettonico e topografico del sotterraneo dimostra essere le ultime tra quelle, ch'erano aperte al pio pellegrinaggio nei secoli quarto e seguenti. Laonde il tenore medesimo di queste poetiche apostrofi, il loro fervore crescente, e la delicata variante della loro formula sostanziale assai bene s'accordano con la topografia del santuario, e da essa ricevono luce» (*Roma sott.* t. II, p. 15).

In regionibus per quas navigantes transibant, preces ad martyres bonam expetere solitae erant navigationem, et famosa est parva quaedam insula Archipelagi, Syra vocata, cuius rupes inscriptionibus coopertae sunt non solum Christianorum, sed et Hebreorum et paganorum navigantium. En una ex antiquioribus: Κύριε καὶ ἅγιε – Φωκὰ σοσον το(πλ)οῖον Μαρίαν καὶ τοῦς (π)λέοντας ἐν αυτο., *Domine et sancte Phoca, servate navim Mariam eosque in ea navigantes.* (1)

Inscriptio haec, mercatorum fortasse, cum alia consonat quae in coemeterio Callisti legitur, suntque ambae eiusdem temporis (saec. IV vel V):

P*etite Spirita* SANCTA
VT VERICVNDVS CVM SVIS
BENE NAVIGET (2)

Aliae praecipuae peregrinationum metae fuere loca sancta Palestinae et quaedam sanctuaria Aegyptia apud Alexandriam, ut ecclesia S. Marci, sanctuarium Ss. Cyri et Ioannis, ac praesertim S. Menae, in cuius honorem plura numerabantur sanctuaria etiam extra Aegyptum. Romae ecclesia huius sancti sita

(1) Cf. BAYET, *Revue archéologique*, novemb. 1876, pp. 287 sqq. Ut videtur agitur hic de S. Phoca Sinopense, quem navigantes ceu patronum iam inde a saeculo IV habebant; de qua veneratione haec pulcherrima narrat Asterius Amaseus: «Nautae ac qui sunt vectores, non solum qui transmittunt Pontum Euxinum, verum etiam qui secant mare Adriaticum ac qui referunt super Aegeum ... consueta celeusmata quibus navigationis labores recreant in novam martyris laudationem verterunt, totusque eis in ore est Phocas decantatus: quippe qui praesentis auxilii perspicua argumenta praebeat ... Quocirca nautis lege constitutum est, ut Phocam convivam habeant ... Quotidie enim aequam unam, pro comedentium ratione, partem martyri attribuunt. Eam autem unus aliquis e convivis emens deponit pecuniam, idem alter sequenti die, ac tertia alius, sorsque illa emptionis universos obiens, partis emptorem quotidie suggerit. Postquam autem portus eam exceperit, distribuitur famelicis collecta pecunia; idque pars Phocas est, pauperum beneficientia» (RUINART, *Acta sinc.* edit. *Amstaelod.* p. 512).

(2) DE ROSSI, *Roma sott.* t. II, pp. 17–18.

erat non longe a S. Pauli basilica atque in ea legimus Gregorium Magnum stationem fecisse et praedicasse. (1)

Mos sanctuaria adeundi etiam a dissitis regionibus origine paganus est, item et in parietibus sacris quaedam scribendi; non enim ab ethnicis templa et oracula deserebantur, quin memoria peregrinationis in eorum muris describeretur. Quin

Tab. 194. Ampulla testea S. Menae.
(Ex *Bull. d'arch. crist.* an. 1869, p. 44, n. 1).

et aliquid secum viator asportabat sanctuarii memoriale, parvam scilicet divinitatis statuam, vel ipsius templi imaginem.

Ita etiam apud Christiana sanctuaria officinae stabilitae erant ubi lampades, ampullae aliaeque testulae parabantur, non raro cum martyrum, apostolorumve effigie (Tabulae 194, 195), aut Domini passionis repraesentationibus signisque et symbolis fidei, ut in ampullis abbatis Ioannis quae Monzae adhuc servantur, et innumeris lampadibus in museis iacentibus. Ista semel a visitatoribus empta, olea repleta ponebantur ad sanctorum sepulcra

(1) M. Armellini, *Le chiese di Roma*, Romae, 1891, p. 927.

et exinde veluti relliquiae tollebantur. Quando autem quis poterat ipsum ad sepulcrum exardens oleum in ampullas colligere, hoc magnum erat privilegium; quod quidem factum est pro catholica regina Longobardorum Theodolinda, tempore Gregorii Magni.[1]

Famosae sunt ampullae S. Menae et propter earum formam et propter ingentem numerum. Ubique inveniuntur, atque anno praeterito triginta duae recognitae sunt ab illustri prof. Kirsch adservatae in museo Florentino.[2]

S. Menae ampullae quamdam in effigie specialem propriamque habent notam et facile a ceteris distinguuntur. Plerumque sanctus martyr ibi repraesentatur inter duos camelos (quod eius legendam revocat in mentem), aliquando cum huiuscemodi inscriptionibus: ΕΥΛΩΓΙΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΗΝΑ.[3]



Tab. 195. Ampulla testea cum effigie S. Petri. (Ex *Mem. de la Soc. des antiq. de France*, 1887, t. LVIII, p. 319, fig. 11).

(1) Nondum usuvenerat corpora sanctorum dividi, ut relliquiae auferrentur, vel transferri. Sic belle Gregorius Magnus, anno 594, cum Constantina Augusta ab eo caput S. Pauli efflagitasset, renuit morem gerere: «De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet quia, eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut civium repeterent? Quae ducta usque ad secundum Urbis milliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum eo exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, et in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt» (S. GREGORIUS, *Opera*, t. II, ep. 30, lib. 4, ind. 12, p. 707, Paris, 1705).

(2) *N. Bull. di arch. crist.* an. 1907, p. 211.

(3) *Bull. di arch. crist.* an. 1872, p. 30.

Inscriptio ΕΥΛΟΓΙΑ ΚΥΡΙΟΥ in ampullis legitur quae oleum ex lampade SS. Sacramenti depromptum continebant.

Ampullae ex Palestina provenientes seriem quamdam constituunt ab antiquissimis temporibus usque ad nostra fere aetatem. Id patet ex simplici earum pittaciorum examine:

De oleo sancto sabbato de iehrm. Scilicet haec phiala oleum lampadis ante Domini sepulcrum accensae continebat.

De loco ubi Χρς *captus fuit ante tempus suae passionis.*

De terra sanguiue Χρι *madefacta.*

Dove se reposò n° Sig. q. resuscitava Lazzaro.

Della pietra ove Χρο *suscitò il figlio della vedova.*(4)

Affabre praesertim elaboratae sunt ampullae Abbatis Ioannis, et maximi momenti pro artis Christianae historia; de earum autem pittaciis iam in fontibus locutus sum. En specimen quoddam:

Tab. 196.

Tab. 197.

At piae peregrinationes non semel impeditae fuere vel exturbatae a populis barbaris; et, quamvis non semel restaurata exornataque a pontificibus, martyrum sepulcra violata eorum-

(4) Conspicuam eorum collectionem habes apud Dom Cabrol, *Dictionnaire d'archéol. chrét. et de liturg.* vol. I, coll. 1735–1736.

que sanctuaria destructa fuere. Anno 410 Alaricus Urbem in gentibus thesauris expoliavit. (1) Idem plus minusve, anno 476, Odoacres fecit, qui praeterea imperium Occidentale destruxit.



Tab. 198. Cubiculum Pontificum. « Status hodiernus ». (Coem. S. Callisti).

At maximas attulerunt sanctuariis suburbanis ruinas Getae, anno 525, necnon deinde aedificiis Urbis; (2) quo turbine se-

(1) Ut ex auctoribus illius temporis patet, Romam civibus Alaricus non exhausit, neque templa destruxit; sed quidquid auri, argenti gemmarumque inveniri potuit barbarus ille abstulit. Cf. OROSIUS, lib. VII, c. 39 in *P. L.* t. XXXI, col. 1163; S. HIERONYMUS, *Ep.* LX *ad Heliodor.*, *Ep.* LXVI *ad Pammach.*, *Ep.* CXVIII *ad Iulian.*, *Ep.* CXXVII *ad Principiam.*; SOZOMEN. lib. IX, c. 10, in *P. G.* t. LXVII, col. 1617.

(2) « His diebus obsessa est civitas, ut nulli esset facultas exeundi vel introeundi. Tunc omnes possessiones privatae vel fisci vel ecclesiae incendio consumptae sunt; homines vero gladio interempti sunt: quos gladius, gladius, quos famis, famis, quos morbus, morbus interficiebat. Nam et ecclesiae et corpora martyrum sanctorum exterminatae sunt a Gothis » (MOMMSEN, *Gesta Rom. pont.*: LX. *Silverius*, p. 145).

dato, coepit pontifex Vigilius martyrum sepulcra restituere, posuitque in coemeterio Ss. Petri et Marcellini, ad futuram rei memoriam, hanc inscriptionem, cuius aliquod fragmentum hodie in museo Lateranensi asservatur.

CVM PERITVRA GETAE POSVISSENT CASTRA SVB VRBE
MOVERVNT SANCTIS BELLA NEFANDA PRIVS
ISTAQVAE SACRILEGO VERTERVNT CORDE SEPVLCHRA
MARTYRIBVS QVONDAM RITE SACRATA PIIS
QVOS MONSTRANTE DEO DAMASVS SIBI PAPA PROBA'IOS
AFFIXO MONVIT CARMINE IVRE COLI
SED PERIIT TITVLVS CONFRACTO MARMORE SANCTVS
NEC TAMEN HIS ITERVM POSSE PERIRE FVIT
DIRVTA VIGILIVS NAM MOX HAEC PAPA GEMISCENS
HOSTIBVS EXPVLSIS OMNE NOVAVIT OPVS

Getarum post receptum, Roma aliquandiu interquievit. Pontifice Gregorio Magno sanctuaria frequentia fuere, non solum Romae sed et in Palestina; quod tamen longo tempore non perduravit.

Pontifex Honorius I multa exornavit templa et sanctuaria,[1] et plura corpora martyrum ex subterraneis coemeteriis in subdialias basilicas transferenda curavit: unde distinctio quae in *Itinerariis* peregrinorum invenitur inter martyres *sursum* in basilicis, et *deorsum* in cryptis positos. Ex eo initium sumpserunt martyrum translationes. Anno 757, pontifex Paulus I magnam e catacumbis asportavit relliquiarum copiam, una cum corpore S. Tarsitii, ad ecclesiam *S. Sylvestri in Capite* consecrandam, erectam nempe ubi eius domus fuerat.[2] Adhuc in vestibulo huius ecclesiae extat quidam martyrum catalogus seu *Notitia nataliciorum Sanctorum Martyrum*, posteriori aetate re-

(1) *Liber pontificalis*: LXXII. *Honorius.*

(2) Consecratio ecclesiae, iuxta Romana sacramentaria, in relliquiarum depositione praecipue consistebat. Cf. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, c. XII, pp. 399 sqq. Vide meum opusculum: *Nonnulla de symbolismo liturgico*, Romae, 1907, extractum ex *Ephemeridibus liturgicis* eiusdem anni.

dactus, proferens, una cum nominibus, etiam eorum festorum dies.

In Libro pontificali, Hadrianus I legitur multum fecisse ut coemeteriis suburbanis et pretiosum depositum relliquiarum servaretur, et magis in dies augeretur erga ea pia Romanorum populorumque peregrinantium veneratio. Quin, ipse morem celebrandi martyrum anniversaria in coemeteriis ad pristinam celebritatem voluit revocare, sed omnes pontificis conatus eiusque successoris Leonis III felicem non habuerunt exitum. Ob quam rem Paschalis I, anno circiter 817, iterum translationes martyrum capessivit; melius enim erat ut gloriosae relliquiae digne debitaque devotione in basilicis asservarentur, potius quam derelictae manerent in coemeteriis rapinis et destructioni obnoxiis. (1) Neque defuere qui relliquias exteris venderent, inter quos famosus est quidam diaconus Deusdona cui, ut videtur, coemeterium Ss. Petri et Marcellini administrandum concreditum fuerat.

In translatione deinde martyrum papa Leo IV feliciter perrexit, praesertim circa coemeterium S. Priscillae. At etiam suis thesauris expoliatae, catacumbae non prorsus in oblivionem ceciderunt; adhuc enim saeculo IX adibantur, et non mediocres restaurationes hic illic factae sunt, praesertim a pontifice Nicolao I; denique sacra ibi aliquando fiebant. Transacto autem saeculo X, omnes hae Christianae memoriae silentio et solitudine obrutae sunt, et parum illud quod a Getis et Longobardis dextrui nequiverat temporis ruinae confecerunt.

Cum vero, etsi in tanta oblivione, aliqua tamen coemeteria apud praecipuas vias semper cognita et visitata permansissent, omnes Christianae memoriae ad vias pertinentes proximas coemeteriis illis paullatim adscriptae sunt; unde coemeterium S. Sebastiani, exempli gratia, in via Appia, modo coemeterium Callisti, modo coemeterium Praetextati et etiam coemeterium Domitillae, quod est in via Ardeatina, appellatum est.

(1) Cf. *Monumenta Germaniae historica, Scriptorum*, XV 1; GUIRAUD, *Le commerce des reliques*, ap. I. B. DE ROSSI, *Mélanges*, 1892.

Praeter catacumbas S. Sebastiani, cognita semper fuere parva coemeteria S. Laurentii, S. Pancratii et S. Valentini. De privatis vero qui, saeculis XV et XVI quasdam Romae subterraneae regiones lustraverunt, (1) iam satis abunde in fontibus dixi.

(1) Supra, pp. 54-60.



APPENDIX

ROMANORUM COEMETERIORUM ITINERARIA

I. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	II. ITINERARIUM Ex unico codice Salisburgensi	III. EPITOME LIBRI *De locis sanctorum martyrum* e codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato	IV. *NOTITIA portarum, viarum, ecclesiarum* circa urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	V. INDEX Ccemeteriorum e libro *Mirabilium urbis Romae*
INTRA VRBEM				
PITTACIUM AMPULLAE Scs Ys...lon, scs Iohannis et Paulus (*vide viam Nomentanam*).	INDEX OLEORUM Scorum Iohannis et Pauli.	Primum in urbe Roma beatorum martyrum corpora Iohannis et Pauli tamen (1) quiescunt in basilica magna et valde formosa. (1) *Fortasse* tantum.	Basilica, quae appellatur Iohannis et Pauli, ubi ipsi ambo in uno tumulo iacent. Basilica s. Bonifacii martyris, ubi ipse dormit.	Intra urbem in monte Coelio sunt martyres Ioannes et Paulus in sua domo quae facta est ecclesia post eorum martyrium, et Crespinus et Crespinianus et s. Benedicta. In eodem monte est ecclesia s. Stephani protomartyris, et ibi reconditi sunt martyres Primus et Felicianus; in monte Aventino s. Bonifatius et in monte Nola s. Taciana pausant.	Coemeterium ad Ursum pileatum ad s. Bibianam.

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
MINIA			
Secunda porta Flaminea, quae modo appellatur s. Valentini, et Flaminea via et cum ad pontem Molbium pervenit vocatur via Ravennana quia ad Ravennam ducit. Ibi in primo milliario foris s. Valentinus in sua ecclesia requiescit.	In via Flaminea foris murum in dextera s. Valentini, in sinistra Tiberis.		
ET CLIVVS CVCVMERIS			
Tertia porta Porticiana (*lege* Pinciana) et via eodem appellata, sed cum pervenit ad Salariam nomen perdit; et ibi prope in eo loco qui dicitur Cucumeris requiescunt martyres Festus, Iohannes, Liberalis, Diogenes, Blastus, Lucina et in uno sepulcro CCLX (*alii* CCXXXX) et in altero XXX. Quarta porta et via Salaria, quae modo s. Silvestri dicitur. Ibi iuxta viam s. Hermes requiescit et s. Vasella et Protus et Iacintus, Maximilianus, Herculanus, Crispus, et in altero loco prope requiescunt sancti martyres Pamphilus et Quirinus LXX gradibus in imo terrae.	*Topographia* In via Pinciana extra civitatem in (sinistra) s. Basilisse s. Proti et Iacinthi, s. Hermetis: in dextera s. Pamphili, s. Ioannis caput. — *Fragmenta* In via Pincia Pamphilus, Basilissa, Protus, Iacinthus, Hermes. Ubi dominus coecum illuminavit, arcus, murus.	§ 79. Basilicam coemeterii ss. martyrum Hermetis, Proti et Hyacinthi atque Basillae mirae magnitudinis innovavit. Coemeterium vero s. Felicitatis etc. (*vide hic in Salaria nova*).	Coemeterium s. Hermetis et Domitillae (*Petrus Mallius addit:* est foris portam Pincianam, ubi est ecclesia s. Hermetis martyris). Coemeterium s. Marcelli via Salaria vetere (*e libro Benedicti canonici*).

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			VIA FLA
		Deinde intrabis per urbem ad aquilonem, donec pervenies ad portam Flamineam, ubi s. Valentinus martyr quiescit via Flaminea in basilica magna, quam Honorius reparavit, et alii martyres in aquilone plaga sub terra.	K Inde prope (*i. e. prope ecclesiam s. Ioannis ad clivum Cucumeris*) iuxta viam Flamineam apparet ecclesia mirifice ornata s. Valentini martyris, ubi ipse corpore iacet et multi sancti ibidem sunt sepulti (*Interpolator ex itinerario addidit* in aquilonali plaga).
			VIA SALARIA VETVS
Coemeterium ad septem Columbas ad caput s. Ioannis in clivum Cucumeris. Coemeterium Basillae ad s. Hermen via Salaria.	PITTACIA AMPULLARUM *Sca Felic*itas *cum.. scs Bonifat*ius scs Hermis, *scs Pro*tus.... scs Crispus *scs Her*culan*us*.. — ... Scs Systus, scs Liberalis... *scs* Blastro et multa milia s... alii CXXII et alii sci XLV...	INDEX OLEORUM Sce Felicitatis Cum septem filios suos sci Bonifati sci Hermitis sci Proti sci Iacynti sci Maximiliani scs Crispus scs Herculanus scs Bauso sca Basilla — sci I*oha*nnis sci *Li*beralis sce Lucinae *sci Bl*astro et multorum scorum, *sed et* alii sci id est CCLXII *in unum* locum et alii CXXII *et alii sci* XLVI quos omnes Iustinus prb colliga *sci Laur*enti martyris sepelivit.	Deinde vadis ad orientem donec venias ad ecclesiam Iohannis martyris via Salinaria, ibi requiescit Diogenus martyr et in altero cubiculo Bonifacianus, et Fistus martyr sub terra, sub terra Blastus martyr: deinde Iohannis martyr, postea Longuinus martyr. Deinde vadis ad australem via Salinaria donec venies ad s. Ermetem, ibi primum pausat (in) bas (ilica? Bas) silissa virgo et martyr, in altera et martyr Maximus et s. Ermes martyr longe sub terra. Et in altera spelunca Protus martyr et Iacintus, deinde Victor martyr. Postea eadem via pervenies ad s. Pampulum martyrem XXIII gradibus sub terra.	K Inde haud procul (*i. e. ab ecclesia sancti Michaelis mill. VII*) in occidente iuxta viam eandem (*i. e. Salariam: vox* eandem *est ab interpolatore*) in cryptis sub terra LXXX gradibus s. Pamphilus et s. Candidus, sanctusque Cyrinus cum multis martyribus jacet. K Et inde in occidentem tendentibus apparet basilica s. Ermes ubi ipse martyr iacet (longe in terra: *haec interpol. ex itinerario*). Ibi sunt s. Crispus et s. Herculanus et s. Maximilianus et s. Basilessa et s. Iacintus. (K In altera spelunca s. Iacintus *interp. et itin.*) et s. Protus (s. Victor *interp. ex itin.*) et s. Leopardus cum multis martyribus sepulti. K Inde non longe est in occidente ecclesia s. Iohannis martyris, ubi caput eius in alio loco sub altare ponitur, in alio corpus: ibi s. Diogenes et s. Fistus (*cod. Wirc.* Sistus) et s. Liberatus et s. Blastus et s. Maurus et s. Longina mater Iohannis sunt sepulti (et alii mille CCXXII martyres, *singulari manu additum*).

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*

RIA NOVA

Deinde (*vide Salariam veterem*) basilica s. Felicitatis, ubi requiescit illa et Silanus filius eius et non longe Bonifatius martyr. Ibidem in altera ecclesia sunt Crisantus et Daria et Saturninus et Maurus et Iason et mater eorum Hilaria et alii innumerabiles. Et in altera basilica s. Alexander, Vitalis, Martialis filii s. Felicitatis. Et sanctae VII virgines Saturnina, Hilarina, Dominanda, Rogantina, Serotina, Paulina, Donata. Deinde basilica s. Silvestri ubi iacet marmoreo tumulo coopertus et martyres Caelestinus, Philippus et Felix et ibidem martyres CCCLXV in uno sepulcro requiescunt, et prope Paulus et Crescentianus, Prisca et Semetrius, Praxedis, Potentiana pausant.

In via Salaria extra civitatem in (sinistra) s. Saturnini: in dextera s. Felicitatis cum septem filiis.

§ 79. Coemeterium s. Felicitatis via Salaria una cum ecclesiis s. Silvani martyris et s. Bonifacii confessoris atque pontificis uno cohaerentes solo mirae restauravit magnitudinis. Sed et basilicam s. Saturnini in praedicta via Salaria positam una cum coem. ss. Chrysanthi et Dariae renovavit atque coemeterium s. Hilariae innovavit. – § 80. Immo et coem. Iordanorum, videlicet ss. Alexandri et Vitalis et Martialis martyrum, seu ss. septem Virginum a novo restauravit. Pariter in eadem via Salaria coem. s. Silvestri confessoris atque pontificis aliorumque sanctorum multorum in ruinis positum renovavit.

Coemeterium Priscillae ad pontem Salarium.

Coemeterium ad clivum cucumeris.

Coemeterium Thrasonis ad s. Saturninum.

Coemeterium s. Felicitatis.

(*Coem. ad clivum cucumeris hic falso positum; pertinet ad Salariam veterum*).

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato

VIA SALA

Coemeterium Priscillae ad s. Silvestrum via Salaria.

Coemeterium Iordanorum ad s. Alexandrum via Salaria.

Coemeterium Thrasonis ad s. Saturninum via Salaria.

PITTACIA AMPULLARUM

Sedes ubi prius sedit scs Petrus *ex oleo scs Vitalis, scs Alexander*, scs Martialis, scs Marcell*us, sci* Silvestri, sci Felicis, sci Filippi et alio*rum multorum* scorum.

—

Scs Grisantis scsqn Darias, scs Maurus, *scs Iason* et alii sci multa milia *sci* Saturnini et *scs*...a(u)pinio.

—

Sca Felicitas, cum ...scs Bonifatius, scs Hermis etc. *(vide Salariam veterum).*

INDEX OLEORUM

Oleo de sede ubi prius sedit
scs Petrus
sci Vitalis
sci Alexandri
sci Martialis
scs Marcellus
sci Silvestri
sci Felicis
sci Filippi et aliorum mult. scor.

—

sci Grisanti
sce Dariae
sci Mauri
sci Iason
et alii sci multa milia
sci *Saturnini*
sci *Tipinionis*

—

Sce Felicitatis cum septem filios suos
sci Bonifati
sci Hermitis etc. *(vide Salariam vet).*

Deinde venies ad s. Felicitatem altera via, quae similiter Salaria dicitur, ibi illa pausat in ecclesia sursum et Bonifacius pp. et martyr in altero loco et filii (*lege* filius) eius sub terra deorsum. Deinde eadem via pervenies ad ecclesiam s. Saturnini papae et martyris: in altera ecclesia Daria virgo et martyr pausat et Crisanti martyr. Postea pervenies eadem via ad speluncam ubi s. Hilaria martyr: deinde eadem via ad s. Alexandrum martyrem, ibi pausant Theodolus et Eventus (1) et longe in interiore spelunca Alexander martyr requiescit. Postea ascendens eadem via ad s. Silvestri ecclesiam ibi multitudo sanctorum pausat: primum Silvester sanctus papa et confessor et ad pedes eius s. Syricus papa et in dextera parte Celestinus papa et Marcellus episcopus; Philippus et Felix martyres et multitudo sanctorum sub altare maiore et in spelunca Crescencius martyr, et in altera s. Prisca martyr et Fimitis pausat in cubiculo quando exeas et in altera s. Potenciana martyr et Praxidis.

(1) Cf. De Rossi, *Roma sott.*, t. I, pag. 149.

K Iuxta viam Salariam ecclesia est s. Felicitatis ubi ipsa iacet corpore, ibi et Sillanus filius eius unus de VII est sepultus et Bonifacius (papa *interp. ex itin.*) cum multis martyribus dormit (*alia manus addit* in alia quoque ecclesia s. Chrisantus et Daria virgo et LXII martyres): propeque ibi s. Alexander et s. Vitalis sanctusque Martialis, qui sunt tres de septem filiis. Felicitatis, cum multis martyribus iacent (ibi in interiore spelunca s. Theodolus et Eventus *interp. ex itin.*), Ibi et VII virgines id est s. Saturnina et s. Hilaria, s. Dominanda, s. Serotina, s. Paulina, s. Donata, s. Rogantina requiescunt. K Iuxta eandem viam Salariam s. Silvester requiescit (ad pedes eius s. Siricius papa *interp. ex itin.*) et alii quamplurimi id est s. Caelestinus, s. Potentiana, s. Praxedis, s. Marcellus (eps *interp. ex itin.*), s. Crescentianus, s. Maurus, s. Marcellinus, s. Prisca (s. Fimitis *interp. ex itin.*), s. Paulus, s. Felicis unus de septem, s. Philippus unus de septem, s. Semetrius, et in una sepultura CCCLXII (*al.* CCCLXV) (sub altare maiore *interp. ex itin.*). Per eandem quoque viam venitur ad ecclesiam s. Michaelis septimo milliario ab Urbe.

V. *NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum* circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	VI. TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	VII. EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	VIII. INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
MENTANA			
Quinta porta Numentana. Ibi s. Nicomedes presbyter et martyr, itemque via eodem modo dicitur. Iuxta viam s. Agnetis et ecclesia et corpus, in altera ecclesia s. Emerentiana et martyres Alexander, Felix, Papias. In septimo milliario eiusdem viae s. papa Alexander cum Eventio et Theodulo pausant.	In via Numentana foris murum in sinistra s. Agnes, in dextra s. Nicomedis.	§ 85. Ecclesiam beatae Agnetis martyris seu basilicam beatae Emerentianae, pariter et ecclesiam beati Nicomedis, sitam foris portam Numentanam..., quae a priscis marcuerant temporibus, a novo renovavit.	Coemeterium sanctae Agnetis. Coemeterium fontis sancti Petri.
BVRTINA			
Sexta porta et via Tiburtina, quae modo dicitur s. Laurentii, iuxta hanc viam iacet s. Laurentius in sua ecclesia et Habundius martyr. Et ibi prope in altera ecclesia pausant hi martyres, Ciriaca, Romanus, Iustinus, Crescentianus, et ibi non longe Ipolitus vel basilica s. Ippolyti, ubi ipse cum familia sua pausat, id est XVIII (*al.* XXVIII). Et ibi requiescunt beata Triphonia uxor Decii et filia eius Cirilla et Concordia nutrix eius. Et in altera parte viae illius est ecclesia (*al.* basilica) Agapiti martyris.	In via Tiburtina foris murum in sinistra s. Ypoliti, in dextera s. Laurentii.	§ 75. Basilicam s. Laurentii martyris, ubi sanctum corpus eius quiescit, adnexam basilicae maiori, quam dudum isdem praesul construxerat, ultro citroque a novo restauravit. Immo et ecclesiam s. Stephani iuxta eam sitam, ubi corpus s. Leonis episcopi et martyris quiescit, similiter undique renovavit una cum coemeterio beatae Cyriacae seu adscensum eius. – § 85. Coemeterium beati Hyppolyti martyris iuxta s. Laurentium... a novo renovavit.	Coemeterium in agro Verano ads. Laurentium.

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpol
			VIA
pittacium periit	INDEX OLEORUM Sce Agnetis et aliarum multarum martyrum. Sci Y ...tion *(incertum est, utrum hoc nomen spectet viam Nomentanam).*	Et postea vadis ad orientem quousque pervenies ad s. Emerentianam martyrem quae pausat in ecclesia sursum et duo martyres in spelunca deorsum Victor et Alexander. Deinde via Numentana ad ecclesiam s. Agnae quae formosa est, in qua sola pausat et ipsam episcopus Honorius miro opere reparavit.	K Iuxta viam Numen nam est s. Nicomedes iuxta eandem viam basi s. Agnes mirae pulchrit nis ubi ipsa corpore ia propeque ibi soror eius E rentiana: in alia tamen silica dormit. Ibi quo (in) singulari ecclesia Cc tantia Constantini filia quiescit; sanctusque xander, s. Felicis, s. Pa s. Victor et alii multi dormiunt.
			VIA
pittacium periit	INDEX OLEORUM Sci Systi Sci Laurenti Sci Yppoliti	Postea illam viam demittis et pervenies ad s. Ypolitum martyrem qui requiescit sub terra in cubiculo, et Concordia mulier eius martyr ante fores, altero cubiculo s. Triphonia regina et martyr, et Cyrilla filia eius et martyr, quas meditus *(Lege Messius: antiqua manus in margine scripsit Cladius)* Decius interfecit uxorem et filiam, et s. Genisius martyr. Postea pervenies ad ecclesiam s. Laurentii, ibi sunt magnae basilicae duae in quarum quis speciosiorem et pausat, et est parvum cubiculum extra ecclesiam in hoc occidentur *(haec corrupta sunt* (1). Ibi pausat s. Abundius et Herenius	K Iuxta viam tiburti (prope murum civitatis clesia est s. Ianuarii scopi et martyris, eadem via) (1) ecclesia est s. piti multum honorabilis tyrum corporibus. K prope eandem viam ecc est s. Laurentii maior qua corpus eius primum rat humatum, et ibi ba nova mirae pulchritud ubi ipse modo requie Ibi quoque sub eoden tare Abundus est depo et foris in portico lapi qui aliquando in collo dem Abundi pendebat i teum missi: ibi Here Iulianus, Primitivus, teus, Nemeseus, Euge Iustinus, Crescentianus, manus sunt sepulti, et s. riaca, s. Simferosa et tina cum multis marty sunt sepulti. K Inde i ream sursum in mont
		(1) Cf. De Rossi, *Roma sott.*, t. I, p. 139.	(1) *Verba intra par ses clausa alia manu a*

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeterioram e libro *Mirabilium Urbis Romae*

BVRTINA

BICANA

Septima porta modo Maior dicitur, olim Sirucrana (*al.* Siracusana *lege* Sessoriana) dicebatur et via Lavicana dicitur, quae ad beatam Helenam tendit. Ibi sunt prope Petrus, Marcellinus, Tiburtius, Geminus, Gorgonius, et quadraginta milites et alii innumerabiles, et non longe sancti quatuor coronati.

In via Praenestina foris murum in dextera forma Claudiana, in sinistra s. Helena, s. Marcellinus et Petrus.

§ 50. Coemeterium beatorum Petri et Marcellini via Lavicana iuxta basilicam beatae Helenae renovavit et tectum eius, id est s. Tiburtii et eorumdem sanctorum Petri et Marcellini noviter fecit, et gradus eius, qui descendunt ad eorum sacratissima corpora, noviter fecit, quoniam nullus erat iam descensus ad ipsa sancta corpora.

Coemeterium inter duos Lauros ad s. Helenam.

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			Segue **VIA TI**
		martyr via Tiburtina; et ibi ille lapis quem tollent digito multi homines nescientes quid faciunt. Et in altera ecclesia sursum multi martyres pausant. Prima est Cyriaca sancta vidua et martyr, et in altero loco s. Iustinus, et iuxta eum s. Crescentius martyr et multitudo sanctorum, longe in spelunca deorsum s. Romanus martyr. Postea ascendes ed ecclesiam s. Agapiti martyris et diaconi s. Syxti papae.	silica s. Hippolyti est, ubi ipse cum familia sua tota XVIII martyres iacet. Carcer ibi est in quo fuit Laurentius. Ibi est Triphonia uxor Decii Caesaris et Cyrilla filia eius: inter utrasque Concordia et s. Geneseus, et multi martyres ibi sunt.
			VIA LA
Coemeterium ad duos Lauros ad ss. Petrum et Marcellinum via Labicana.		Ad Helenam via Campana multi martyres pausant. In aquilone parte ecclesia Helenae primus Tiburtius martyr. Postea intrabis in speluncam ibi pausant ss. martyres Petrus presbyter et Marcellinus martyr. Postea in interiore antro Gorgonius martyr, et multi alii, et in uno loco in interiore spelunca XL martyres, et in altero XXX martyres, et in tertio IIII coronatos et s. Helena in sua rotunda.	K Iuxta vero Lavicanam ecclesia est s. Helenae ubi ipsa corpore iacet. Ibi sancti isti dormiunt, Petrus, Marcellinus, Tiburtius, ss. XXX milites, Gorgonius, Genuinus, Maximus, IV Coronati id est Claudius, Nicostratus, Simpronianus, Castorius, Simplicius: ibi et in cryptis sub terra innumera martyrum multitudo sepulta iacent (K Iuxta viam vero Praenestinam iuxta aquaeductum ecclesia est s. Stratonici episcopi et martyris, et S. Castoli, quorum corpora longe sub terra sunt sepulta. (*Haec verba alia manu addita*).

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*

TINA

Octava porta s. Ioannis quae apud antiquos Asserania (*al.* Assenarica, *lege* Asinaria) dicebatur. Nona porta Metrosa (*lege* Metrovia) dicitur et coram istis ambabus via Latina iacet Decima porta et via Latina dicitur. Iuxta eam requiescunt in una ecclesia martyres Gordianus et Epimacus, Sulpicius, Servilianus, Quintus, Quartus, Sophia, Tryphenus, et ibi prope in alio loco Tertullinus et non longe ecclesia beatae Eugeniae, in qua iacet et Claudia mater eius, et Stephanus papa cum clero suo numero XIX et Nemesius diaconus.	In via Latina extra civitatem in sinistra oratorium s. Mariae, s. Gordiani; in dextera s. Ianuarii, oratorium s. Sixti, s. Eugenia, ad s. Theodorum (*vide viam Appiam*).	§ 78. Basilicam s. Eugeniae tam intus quamque foris a novo restauravit. Simili modo et basilicam s. Gordiani atque Epimachi, seu coemeterium eiusdem ecclesiae, Simplicii et Serviliani, atque Quarti et Quinti martyrum, et beatae Sophiae una cum coemeterio s. Tertullini foris portam Latinam a novo in integrum renovavit.	Coemeterium Gordiani foris portam Latinam.

PIA

Undecima porta et via dicitur Appia. Ibi requiescunt s. Sebastianus et Quirinus, et olim ibi requieverunt apostolorum corpora. Et paulo propius Roman sunt martyres Ianuarius, Urbanus, Xenon, Quirinus, Agapitus, Felicissimus. Et in altera ecclesia Tiburtius, Valerianus, Maximus, nec longe ecclesia s. Ceciliae martyris; et ibi reconditi sunt Stephanus, Sixtus, Zefferinus, Eusebius, Melchiades, Marcellus, Eutichianus, Dionysius, Antheros, Pontianus, Lucius papa, Optatus, Iulianus, Calocerus, Parthenius, Tharsitius, Policamus, (*al.* Politanus) martyres. Ibidem ecclesia s. Cornelii et corpus. Et in altera ecclesia sancta	*Fragmentum I.* In via Appia. Soter, Xistus, Urbanus, Marcellianus et Marcus, Ianuarius et eeclesia ubi decollatus est Xistus, Sebastianus (*vide viam Ardeatinam*). *Fragmentum II.* Inde (*id est a ss. Marco et Marcelliano*) ad s. Soterum, inde ad s. Sixtum: ibi et s. Favianus et Antheros et Miltiades; inde ad s. Cornelium; inde ad s. Sebastianum. Inde	§ 76. Ecclesiam apostolorum foris portam Appiam milliario tertio in loco, qui appellatur Catacumbas, ubi corpus beati Sebastiani martyris cum aliis quiescit, in ruinis praeventam a novo restauravit. – § 78. Ecclesiam beati Tiburtii et Valeriani atque Maximi, seu basilicam s. Zenonis una cum coemeterio ss. Urbani pontificis, Felicissimi et Agapiti atque Ianuarii et Cyrini martyrum foris portam Appiam uno cohaerentes loco, quae ex priscis marcuerant temporibus, a novo restauravit.	Coemeterium Calisti iuxta Catacumbas. Coemeterium Praetextati inter portam Appiam... ad s. Apollinarem.

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			VIA LA
		Deinde pervenies ad s. Gordianum martyrem, cuius corpus requiescit sub altare magno in ecclesia s. Epimachi, et Quintus et Quartus martyres iuxta ecclesia(m) in cubiculo pausant, et longe in antro Trofimus martyr. Deinde pervenies eadem via ad speluncam, hic requiescit (1) eadem via s. Eugenia virgo et martyr in cubiculo ecclesiae pausat, et in altero loco Emisseus martyr. (1) *Hic aliqua desiderantur.*	K Iuxta viam vero Latinam ecclesia est s. Gordiani, ubi ipse cum fratre Epimacho in una sepultura. Ibi quoque Quartus et Quintus: ibi Sulpitius et Servilianus et s. Sophia et Trophimus cum multis martyribus sepulti dormiunt. K Et iuxta eandem viam Tertulliani est basilica, ubi ipse cum multis martyribus iacet. Ecclesia quoque s. Eugeniae iuxta eam viam est, ubi ipsa cum matre sua in uno tumulo iacet: ibi s. Stephanus papa cum toto clero suo numero XXVIII martyres: ibi s. Nemesus, s. Olimphius, s. Simpronius, S. Theod - lus, s. Snperius, s. Obloteris, s. Tiburticanus martyres sunt sepulti (et eadem via ecclesia est s. Stephani protomartyris: *additum alia manu*).
			VIA AP
Coemeterium Praetextati ad s. Ianuarium via Appia. Coemeterium Catacumbas ad s. Sebastianum via Appia. Coemeterium Calisti ad s. Xystum via Appia.	PITTACIA AMPULLARUM ... *Sca Sapi*entia, sca Spes, sca Fides, sca *Caritas*, *sca* Caecilia, scs Tarsicius, *scs Cornelius et* multa milia sanctorum. *Sci Sebasti*ani, scs Eutycius, scs Quirinus, *scs Va-l*erianus, scs Tiburtius, scs Ma*ximus*, *scs Urba-n*us, scs Ianuarius.	INDEX OLEORUM Sce *Sath*eris Sce *Sapien*tiae Sce Spei Sce Fides Sce *Caritat*is Sce *Cecili*ae Sci Tarsicii Sci Cornilii et multa milia sanctorum. Sci Sevastiani Sci Eutycii Sci Quirini Sci Valeriani Sci Tiburti Sci Maximi Sci Orbani Sci Ianuari	Postea pervenies via Appia ad s. Sebastianum martyrem, cuius corpus iacet in inferiore loco, et ibi sunt sepulcra apostolorum Petri et Pauli, in quibus XL annorum requiescebant. Et in occidentali parte ecclesiae per gradus descendis ubi s. Cyrinus papa et martyr pausat. Et eadem via ad aquilonem ad ss. martyres Tiburtium et Valerianum et Maximum. Ibi (intrabis in speluncam magnam et ibi *addita in margine*) invenies s. Urbanum episcopum et confessorem, et in al-	K Iuxta viam Appiam in orientali parte civitatis ecclesia est s. Suteris martyris, ubi ipsa cum multis martyribus iacet, et iuxta eandem viam ecclesia est s. Syxti papae ubi ipse dormit Ibi quoque et Caecilia virgo pausat, et ibi s. Tarsicius et s. Geferinus in uno tumulo iacent, et ibi s. Eusebius et s. Colocerus et s. Parthenius per se singuli iacent et DCCC martyres ibidem requiescunt. K Inde haud procul in coemeterio Calisti Cornelius et Cyprianus in ecclesia dormiunt. (Et in allera spelunca s. Calocerus diaconus: *alia manu additum*).

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
PIA			
Soteris, et non longe pausant martyres Hippolitus, Adrianus, Eusebius, Maria, Martha, Paulina, Valeria, Marcellus; et prope papa Marcus in sua ecclesia.	revertendo per viam Appiam ad ecclesiam ubi s. Syxtus cum suis diaconibus decollatus est. *Topographia (vide viam Latinam).* In eadem via (*Appia*) extra civitatem in sinistra ad s. Ianuarium, ubi Syxtus martyrizatus est, s. Eugenia, ad s. Theodorum. In dextera s. Petronella Nerei et Achillei, Marei et Marcelliani, ad s. Soterum, s. Cornelii, Xisti, Faviani, Antheros, et Militiadis, ad s. Sebastianum (*vide viam Ardeatinam*).		
DEATINA			
Inter viam Appiam et Ostiensem est via Ardeatina, ubi sunt Marcus et Marcellianus, et ibi iacet Damasus papa in sua ecclesia. Et non longe s. Petronilla et Nereus et Achilleus et alii plures.	*Fragmentum I.* In via Appia. Soter, Xistus, Urbanus, Marcellianus et Marcus, Ianuarius etc. (*Horum nominum ordo perturbatus: vide fragmentum II et viam Appiam*).		Coemeterium Balbinae via Ardeatina. Coemeterium Iordanorum, Nerei et Achillei via Ardeatina. (*Utrumque coem. e libro Benedicti canonici: sed vox* Iordano-

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato

Segue **VIA AP**

			tero loco Felicissimum et Agapitum martyres et diaconos Syxti, et in tertio loco Cyrinum martyrem, et quarto Ianuarium martyrem. Et in tertia ecclesia rursum (*lege* sursum) s. Synon martyr quiescit. Eadem via ad s. Caeciliam, ibi innumerabilis multitudo martyrum. Primus Syxtus papa et martyr, Dionisius papa et martyr, Iulianus papa et martyr, Flavianus martyr, s. Caecilia virgo et martyr, LXXX martyres ibi requiescunt deorsum. Geferinus papa et confessor sursum quiescit. Eusebius papa et martyr longe in antro requiescit, Cornelius papa et martyr longe in antro altero quiescit. Postea pervenies ad s. virginem Soterem et martyrem (eadem via venis ad ecclesiam parvam ubi decollatus est s. Xystus cum diaconibus suis: *addita in margine*), cuius corpus iacet ad aquilonem.	K Iuxta eandem viam quoque ecclesia est multorum sanctorum, id est Ianuarii, qui fuit de septem filiis Felicitasis maior natu, Urbani, Agapiti, Felicissimi, Cyrini, Zenonis, fratris Valentini, Tiburtii, Valeriani (et Maximi: *additum alia manu*), et multi martyres ibi requiescunt. K Et iuxta eandem viam ecclesia est s. Sebastiani martyris ubi ipse dormit ubi sunt sepulturae apostolorum in quibus XL annos quieverunt. Ibi quoque et Cyrinus martyr est sepultus.

VIA AR

Coemeterium Domitillae, Nerei et Achillei ad s. Petronillam via Ardeatina.	PITTACIUM AMPULLAE Sca Petronilla, scs Nereus, scs Acilleus, scs Damasus, scs Marcellinus, scs Marcus.	INDEX OLEORUM Sce Petronillae filiae sci Petri Aposto. Sci Nerei Sci Damasi Sci Marcelliani *Sci Acillei* *Sci Marci*	Et dimittis viam Appiam et pervenies ad s. Marcum papam et martyrem, postea ad s. Damasum papam et martyrem via Ardeatina, et ibi in altera ecclesia invenies duos diaconos et martyres Marcum et Marcellia-	K Iuxta viam Ardeatinam ecclesia est s. Petronellae; ibi quoque s. Nereus et s. Achilleus sunt et ipsa Petronella sepulti. K Et prope eandem viam s. Damasus papa depositus est et soror eius Martha. Et in alia basilica non longe Marcus et Marcellianus sunt honorati,

V.	VI.	VII.	VIII.
NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
DEATINA			
	Fragmentum II. Deinde (*id est a s. Paulo apostolo et a ss. Felice Adaucto et Emerita*) ad s. Petronellam et Nereum et Achilleum. Inde ad s. Marcum et Marcelliannm. Inde ad s. Sotherum etc. (*vide viam Appiam*). *Topographia.* In via Appia, in dextera, s. Petronella, Nerei et Achillei, Marci et Marcelliani, ad s. Soterum etc. (*vide viam Appiam*).		rum *huc per errorem translata*).
OSTIENSIS			
Duodecima porta et via Ostiensis (*al.* Ostensa) dicitur, modo porta s. Pauli vocatur, quia iuxta eam requiescit in ecclesia sua. Ibidemque Timotheus martyr, et non longe in ecclesia s. Teclae sunt martyres Felix et Adauctus et Nemesius. In aqua Salvia est caput Anastasii martyris.	Inde (*id est a monte Aventino et balneo Mercurii*) ad portam Ostensis; inde per porticum usque ad ecclesiam Mennae, et de Menna usque ad s. Paulum apostolum. Inde ad s. Felicem et Adauctum et Emeritam.		Coemeterium s. Cyriaci via Ostiensi (*Petrus Mallius addit* ubi est ecclesia s. Cyriaci). Coemeterium Innocentium ad s. Paulum (*e libro Benedicti canonici*).

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			Segue **VIA AR**
Coemeterium Balbinae ad s. Marcum (et Marcellianum *haec delenda*) (1) via Ardeatina.		num fratres germanos cuius corpus quiescit sursum sub magno altare. Deinde descendis per gradus ad ss. martyres Nereum et Achilleum.	et adhuc in alia ecclesia alius Marcus cum Marcellino in honore habetur.
Coemeterium Basilei ad s. Marcum (*adde* et Marcellianum) (2) via Ardeatina.			
Coemeterium Damasi...			
			VIA
Coemeterium Commodillae ad s. Felicem et Adauctum via Ostiensi.	*pittacium deest*	INDEX OLEORUM Sci Pauli Apostoli.	Et sic vadis ad occidentem et invenies s. Felieem episcopum et martyrem, et descendis per gradus ad corpus eius, et sic vadis ad s. Paulum via Ostensi, et in australi parte cerne ecclesiam s. Teclae supra montem positam, in qua corpus eius quiescit in spelunca in aquilone parte.	K In parte australi civitatis iuxta viam Ostensem Paulus apostolus corpore pausat et Timotheus episcopus et martyr, de quo meminit liber Silvestri, ibidem dormit, et ante frontem eiusdem basilicae oratorium est Stephani martyris. Lapis ibi, quo lapidatus est Stephanus, super altare est positus. K Inde haud procul in meridiem monasterium est aquae Salviae, ubi caput s. Anastasii est, et locus ubi decollatus est Paulus. Prope quoque basilicae Pauli ecclesia s. Teclae est ubi ipsa corpore iacet. K Et non longe inde ecclesia s. Felicis est, ubi Ipse dormit, cum quo, quando ad coelum migravit, pariter properabat Adauctus, et ambo requiescunt in uno loco. Ibi quoque et Nomeseus martyr cum plurimis iacet.

(1) Verba *haec delenda* a I. B. De Rossi addita vere delenda sunt, quia corrigunt quod recentissimae fossiones verum esse demonstrarunt.

(2) Verbum *adde* pariter delendum propter eamdem notae (1) rationem.

V. *NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum* circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	VI. TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	VII. EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	VIII. INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
TVENSIS			
Tertiadecima porta Portuensis dicitur et via. Ibi prope in ecclesia sunt martyres Felix, Alexander, Addon et Sennes, Symeon, Anastasius, Polion, Vincentius, Milex, Candida et Innocentia.	In via Portensi extra civitatem in dextra Abdo et Sennes.	§ 80. Ecclesiam s. Felicis positam foris portam Portuensem a novo restauravit. Simulque et basilicam ss. Abdon et Sennen atque beatae Candidae una cum ceteris sanctorum coemeteriis in idipsum pariter renovavit.	Coemeterium Ursi ad Portensam. Coemeterium s. Felicis via Portuensi.

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			VIA POR
Coemeterium ad insalsatos (*al.* ad insalatos) ad s. Felicem via Portuensi.		In occidentali parte Tiberis ecclesia est beati Felicis martyris, in qua corpus eius quiescit, et Alexandri martyris (et s. Sabinae martyris, Deinde etiam in aquilone parte ecclesiae s. Pauli paret ecclesia s. Aristi et s. Christinae et s. Victorae ubi ipsi pausant) (1). Deinde descendis ad aquilonem et invenies ecclesiam s. Candidae virginis et martyris, cuius corpus ibi quiescit. Descendis in antrum et invenies ibi innumerabilem multitudinem martyrum; Pumenius martyr ibi quiescit, et Milix martyr in altero loco, et omnis illa spelunca impleta est ossibus martyrum. Tunc ascendis et pervenies ad s. Anastasium papam et martyrem, et in alio Polion martyr quiescit. Deinde intrabis in ecclesiam magnam; ibi sancti martyres Abdo et Sennes quiescunt. Deinde exeas et intrabis ubi s. Innocentius papa et martyr quiescit.	K Iuxta viam vero Portuensem, quae et ipsa in occidentali parte civitatis est, s. Abdon et s. Sennes, scsque Milex et s. Vincentius, s. Polion, s. Iulius, s. Pymeon, s. Felix, s. Simplicius, s. Faustinus, s. Beatricis dormiunt.
Coemeterium Pontiani ad ursum pileatum. Abdon et Sennen via Portuensi.			

(1) *Verba intra parentheses clausa in margine scripta.*

V. *NOTITIA PORTARUM, viarum, ecclesiarum* circa Urbem Romam e Willelmo Malmesburiensi	VI. TOPOGRAPHIA Einsiedlensis	VII. EXCERPTA TOPOGRAPHICA e *Vita Hadriani I*	VIII. INDEX Coemeteriorum e libro *Mirabilium Urbis Romae*
RELIA			
Quartadecima porta et via Aurelia, quae modo porta s. Pancratii martyris dicitur, quod iuxta eam requiescit in sua ecclesia, et alii martyres Paulinus, Arthemius, s. Sapientia cum tribus filiabus Fide, Spe, Charitate. In altera ecclesia Processus et Martinianus, et in tertia Felices duo, et in quarta s. Calixtus et Calepodius, et in quinta s. Basilides duodecimo milliaro.	*Fragmentum.* Inter Aurelia et Portuensis Processus et Martinianus et Panchratius, Abdo et Sennes. *Topographia.* In via Aurelia extra civitatem (*in sinistra*) S. Pancratii, (*in dextera*) Processi et Martiniani.	§ 73. Basilicam beati Pancratii martyris nimia vetustate dirutam atque ruinis praeventam in integrum a novo nimio decore una cum monasterio s. Victoris ibidem sito restauravit.	Coemeterium Calepodii ad s. Pancratium. Coemeterium s. Agathae ad Girulum. Coemeterium Iulii ia Aurelia (*ex Benedicto canonico*).
NELIA			
Prima porta Cornelia quae modo porta s. Petri, et via Cornelia. Iuxta eam ecclesia beati Petri sita est, in qua corpus eius iacet, auro et lapidibus parata. Etenim nullus hominum scit numerum sanctorum martyrum qui in eadem ecclesia pausant. In eadem via ecclesia altera in qua requiescunt sanctae virgines Rufina et Seeunda. In tertia ecclesia sunt Marius et Martha et Audifax et Abacuc filii eorum.			

I. INDEX Coemeteriorum (mutilus) e *Notitia Regionum Urbis Romae*	II. INDICES OLEORUM quae collegit Ioannes Abbas	III. ITINERARIUM ex unico Codice Salisburgensi	IV. EPITOME libri *de locis Sanctorum Martyrum* e Codicibus Salisburgensi puro, Wirceburgensi puro et Salisburgensi interpolato
			VIA AV
Coemeterium Calepodii ad s. Calixtum via Aurelia.	PITTACIUM AMPULLAE *Sci Pancrati*, sci Artemi, sca Sofia cum tres filias *suas*, sca Paulina, sca Lucina, sci Processi, sci *Martiniani*.	INDEX OLEORUM Sci *Pancrati* Sci Arthemi Sce Sofiae cum tres filias suas. Sce Paulinae Sce Lucinae Sci Processi Sci Martiniani	Deinde ambulas ad s. Pancratium, cuius corpus quiescit in formosa ecclesia via Aurelia, quam s. Honorius papa magna ex parte reaedificavit, et in illa ecclesia intrabis longe sub terra et invenies Ardhimium martyrem; et in altero loco s. Paulinum martyrem, et in altero antro s. Sobiam martyrem et duae filiae eius Agapite et Pistis martyres, et ascendis sursum et pervenies ad ecclesiam; ibi quiescunt s. Processus et Martinianus sub terra, et s. Lucina virgo et martyr in superiori. Deinde pervenies eadem via ad sanctos pontifices et martyres duos Felices. Postea eadem via pervenies ad ecclesiam; ibi invenies s. Calistum papam et martyrem, et in altero (loco) in superiori domo s. Iulius papa et martyr.	K Inde haud procul in sinistra manu iuxta viam Aureliam s. Processus, s. Martianus, s. Pancratius, s. Paulinus, s. Arthemius, s. Felix, s. Calistus, s. Calopus cum multis sepulti iacent.
			VIA COR
	pittacium deest	INDEX OLEORUM Sci Petri Apostoli.	Et sic intrabis via Vaticana donec pervenies ad basilicam beati Petri, quam Constantinus imperator totius orbis condidit, eminentem super omnes ecclesias et formosam, in cuius occidentali plaga beatum corpus eius quiescit.	Primum Petrus in parte occidentali civitatis iuxta viam Corneliam ad miliarium primum in corpore requiescit, et pontificalis ordo, excepto numero pauco, in eodem loco in tumbis propriis requiescit. Ibi quoque iuxta eandem viam sedes est apostolorum et mensa et recubitus eorum de marmore facta usque hodie apparet. Mensa quoque, modo altare, quam Petrus manibus suis fecit, ibidem est. K Iuxta eandem quoque viam s. Rufina, s. Secunda, s. Maria, s. Marius, s. Ambacu, s. Audafax et alii quam plurimi sancti iacent.

INDEX

PRAELOQUIUM . . . . . p. 1

Ratio et via praesentis operis 9

CAPUT I. De antiquis documentis suburbanorum coemeteriorum topographiam et historiam illustrantibus 17

Art. I..... Acta martyrum 18
Art. II.... Calendaria. 29
Art. III... Martyrologia 32
Art. IV... Liber Pontificalis 35
Art. V.... Topographiae atque Itineraria 38
Art. VI... Syllogae praecipuae inscriptionum 47
Art. VII.. Auctores 54

CAPUT II. Persecutiones 93

Art. I..... Persecutionum iuridicum fundamentum. – Causae. – Quomodo Edictum Mediolanense, quo pax conceditur Ecclesiae, iudicandum est 93
Art. II.... Labarum 147
Art. III... De numero martyrum. 151
Art. IV... De effectibus praecipuis pacis Constantinianae in iure poenali Romano: Furca – Crux – Servitus 155
Art. V.... De martyrum suppliciis 159

CAPUT III. De sepulcris 193

Art. I..... De sepulcris generatim, et praesertim de Romanis sepulcris 193
Art. II.... De Romani soli natura et formatione. 212
Art. III... Origo Coemeteriorum Christianorum, Coemeterii vocabulum Christianum est 216
Art. IV... 1. Verborum, quibus praecipue Christianorum coemeteria designantur, explicatio; 2. Christiani hypogei nomenclatura 223

Art. V.... Catacumbae Romanae opus Christianorum sunt. – Eas inter et latomias arenariaque discrimen. – Quid de origine ceterorum orbis coemeteriorum? . . . . . p. 256
Art. VI... Errores circa existentiam et situm catacumbarum Romanarum. 264
Art. VII.. In quo differant et in quo conveniant Christiana et ethnica sepulcra. 267
Art. VIII. De religioso sepulcrorum charactere iuxta Romanum ius 282
Art. IX... Utrum coemeteria Christianorum legalia an tolerata solum fuerint. 292
Art. X.... Coemeteria sectarum haereticarum Romae . . 312

Caput IV. Analogia inter Christianos atque ethnicos ritus funerarios 323

Art. I..... Convivia funebria 323
Art. II.... De usu lampadarum et luminum 359
Art. III... De usu florum 369
Art. IV... Christianorum cadaverum et Martyrum depositio 376
Art. V.... De Martyrum reliquiis. – Martyrum sepulcra. – Ampullae cruentae. – Martyres vindicati. – Monumenta martyrum non authentica 392
Art. VI... Martyrum cultus. – Sanctuaria. – Peregrinationes. – Eulogiae. – Translationes 421

Appendix. Romanorum coemeteriorum Itineraria 441